Digitized by Google

*31.K.30.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT

K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

*31.K.30

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,

ANNO
MDCCLIX
publicata.

Cum Regis Pol. atque Electoris Saxoniae Privilegio.

LIPSIAE

Proſtant apud IO. FRID. GLEDITSCHII et LANCKISII heredes.

Venduntur etiam Romae apud PAGLIARINOS: Venetiis apud IO. BAPT. ALBRIZZIUM: Bononiae apud LAELIUM della VOLPE: Pariſiis apud BRIASSONUM: Ultraiecti apud IO. BROEDELETUM: Lugduni Batavorum apud SAM. et IOH. LUCHTMANSIOS: et Amſtelodami in SCHREUDERI et MORTIERII iunior. officina.

MDCCLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI
BONARUM LITTERARUM
STUDIOSO

S.

In ea provincia adminiſtranda, quam a maioribus, antiqua fide et candore ſpectatis, quaſi per manus traditam accepimus, ita nos quidem verſatos eſſe adhuc exiſtimamus, ut memores ſincerae illorum modeſtiae, neque in laudandis Scriptoribus, quorum cenſus hic agitur, neque in reprehendendis, videamur ſtateram tranſiliiſſe. Nam cum illud nil admirari, *quod praecipuum vitae ſapienter et ſuaviter peragendae adminiculum perhibetur, diligentiſſime ſequamur et ipſi: fieri vix poteſt, ut amplioribus, quam pro re, verbis, bona librorum quaedam extollamus. Sed iidem, quae animadverſione, aut caſtigatione digna, in eruditorum hominum ſcriptis reperimus, libero quidem et gravi ſtylo notamus; neque tamen infeſto, et qui ab humanitate diſcedat. Ne leviora quidem Scriptorum peccata intacta relinquimus; eorum adeo, quorum alioquin doctrinae impenſius favemus. Quam ſeveritatem noſter ille poeta ad iudicandos verſus adferri iubet, alienam a voce illa:* cur ego amicum Offendam in nugis? *quando* hae nugae ſeria in mala ducunt: *eandem nos in omni Scriptorum choro luſtrando obſervamus; ſed tamen nonnulla, quemadmodum par eſt, comitate mixtam. Iam ab hoc tramite, dixerit forte aliquis, nos in exacti anni commentariis nonnihil deflexiſſe. Arguerit is forſitan, acerbius aliquanto dictam de operibus doctorum quibusdam ſententiam; quam hoc minus ferendam putet, quod lapſus illorum, ſi qui occurrant, videantur ma-*

ioribus

Digitized by Google

ioribus meritis condonandi. At nos ne hic quidem priſtinos mores exuimus; iracundiae autem et fellis perparum, quod effudiſſe poſſumus videri, id recte, et loco ſuo feciſſe nos exiſtimamus. Incidimus enim in libros nonnullos, duplici ſtultitia inſignes, aut, ſi mavis, obſcuratos. Alterum genus haeret hominibus iis, qui, ubi vel Auctores veteres edendos denuo illuſtrandosque ſumunt, vel narrationes rerum, in gente aut provincia aliqua geſtarum, inſtituunt, non hoc unice agunt, ut eleganter, vere, atque utiliter argumentum libri perſequantur; ſed multo magis, ac primum fere, ut luculenta et ponderoſa volumina, (quorum in fronte nomen ſuum, immo vultus etiam, conſpiciatur,) multo ſudore procudant. Hoc igitur conſilio undique corradunt, comportantque inepti, partim pueris nota, partim ea, quae vix tenuiſſima cognatione adtingant rem propoſitam, denique campos exſpatiandi illic aperiunt, ubi eos in fauces quasdam et anguſtias redactos malis. Alterum genus eſt ſuperciliosorum hominum, qui praeter gentis aut ſectae ſuae Scriptores, immo praeter ſe et paucos ſuorum, ſapere vix quemquam putant. Illi monitoribus, quamvis leniſſime ſecum agentibus, aſperi, in ſtudiorum ſocios inhumani, atque adeo feroces, aliorum delicta mordicus inſectantur, ſua vident nulla, auctoritatem arbitrii et dirimendarum controverſiarum ſibi ſolis arrogant, detrahunt longe ſe acutioribus: ut alias illorum virtutes taceamus. Utraque haec Scriptorum claſſis, cui non bilem moveat? Quis non indignetur nobiscum, cum ad eos legendos accedit? quis non ſuccenſeat, cum iſtos videt Sophiſtas ἀλάζονας impingere in locis talibus, in quibus forte non impegiſſent, quos illi nullo loco habent. Et tamen ſecum natas et morituras litteras, ſi non iactant, putant certe. Ad defendendam quidem rationem, quam in percenſendis illis tenuimus, haec eorum imago ſuffecerit. Te, Lector humaniſſime, vehementer rogamus, ut, ſtudiorum noſtrorum conſtantiam intuendo, nihil a Tua in nos benevolentia remittas.

Vale.

No. I.


Digitized by Google

STRUTIO-CAMELUS.



Google

TAB. II. A



Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Ianuarii Anno MDCCLIX.

LE PITTURE ANTICHE D' ERCOLANO E CONTORNI con qualche ſpiegazione, rel.

i. e.

PICTURAE ANTIQUAE EX HERCULANO ET vicinis locis erutae atque in aes inciſae cum animadverſionibus. TOMUS PRIMUS.

Neapoli 1757. e typogr. regia charta max. pagg. 87. tabb. 50.

Tandem aliquando licet reſtinguere ſitim, quam fama de Herculano, & repertis ibi, viciniſque locis, reliquiis antiquitatis, accenderat omnibus, qui bonarum literarum atque artium ſcientia præditi eſſent, & elegantiæ ſtudio quodam tenerentur. Nam qui ante hoc tempus ad nos venerunt de iis rebus libelli, adeo non ſatisfecere cupiditati noſtræ, adeo abeſſe viſi ſunt a rei ipſius vel veritate vel magnitudine, ut eorum in his noſtris Actis mentionem facere vix dignati ſimus. Nunc autem opus hoc, cuius titulum propoſuimus, auſpiciis Regiis inſtitutum atque perfectum, Regia munificentia ad nos pervenit, quod cum omnes, quibus id oculis uſurpare contigit, tum nos inprimis, ita cepit magnificentia, varietate, delectu, aliiſque bonis ſuis, ut eius notitia quamprimum beandos atque exhilarandos lectores noſtros duxerimus. Ac cum primum oculis eſſet oblatum, nihil prius nobis venit in mentem, quam ut gratias ageremus for-

Digitized by Google

tunæ, quæ ſub CAROLO Rege potiſſimum hos terris tamdiu abditos theſauros in lucem protrahi voluiſſet, hoc eſt, eo, qui regio animo in ea re uteretur, nec modo pulchrum putaret, eas res reperiſſe atque poſſidere, ſed multo pulcrius, eas communicare cum omnibus, qui propter ſcientiam literarum & antiquitatis amorem venire in ſocietatem repertorum bonorum cuperent, & in eo nullis parcere ſumtibus, ut quam maxime magnificum & regium opus videri poſſet: deinde vero agnovimus iudicium virorum, quorum de conſilio & ſententia initium publicandæ novæ gazæ factum eſt a picturis, genere antiquitatis pulcherrimo, & in reliquiis antiquitatis Græcæ & Rom. rariſſimo, quod eam ob cauſam a ſtudioſis maxime experti ſolet. Etenim nullius generis tam paucæ ac tenues ſunt reliquiæ: quæ etiam ſua ſponte minuuntur, ut mox videbimus. In ipſa Urbe Roma, & Italia, perpaucæ ſunt picturæ veteres reliquæ, cum multæ inde a XVI. ſeculo erutæ ſint e terræ viſceribus, h. e. e latentibus ibi ſepulcrorum porticuumque vel parietibus, vel tectis, quarum magna pars, æneis inciſa lamnis, ſervatur in libris, ex iisque reſtituta eſt vera & veteri ſimillima pictoria. Nam ipſæ prope omnes paullatim periere. Septuaginta amplius anni ſunt, cum ſepulcrum *Naſonum*, prope Pontem Mulvium (Pontemole) repertum eſt, in eoque picturæ in tectorio. Earum exemplum transferri in linteum per pictores curavit *Maximus*, Cardinalis, & lineari pictura expreſſas edidit *P. S. Bartolus* Rom. 1680. f. ipſæ autem picturæ inductæ illæ quidem ſunt ſucco allii, quo maxime conſervari putantur picturæ in tectorio: ſed tamen evanuere. Nempe hoc genus picturæ in locis ſubterraneis, cum ab iis arcetur omnis aëris vivi allapſus, retinent colorum ſplendorem, &, ut ita dicam, viriditatem integram atque incolumem: ubi in aërem liberum protractæ ſunt, eius vi & actione brevi tempore plane delentur. *v. Reflexions critiques ſur la poëſie & la peinture* P. I. ſect. 38. p. 198. ſqq. Atque etiam hac de cauſa bene conſultum eſt ab Viris præclaris, quibus cura edendorum monumentorum Herculanenſium permiſſa eſt, quod initium eorum

Digitized by Google

eorum edendorum a picturis fecere: in quibus ipſis quædam iam aliquid vegeti coloris perdidere. Sed de opere ipſo videamus.

In capite, bene factum, quod exhibetur imago CAROLI Regis, facta radio *Philippi Morghenii,* excellentis artificis, a cuius manu ſunt etiam pulcherrimæ quæque operis tabulæ, ut a feſtinantibus ad fruendum opus pulcherrimum primum ſpectaretur os Principis, cuius munificentia id fruendum dedit. Sequitur accuratiſſima tabula geographica, exhibens partem ſinus Neapolitani, quem *Craterem* vocant, in qua eſt Veſuvius cum circumiacentibus regionibus: poſt ipſæ picturæ: quarum ſunt duo genera: alterum maiorum & inſigniorum, quarum cuique adiectæ ſunt narrationes de argumentis picturæ cum notis, de quibus poſt: alterum minorum, quod ornamenti cauſa vel præpoſitum eſt narrationibus in capite, vel ſubiectum, vel etiam adiectum ipſis maiorum tabulis. Maiorum hæc diſtributio eſt, atque hic ordo. Primum viſuntur quatuor e genere monochromatum, pictæ in marmore: deinde novem hiſtoricæ, argumenti mythologici: tres, ut ita dicam, voluptariæ & obſcenæ: duodecim, in quibus ſunt ſpecies variæ ſaltationum & ſaltatricum: novem, geniorum varios luſus exhibentes: ſex architectonicæ: reliquæ argumenti miſcellanei. Claudunt opus obſervationes, ſive admonitiones, ad opus univerſum pertinentes. Earum tria genera ſunt. Primum pertinet ad picturas minores, per totum opus ſparſas, ut ante diximus: alterum ad pretium picturarum: tertium ad conſilium operis univerſi. Ita, quod in omni opere quæritur in principio, reiectum eſt ad finem. Nos autem per *ὕϛερον πρότερον* primum de conſilio operis, deinde de picturarum ingenio, denique de notis dicemus.

Cum magnus numerus eſſet picturarum in Muſeo regio, quæ uno volumine edi non poſſent, aptiſſimum fore viſum eſt, ſi primo volumine omnis generis exempla ederentur: in **Pag. 278.**
quo prudentiam editorum nemo non agnoſcet. Atque ita etiam omnium picturæ generum, quæ a veteribus, *Plinio* inprimis & *Vitruvio*, commemorantur, exempla propoſita ſunt.

De picturarum pretio nihil dicere in animo erat ab initio, ſed
Pag. 273. iudicium intelligentibus liberum relinquere. Sed cum extitiſ-
ſent, qui contemtius de picturis repertis iudicarent, idque
iudicium ſuum libellis in publicum editis vulgarent, mutata
eſt ſententia, placuitque aliquid in eam partem dicere. Ne-
mo dubitavit ante, veteres pinxiſſe in tectorio udo coloribus
aqua dilutis (*al freſco*). Dubium erat, an in parietibus etiam
pinxerint coloribus glutine quodam mixtis (*à tempera*). Sed
præterquam, quod id e locis *Vitruvii (VII, 10.)* aliorumque
intelligi poteſt, picturæ Muſei regii nullam dubitationem re-
linquunt, quarum ſi non omnes, pleræque certe, ſunt ex eo
276. genere. Picturæ ipſæ præter paucas, quarum ruditas & du-
ritas incurrit in oculos, oſtendunt manum doctam & magi-
ſtram, & τὸ εὐφαντασιωτὸν artificis: & ſi quæ non ab omni
parte ſunt perfectæ, tamen in partibus apparet ars & inge-
nium auctorum, ſi quis afferat oculum eruditum, & notandis
artificiis pictoriis exercitatum: nam in permultis etiam indo-
ctus oculus perſpicere pulchritudinem atque artem poteſt.
277. Sunt etiam in his picturis, quæ momentum facere poſſint in
controverſia de picturæ genere eo, quod imitatur ſpeciem,
quam affert oculis proſpectus rerum longinquarum (*la proſ-
pettiva*), diminuendis proportione quadam magnitudinibus re-
rum atque intervallis. Nam fuere qui dubitarent, illud ar-
tificium an cognitum & uſurpatum fuerit veteribus, nec ne.
Viri doctiſſimi autem, qui huic operi præfuerunt, iure mi-
rantur, quomodo de ea re dubitari potuerit, cum clara ex-
tent apud veteres teſtimonia, quibus eius artis ſcientia vindi-
cari antiquitati poſſit. Quo pertinent duo præcipua loca, *Vi-
truvii* alter, *I, 2. Scenographia eſt frontis & laterum abſceden-
tium adumbratio, ad circinique centrum omnium laterum reſpon-
ſus:* alter magis perſpicuus *VII. praef.* de eadem σκηνογρα-
φίᾳ. Sed teſtimoniis talibus clarius loquitur res ipſa, hoc
eſt, picturæ plurimæ in hoc opere, ſpecies tales exhiben-
tes, in quibus ſunt veſtigia illius rationis: ex quibus appa-
ret, rationem artis ignotam non fuiſſe, perfectionem artificii
pictoribus iis defuiſſe, a quorum manu eæ picturæ venere.
Et

Et hæc de ratione & genere picturarum dicta ſunt. De picturis ipſis earumque argumentis reſtat, & virorum doctiſſimorum explicationibus notisque, ut dicamus.

Primæ quatuor picturæ ſunt e genere *monochromatum*, ut ſupra diximus. In eo genere veteres cinnabari utebantur, auctore *Plinio XXXIII, 7.* quamquam id poſt non ſervatum, eodem auctore: eiusque coloris ſpecies eſt in his quatuor. Sed præcipua dos earum eſt, quod ſunt omnes in marmore, atque adeo primæ ex hoc genere, quæ in lucem venerunt. Itaque etiam dubitatum ante eſt, an veteres pinxerint aut pingere potuerint in marmore. Nam *lapidem pingere* ap. *Plin. XXXV, 1.* aliud eſt, hoc eſt, marmoris ſpeciem imitando exprimere, quod vulgo *marmorare* vocant. De altero ordine, in quo ſunt hiſtorica, ſ. mythologica argumenta, (μεγαλογραφίαν veteres vocant) nihil eſt, quod univerſe dicamus; nec magis de tertio genere, quod obſcenum vocavimus, *libidines* appellat *Plinius.* Quartum genus, quod ſaltationes ſ. ſaltatrices habet, præter pulcritudinem figurarum, animadverſione dignum eſt propterea, quod lucem adfundit loco de arte ſaltandi apud veteres, & aliis præterea antiquitatis partibus. Sunt autem picturæ duodecim paris magnitudinis & artificii, eiusdemque haud dubie manus, in eodem repertæ ſive oeco, ſive triclinio, ſive cubiculo. Sed in iis ſunt quatuor, quæ exhibent ſpecies centauricas, duas maſculini, totidemque muliebris ſexus. In quo quæri poteſt, quid hæ figuræ in coetu ſaltatricum? Viri docti putant (p. 139.) aut fortuitum pictorum luſum eſſe in his picturis, aut latere conſilium. Nobis quidem ſuſpicio eſt ex ipſo loco & ſodalitio nata, ipſas quoque ad ſaltationem pertinere, & quidem genus illud, quod *pyrrhiche* dictum eſt, in quo etiam abditi beſtiarum ſpecie homines ſaltarent. *Sueton.* Ner. *12.* Videant doctiores. Sequuntur picturæ geniorum, modo regia inſignia, modo varias, etiam ſordidas artes, piſcaturam, venationem, ſutoriam &c. tractantium. De eo genere non conſenſere viri docti (p. 157. not. 3.), cum alii putarent, exprimi his picturis educationem infantum, alii genios earum rerum,

Digitized by Google

ad quas ſe applicant ſtudioſi. Hæc opinio maxime placuiſſe videtur viro docto, qui notas ſcripſit, ut patet ex eius philoſophia de geniis (p. 202. not. 17.). Nobis quidem, ſalvo viri doctiſſimi iudicio, videtur his tabulis exprimi varieta, ſtudiorum humanorum, quorum cauſam ad genium homines referebant. Nihil uſitatius fuit omni tempore pictoribus, quam ſub variis ſpeciebus, ſymbolis atque figuris, exprimere vitæ humanæ, ſtudiorumque humanorum rationem ac varietatem, auctoribus philoſophis, Platone, Cebete, & aliis, qui tales figuras ipſi excogitavere.

Genus porro picturarum, quod ſpecies quasdam fictas architectonicas exhibet, quibus parietes ornare pictores ſolebant, ut hodie tapetas, quibus parietes inducuntur, id igitur etſi nihil admodum artis habet, quod magnopere delectare oculos intelligentium, aut prodeſſe arti poſſit, tamen non omnino contemnendum viſum eſt atque omittendum. Dedit enim locum pluribus obſervationibus, quæ utiles eſſe poſſent. In quibus prima eſt hæc, quod bene illuſtrant loca quædam veterum, inprimis *Vitruvii*, vix ſatis ante intellecta, aut illuſtrata. Primum committitur *Plinius XXXV*, 4. cum *Vitruvio VII*, 5. quibus locis agunt de expolitionibus, (ita *Vitruvius* appellat,) parietum per picturas, quæ ædificia, villas, porticus, topiaria opera, ſcenarum frontes &c. exprimerent. Nam *Plinius* inventionem harum expolitionum tribuit cuidam *Ludio*, qui ſub *Auguſto* fuit; *Vitruvius* autem antiquis. Nec tamen diſſident vera diſcordia. Nam *Vitruvius* loquitur de picturis talibus, quæ a veris exemplis ductæ eſſent, quod genus, ſuo tempore, queritur improbari, inductis picturis, ſpecies commentitias exhibentibus; atque eius rei forte auctor *Ludius* fuit. Ita conciliantur *Vitruvius* & *Plinius* a viris doctiſſimis. Optime noſtro iudicio. Atque, ut nobis videtur, nec in eo veremur, ne erremus, hæc ratio cum aliis inventis voluptariis, veluti Pantomimica, originem duxit ex Aſia, in qua talis pictura non modo in parietibus, ſed etiam in textili, i. e. in veſtibus ſtragulis, antiquiſſimi uſus fuit. Periſtromata Medica, Babylonica, Phrygia, Alexandrina, laudan-

dantur apud veteres, quæ commentitiis animalibus picta erant (v. *Voſſium ad Catull. p. 196.*) quæ etiam apud Romanos in magno pretio, eorumque mentio eſt ap. *Plautum, Lucretium,* qui *Babylonica magnifico ſplendore* habet: in quo loco, ſi quis ridere cupiat, videat interpretationem *Douſae* ad *Catull. epigr. 30.* Ab hac radii & acus pictura nata eſt ſimilis pictura parietum, in ædificiis, plantis, floribus, & ſimilibus rebus. Sed hoc obiter dictum ſit. Sed *Vitruvius,* eodem loco, ridet pictores ineptos, qui in ædificiis & porticibus pingendis non ſervarent architectonicas leges, atque ita monſtra potius, quam imagines veras, pingerent. *Pro columnis enim,* ait, *ſtatuuntur calami, pro faſtigiis harpaginetuli ſtriati, cum criſpis foliis & volutis: item candelabra aedicularum ſuſtinentia figuras:* quem locum planiſſime illuſtrant picturæ Herculanenſes hic propoſitæ. *v. inpr. p. 211. not. 8.* Quod de *candelabris* dicitur, ante non intellectum, perſpicuum faciunt candelabra reperta in Herculano ænea, parvo pede & catino, longiſſimo & tenuiſſimo ſcapo. *v. ibid. not. 10.* Atque etiam *harpaginetulorum ſtriatorum,* loco faſtigii, ſpeciem in porticu tab. XXXIX. eſſe putat vir doctus, p. 212. not. 12.

Reſtat genus minorum picturarum, de quo aliquid univerſe dicendum videtur. Earum maxima pars habet imagines villarum ſtructarum ad mare, atque adeo in mari ipſo: quo genere tum plenum erat litus Italiæ, præſertim in regionibus amoenioribus, Campano, Neapolitano, & Baiano, ut ex *Horatio* conſtat, cuius loca *Carm. II. 18. III. 1.* egregie his picturis illuſtrantur: nec mirum eſt, in picturis id genus maxime expreſſum eſſe, quod tantopere homines tum adamaverant. Et ſunt in illis ipſis picturis partes variæ, quæ illuſtrandis pluribus locis ſcriptorum, inprimis agrariorum, prodeſſe poſſunt. Et hæc quidem de picturis univerſe dicta ſunto. Reſtat, ut de notis aliquid dicamus.

Eæ univerſe ſunt, ut modeſte profitentur auctores doctiſſimi, ſcriptæ in uſum, non tam doctorum, quam omnium, qui inſpicere has picturas, & cognoſcere atque intelligere velint. Explicatur primo argumentum, deinde traduntur, quæ rebus

rebus intelligendis proſint ex antiquitate Romana. In quibus ſane multa ſunt vulgaria, & doctis notiſſima: ſed ad eos hæc non pertinent, verum ad tirones & indoctos. In quibus tamen veremur, ne interdum modus excedatur, ut in iis, quæ ad tab. 37. de venatione &c. dicta ſunt. Sed inſunt tamen etiam multa docte animadverſa, quoties picturæ occaſionem dabant. Ex his quædam decerpere, in eorum gratiam, quibus inſpicere & excutere opus non detur, non alienum videtur.

In tabula prima exhibentur plures figurae muliebres, additis nominibus graecis, in his *Phoebe* & *Ileaera* (ἰλέαιρα), amores *Caſtoris* atque *Pollucis*. In qua ſcriptura niſi vitium eſt, pro ἱλάειρα, ut græci ſcriptores ſummo conſenſu habent, exiſtimandum, utroque modo id nomen ſcriptum fuiſſe. Pag. 3. Sed id nomen, admonet vir doctus, corruptum eſſe in omnibus ſcriptis & editis *Propertii (I. 2.)* & *Hygini (III.)* libris. De *Propertii* quidem libris lapſus eſt vir doctus. Ac de ſcriptis quidem non mirum ſit: nam omnes ex uno exemplo vetere fluxerunt. Sed tamen *Ilaira*, vel *Hilaira* in non uno libro ſcripto eſſe teſtatur *Broukhuſius*, qui & *Hilaira* poſt *Beroaldum* edidit. Sed in eadem tabula exprimitur ſpecies talorum & luſus, qui Græcis, auctore *Poll.* IX. 126. *Pentalitha* dictus.

Oculum vel leviter curioſum adverterit ſpecies Polyphemi, (tab. X.) habentis præter duos oculos, quo loco ſunt in aliis hominibus, tertium in media fronte: quod eſt contrarium traditioni poetarum omnium, quæ unoculum Polyphemum facit. Sed ne quis pronior ſit ad irridendum errorem pictoris, vir doctiſſimus docet,, opinionem de uno Cyclopum oculo non omnium fuiſſe. Profertur locus *Servii ad Virg. Aen. III. 36. Multi Polyphemum dicunt* unum *habuiſſe oculum, alii* duos, *alii* tres: qui eſt de ea re unus in omni antiquitate. Pictor igitur ſecutus eſt eorum opinionem, quamquam non admodum multorum, qui tres oculos Cyclopi tribuerent. In quo bene admonet vir doctus, hoc quoque exemplo intelligi poſſe, quam imbelle ſit argumentum inficiale,

Digitized by Google

le, quod Dialectici vocant: quod illum tamen non univerſe intelligere exiſtimamus. Eſt enim illud argumentum interdum graviſſimum, ſi bene circumſcriptum ſit, ſi loco adhibeatur, & bene tractetur: ſed ita, ut ſæpiſſime fallat, nec niſi cum magna cautione adhibeatur. Illud quidem inde plane intelligitur, in operibus hiſtoricis veterum non eſſe ſtatim reprehendendos artifices, ſi quid habeant abhorrens a vulgata, poetarum inprimis, traditione: cuiusmodi eſt in hoc opere illud quoque, quod in Minotauri ſpecie (tab. V.) nihil taurinum, praeter caput, eſt.

Tab. XIII. exhibet picturam pulcherrimam feminæ, in cu- 69.
ius vultu eminet ægritudo, deſperationi ſimillima, & complicatis manibus, qui eſt luctantium cum deſperatione geſtus, tenentis gladium vagina tectum. Eius vaginæ ſpecies egregie illuſtrat loca Græcorum in eo, quod finis vaginæ *fungi* ſpeciem habet, cui tamen ſimiles ſunt apud *Monteſalconium.* Nam hic eſt, quem Græci, *Herodotus III. 64. Pauſanias II. 16.* *μύκητας* vocant, faciuntque exemtilem, ut quo temere delapſo Cambyſes, dum ſuccinctus gladio feſtinat conſcendere equum, vulneratus traditur. add. Schol. Nicandr. Alex. 103. A quibus diſſentiunt & *Heſychius* & *Suidas in h. v.* qui de capulo gladii interpretantur, etiam *Etymologus:* quæ interpretatio ſane cum *Herodoti* loco non conſentit, ut bene monet auctor, mirumque eſt non vidiſſe *Kuſterum.* Quia tamen conſentiunt *Heſychius, Etymologus,* & *Suidas*, videtur poſt invaluiſſe, ut etiam capulus ſic diceretur: nam *Etymologus* etiam ipſum gladium ſic vocatum, ſua ætate, tradit.

In tab. XVII. ſaltatrix altera habet *veſtem* luteam prætextam 94.
purpura (v. not. 6.), altera *herbidam*, quæ in deliciis erant mollioribus: unde reprehenduntur Athenienſes ab Apollonio ap. *Philoſtr. IV. 21.* quod uterentur *crocotis, purpureis,* & *croco tinctis.* Vir doctus luteam illam, ait, proprie dictam *crocotam* vel *crocotulam*, a colore croceo. Sed ea opinio e pictura nullum firmamentum accipit: locus autem *Philoſtrati* ei repugnare, & confirmare videtur opinionem *Salmaſii*, late defenſam in Comment. ad Scriptores. Hiſt. Aug. qui crocotam

 non

non *ἀπὸ τῦ κρόκυ*, ſed *ἀπὸ τῆς κρόκης trama* vel *ſubtemine*, dici diſputat, propter denſiorem tramam, unde veſtis mollior. Nam pro diverſis rebus poni videntur *κροκωτοὶ* & *κροκοβαφεῖς*, interpoſitis etiam *ἀλυργίσι*.

Tab. XX. ſaltatrix manu ſiniſtra tenet tympanum, manu dextra pulſatura: id eſt ex genere eo, quod *levius* erat, ſic vocat *Catullus:* uſitatum bacchis &c. altera tantum parte tectum pelle, altera apertum, de quo pluribus agitur ad tab. XXI. & diſcrimen (p. 112.) tympanorum & cymbalorum illuſtratur. Non ergo bene viri quidam docti, etiam *Voſſius* ad Catullum p. 161. qui tympana magnitudine tantum diſcrepaſſe, non ſtructura, putant.

Tab. XXVI. & XXVIII. eſt ſpecies *Centauridum*, cuius ſupra facta mentio, in quibus pingendis ſe exercuiſſe veterem artem pictoriam etiam *Philoſtrati* locus arguit *Imagg. II. 3.* Fuiſſe autem auctorem huius generis picturæ, docet vir doctus, *Zeuxin.* Quo minus mirum eſt, hanc picturam uſurpatam eſſe in Magna Græcia, ubi *Zeuxin* multa pinxiſſe, nominatim apud Crotoniatas, auctor eſt *Cicero*, de Invent. II. init. e cuius exemplis potuerunt ab aliis tales figuræ imitando duci. Sed altera Centauris (tab. XXVIII.) habet in collo laxum & velut fluctuantem circulum, h. e. qui ipſa figura illa fluctuante indicet non eſſe e materia vel dura, vel continente. Vir doctus *phaleras* facit: nobis *torquis* videtur: qui in equitibus fere iungitur *phaleris*, ut ap. *Iuvenal. Sat. XVI. extr. Sil. XV. 255. 56.* & de phaleris nondum ſatis liquidum eſt. Locus *Ciceronis* Verr. IV. 12. arguit, in phaleris elaborationem artis maxime ſpectatam eſſe, *Plinii* autem, H. N. XXXVII. 12. penſiles in pectore fuiſſe, quæ huic figuræ non conveniunt.

Sunt plura huius generis in notis, quæ lectu iucunda fore confidimus doctis, ut p. 267. not. 9. de *braccis:* not. 10. de *turribus villaticis.* cf. not. 30. de *fumariis* &c. Sed quæ dicta ſunt, ſpeciminis loco ſufficere cognoſcendo ingenio notarum poſſunt.

Ad

Digitized by Google

Ad extremum vota facimus, ut cetera monumenta, pari modo, regia munificentia edantur, & ad illuſtrandas antiquitates, literas, atque artes bonas conferantur.

ALOYSII ANTONII VERNEII, EQUITIS TORquati, Archidiaconi Eborenſis, de Re Logica, ad uſum Luſitanorum Adoleſcentium, Libri Sex. Editio altera auctior & emendatior.

Romæ 1757. ex typographia Generoſi Salomonii. 1. Alph. 2. plagg. octonis.

Ad librum egregium, laudatum a nobis iam tum, cum primum in lucem prodiret, (in Actis noſtris Anni MDCCLIV. pag. 349. ſqq.) nunc ſollicita acutiſſimi Auctoris manu retractatum, non ſine quodam voluptatis ſenſu, quem illa bonorum librorum hac ætate raritas mirifice acuit, redimus. Præſtat etiam, hunc & ſimiles huic libros iterum iterumque commendare, quam verſari in enarrandis iis, qui, ubi novitatis gratiam exuerint, mox e manibus ipſaque memoria hominum excidunt. Ac verendum eſt ſane, ne multis noſtrorum, qui Philoſophi audiri volunt & audiunt, ea calamitas obeunda ſit. Tantas enim pars magna philoſophantium hodie Scriptorum ſcitis ſuis tenebras offundit; adeo ſalebris & tricis nove repertis gaudet, ut qui vix de Ariſtotelico-Scholaſticorum manibus elapſi ſumus, & recte philoſophandi exemplum præivimus aliis, iam ipſi nobis labyrinthos ſtruere, & paſci ſpinis videamur. Quæ quidem hoc loco præfanda duximus vel ideo, ut Philoſophiæ liberæ, utilis, apertæ, verbo eiusmodi, quæ & mentem illuſtret, & proſit in commune, ſtudium, quoad eius fieri poteſt, in oris noſtris animemus. Hic ipſe doctiſſimi Verneii liber, multum meritoque Germanici nominis gloriam, in perpolienda Philoſophia partam, extollit. Quo magis eam rite conſervari, & augeri etiam, ſi licet, optabile eſt. Sed ad inſtitutum veniamus.

Conſilium operis Verneiani, partes, formam, & quaſi ſpi-

ſpiritum, genus denique ſcribendi, loco, quem diximus, perſecuti ſumus. Neque nos illius priſtinæ ſententiæ tædium adhuc cepit. Digniſſima vero Philoſopho exiſtimamus: remotum Auctoris ab omni partium ſtudio animum; ſagacitatem in intelligendo & iudicando; ingenuam in laudandis iis, quos ad veritatem cognoſcendam duces habuit, modeſtiam; exempla declarandorum præceptorum cauſſa eleganter & commode propoſita; ſermonis naturalem pulchritudinem; alia his non leviora. Generoſo certe impetu Vir diligentiſſimus pleraque omnia hominum noſtrorum, qui Philoſophiam felicius tradiderunt, ſcripta ſibi pervolvenda ſumſit. Unus tamen eſt quem neſcire videtur, isque minime omnium ignorandus, *Erneſtus* noſter, Vir Cl. cuius Initia Doctrinæ Solidioris vix eum credimus neglecturum in reliqua ſcriptorum mentione fuiſſe, ſi oculis uſurpaſſet. Verum, ut æquiſſimus ſit Ven. Auctor Proteſtantium Philoſophis; tamen diſſidia rei Chriſtianæ, quamvis Philoſophus, dimittenda non omnino putavit. Itaque monet adoleſcentes, pag. 31. plures eorum, quos confirmaverit nonnihil adiumenti Logicæ diſciplinæ adtuliſſe, *Haereticos* eſſe, nec niſi, ſi per leges licuerit, idque caute, legendos. Nec tamen, inquit, ægre nos eorum lectione caremus. Nam quidquid iidem boni cogitarunt, id viri nonnulli Catholici ſcriptis ſuis admiſcuerunt. Prudenter hæc Verneius, conſulturus coetus ſui rationibus. Sed quis ſibi perſuaſerit, eorum animos, qui his placitis Verneii, (&, cuius artem Logicam ab eadem iudicandi libertate commendat, Antonii Genuenſis, in Acad. Neapolitana Prof. Philoſophiæ,) imbuuntur, nullo deſiderio adeundi fontes ipſos laboraturos. Quidquid autem ſit, dubitari non poteſt, ſummæ utilitatis hos tales inſtituendæ iuventutis labores, ad corrigendas de rebus divinis humanisque opiniones vanas & futiles, in Eccl. Rom. futuros. Certe in Galliis nulla re magis debilitata eſt ſuperſtitio, & religionis aliquanto rectior conformatio præparata, quam emendatione philoſophiæ, & liberioribus ingeniorum exercitationibus. Iuvabit hos fructus ſapiens Verneii noſtri induſtria, qua ſæpius præcepta logica ad uſum

uſum Theologiæ transfert, & ad mores hominum religione abutentium emolliendos; ut, cum de ſenſu myſtico Script. S. diſputat, p. 257. cet. Ita non ſolum peramoenus eſt liber omnis, ſed multis vere atque opportune monitis utiliſſimus; quem ſi ſolis ſcriptum credas adoleſcentibus, falleris.

In hac autem ſecunda editione quid præſtiterit Vir doctiſſ. ipſius fere verbis dicemus. Principio errata, vel librarii, vel typographi incuria commiſſa, quæ ſenſum penitus mutabant, ſuſtulit. Deinde tum verbum, tum explanationem aliquam, ex contextu ipſo deſumtam, paucis in locis addidit, quo apertius mentem ſuam exponeret. Tum notationem unam & item alteram ad oram libri adiunxit, quæ tironibus in iudicando parum exercitatis indicarent loca, in quibus ea fuſius tractarentur. Præterea quædam aliquanto brevius explicanda reputavit, quod in aliis libris ſuis paullo copioſius de iis diſputaſſet. Ad hæc unum pro alio exemplum, quod ſignificantius eſſet & utilius, pluribus locis poſuit. Librum item ſecundum, qui eſt de natura & neceſſitate Logicæ, claritatis gratia diviſit, & Caput ultimum primæ Partis Libri Quarti, in quo de nonnullis propoſitionibus, quæ in uſu ſunt apud Philoſophos, v. c. definitione, diviſione, tradit, adiungendum exiſtimavit. Ad extremum de ſermonis venuſtate & perſpicuitate ita ſollicitus fuit, ut utrumque decus, vel neceſſariam potius virtutem, ſit aſſecutus.

Tulit præmium operæ ſuæ Vener. Auctor in ipſa, cuius cauſſa eandem ſuſceperat, patria. Nam & Epiſcoporum, & ſcholis præfectorum complures, novam lucem Luſitaniæ adfulgentem avide amplexi, ea iuvenum ingenia illuſtrari acriter voluerunt. Quo facto neceſſe eſt præclaram adoleſcentes Luſitanos capeſſere utilitatem, inſtructos videlicet his recte libereque ſentiendi præſidiis, quæ huic & aliis nonnullis *Verneii* libris debent. Accedit ſapientiſſimi Regis *Ioſephi I.* providentia, litteris perquam ſalutaris: cui & inſcripſit librum Cl. Auctor, epiſtola elegantiæ verarumque laudum pleniſſima. Optet iam Hiſpania, optet Germania, qua Pontificem Rom. colit, optent aliæ eiusdem ritus provinciæ, ſuos ſibi *Verneios*,

 hoc

hoc eſt, Philoſophos ingenuos, humanos, qui religionem & rempublicam probe exornent, dignos hac ſeculi felicitate viros.

SOLUTIO DIRECTA PROBLEMATIS DE INVENIENDO centro oſcillationis. Per IOS. STEPLING, S. I. Caeſ. Reg. Direct. Philo. & Artium in Pragenſi Studiorum Univerſitate.

    C   D
A—————*B* ſit linea *AB* rigida, gravitatis & inertiæ expers, mobilis circa *A*, ſintque in ea in *C, D*, puncta inertia ut *M, N*: ac vires activæ iis punctis adplicatæ ut P, *p*; diſtantiæ autem ab *A* ſint *a, b*; & celeritates, quas vires activæ producere poſſunt *v, u*; erit acceleratio angularis vi *P* producta $= \frac{dv}{adt} = \frac{aP}{a^2M+b^2N}$. Acceleratio autem vi *p* producta $= \frac{du}{bdt} = \frac{bp}{a^2M+b^2N}$, & tota acceleratio $= \frac{dv}{adt} + \frac{du}{bdt} = \frac{aP+bp}{a^2M+b^2N}$.

Sumamus, *x* eſſe longitudinem virgæ, cuius extremitati concipiantur adplicata *M*, & *N*, item *P*, & *p*; ſit autem acceleratio eius angularis $\frac{dc}{xdt}$; erit $\frac{dc}{xdt} = \frac{P+p}{x(M+N)}$. Ponamus iam accelerationem hanc æqualem accelerationi virgæ *AB*; & erit $\frac{P+p}{x(M+N)} = \frac{aP+bp}{a^2M+b^2N}$; igitur etiam $\frac{a^2M+b^2N}{aP+bp} = \frac{x(M+N)}{P+p}$; ſi iam *P* ipſi *M*, *p* ipſi *N* proportionalis ponatur, uti eſt in caſu penduli compoſiti; erit: $\frac{a^2M+b^2N}{aM+bN} = x$, ſeu diſtantiæ centri oſcillationis a puncto

ſuſpen-

Digitized by Google

ſuſpenſionis, ſeu ab *A*. Patet autem, ſolutionem latius patere, quam requirat problema de inveniendo centro oſcillationis, & eam tum demum ad hoc reſtringi, cum vires activæ inertiis fiunt proportionales.

INTRODUCTION A L' HISTOIRE DE Dannemarc, &c.

i. e.

INTRODUCTIO IN HISTORIAM DANIAE, CUM ſupplementis, in quibus Edda, per Dn. MALLETUM, Profeſſorem Regium elegantiorum litterarum Gallicarum.

Hafniæ 1755. 56. Alphab. 2. plagg. 10½. in 4.

Dedicatio, qua hoc Opus Regi Daniæ inſcribitur, non eſt ſaporis vulgaris, ſed nova, eaque ingenioſiſſima ratione, laudes deſcribit Sapientiſſimi Principis. In Introductione ipſa agmen ducunt Odinus, & dein Cimbri. Primi has oras tenuiſſe dicuntur Gigantes, genus hominum immane, hoc tamen inclutum, quod promiſſa ſanctiſſime ſervaret, unde manaſſe Proverbium, *Trollorum fides*, aiunt. Agitur hic ſcite de diverſis Hiſtoriæ Danicæ hypotheſibus, & præcipuis Septentrionis Hiſtoricis, Rudbeckio, Torfæo, Saxone Grammatico, & reliquis.

Libro II. exponitur religio vetus Septentrionis, quod argumentum lingua Gallica numquam tam late expoſitum eſt. Principia eius ſimpliciſſima erant. Deus omnium regnator, cui cetera omnia ſubiecta atque parentia. Vocabant eum auctorem omnium, quæ exiſtunt, æternum, Seniorem, Ens vivum & terribile, ſcrutatorem occultorum, immutabilem. Tribuebatur huic Deo potentia immenſa, ſcientia ſine fine, iuſtitia incorruptibilis. Deo Scandinavii opponebant principium malum, quod Lockium appellabant. Erat is iis calumniator deorum, magnus artifex fraudis & falſorum, opprobrium deorum & hominum. Graphice deſcribitur Chaos

Chaos in Mythologia Islandica, dicta Volu-Spa. In principio neque mare erat, neque litus, neque Zephyri flabant refrigerantes. Neque ſubtus terra conſpiciebatur, neque cælum ſuperne. Abyſſus omnia erant, ſine herba, ſine ſeminibus. Domo carebat ſol: ſtellis certus deerat locus: Lunæ incognita erat vis ſua ac poteſtas. Diei noviſſimæ, & animæ immortalitatis quoque notitiam habuerunt. Ad cultum divinum externum pertinebant Templa, Aræ, Idola, dies feſti, Oblationes, Sacrificia, Sacerdotes, Oracula, Aruſpices, Magia. Inveniebantur tamen inter eos & Increduli & Athei.

Libro III. deſcribuntur Politia & leges veterum Danorum. Reges eligebantur, ita tamen, ut familiæ regiæ ratio haberetur præcipua. Frotho, tertius Rex Danorum, idemque adhuc paganus, celebratur inter legislatores. Recenſentur leges ab eo latæ, eæque tam ad belli, quam pacis tempus, pertinentes. Inter omnes nulla magis barbara, quam hæc: „Si peregrinus Danum occiderit, pro hoc Dano duo occidantur peregrini.“ Frequentabantur etiam probationes vulgares, ſeu Ordalia, & nominatim probatio per Duellum, per ferrum candens, vel vomeres ignitos, per aquam calidam & frigidam. Poſtremæ rationem nuſpiam magis perſpicuam inveneris, quam quæ hic proditur p. 116. 117. petita ex ſuperſtitione pagana. Tribuebat hæc ſuum cuique fluvio Genium. Iam innocens habitus eſt, qui ſubmergebatur, quoniam eum Genius, dum ad ſe traheret, protegere velle videretur. Contra, qui ſupernatabant, reiici a Genio videbantur, quod iram eius crimine meruiſſent. In fine libri exponuntur rationes reipublicæ Islandicæ. Regebatur ea a Statibus Generalibus, quorum Præſides 38. recenſet Arngrimus. Fuerunt inter eos inſignes aliquot Poetæ & Hiſtorici. Eiusmodi Præſes Statuum Generalium Islandiæ quoque fuit Snorro Sturleſon, qui Chronicon Regum Norvegiæ reliquit, accuratum in temporibus ſuo vicinis. Occiſus fuit in ſeditione populari 1241.

Libro IV. dicitur de fortitudine, de bellis & re maritima veterum Danorum. Ius eorum omne poſitum erat in viribus. Potentiori proinde ius in omnia vicini impotentioris

tri-

tribuebant, quoniam hic tuendis ſuis impar eſſet. Vagina gentium dicitur Septentrio: ſed numerus militum ab Hiſtoricis ſæpe exaggeratur, ut maius videatur robur ſuorum, victis ut pudor ſit minor, vel ſolo etiam amore mirabilium. Acies eorum in modum cunei formabatur; ceterum ſine ordine prælia committebant, pugnante quovis, ut eſſet ferocior. Arma gladius, bipennis, arcus, & iacula. Ad tutelam corporis clypeus adhibebatur, confectus ex ligno, cortice, aut corio; galea ex ferro plerumque conflata. Sed expeditiones maritimæ veterum Danorum inprimis claræ ſunt. Tectus Oceanus claſſibus eorum Sæculo VIII. IX. X. & XI. Capta Anglia, Pariſii bis obſeſſi, ingens Galliæ portio converſa in Ducatum Normandiæ. Sed Pelaſgi quoque non minus latrones, quam piratæ fuerunt. In Normannis hanc ferociam dein ſedavit manſuetudo religionis Chriſtianæ, quum antea Angli & Franco-Galli frequenter ingeminarent illud: a furore Normannorum libera nos Domine! Americæ Septentrionalis, & in ea Canadæ, detectio facta initio Sæculi XI. Islandis late vindicata ſub finem libri huius. Egit de ea plenius *Torfaeus*, in Hiſtoria Vinlandiæ Antiquæ, ſeu partis Americæ ſeptentrionalis, ex Antiquitatibus Islandicis eruta. Prodiit hoc Opus 1705. Perierat memoria Coloniarum eo deductarum, per temporis longitudinem, & poſterorum negligentiam.

Liber V. idemque ultimus complectitur mores, ritus, & artes veterum Danorum. Uſitata apud eos Polygamia, etiam decimo adhuc Sæculo. Baptiſmus infantium fieri ſolitus, etiam ante quam Chriſtianiſmo nomen darent. Cadavera defunctorum primum igne cremata, dein terræ mandata. Agriculturæ præcipua cura. Opificia & miniſteria ſervis, mulieribus, & ſenibus relicta. Inſigne dein navigationis ſtudium, non tam commerciorum, quam deprædationum maritimarum cauſa. Monetæ, in tribus Septentrionis Regnis cuſæ, ante Sæculum nonum nullâ memoria. Aſtronomia culta navigationis cauſa, aſtris nomina a diis eorum tributa. Sic Orion cunicula, ſive colus Friggæ dictus eſt. In re litteraria

ria notæ virgulæ eorum Runicæ, quibus utebantur inſtar Calendarii. Runæ diſtinguebantur in amaras, ſive nocivas; ſalutares, victorioſas, & medicinales. Superſunt Inſcriptiones his litteris ſaxis inſcriptæ. Lingua, qua Dani veteres utebantur, Celtica erat, quæ per totam Europam regnavit, usque ad fines Hiſpaniæ, exceptis Sarmatis. Antiquiſſima eius veſtigia ſuperſunt in Poematibus Scaldorum, ſive Poetarum Septentrionalium, inter quos primi fuerunt Islandi. Sunt inter ea, quæ Sapphicis Græcorum appropinquant. Sua iam his Poetis clavis erat poetica, ſuum poeticum aerarium, ſuus Gradus ad Parnaſſum. Inter expreſſiones poeticas nulla nobilior, quam ea, qua aurum lacrimas Fregæ dixerunt. Analiſtæ præterea Islandi vincunt Chronographos ceterarum Europæ gentium, certitudine & accuratione, omnes, quotquot poſt exſtinctum Imperium Romanum ſcripſerunt.

Sequuntur Supplementa, ſeparatim edita. In Præfatione agitur de Edda. Edda aviam ſignificat, & proinde hoc libro continentur traditiones veteres religionis Celticæ. Duæ eius Collectiones notæ ſunt. Prior in ordinem redacta eſt a Sæmundo Sigfuſſon, nato 1057. Poſteriorem congeſſit Snorro Sturleſon, iam ſupra laudatus, CXX. annis poſt, in forma Dialogi. Huius poſterioris Eddæ pars prima hic curate in linguam Francogallicam converſa, proponitur cum annotationibus. Ex ſecunda parte præcipua tantum ſeliguntur. Ex Edda prima Sæmundi ſuperſunt: 1. Voluſpa, ſive Oracula Prophetiſſæ; 2. Hava-maal, ſive Diſcurſus ſublimis, aut Odini doctrina moralis; 3. Caput Runicum, ſive Magia Celtica. Ex hac prima Edda excerpta ſuppeditantur, poſt finem ſecundæ. Crude de Edda iudicat *Huetius*, de Origine fabularum Romanenſium p. 116. Scripta fuit Edda utraque in veteri lingua Islandica, ſed iam dudum translata eſt in linguam Danicam & Suecicam. Primam eius Editionem Reſenius dedit Hafniæ 1665. in 4to. Continet hæc Editio textum Eddæ, verſionem latinam, factam a docto Eccleſiaſte Islandico, Stephano Olai, & verſionem Danicam Stephanii. Textus a Reſenio parum illuſtratur. Prolixa eſt præfatio eius: ſed maxima

xima

xima illius pars expletur excurſionibus in Platonem, de optimis Ariſtotelis editionibus, de novem Sybillis, & de Hieroglyphis Aegyptiorum. Ex Edda ipſa, hæc ſpecimini inſerviant. Ex fabula prima. Gangler ſic coepit colloquium ſuum. Quis eſt antiquiſſimus, aut primus deorum? Har reſpondit. Appellamus eum Alfader, id eſt, Patrem omnium. Pergit Ganglerus: Quis eſt deus iſte? quæ eſt eius poteſtas, & quid fecit, ut celebraretur gloria ipſius? Reſpondet Har: vivit in perpetuum, gubernat regnum ſuum, & res parvas perinde ac magnas. Iahnfar addit: creavit cælum & terram & aerem. Proſequitur Tredie: plus fecit, quam cælum & terram; creavit enim homines, eisque dedit animam immortalem, & qui nunquam interibit, etiam poſtquam corpus evanuerit in pulverem & cineres. Omnes autem iuſti homines habitabunt cum eo in loco dicto Gimle, mali autem ibunt in locum dictum Hela. — Alterum exemplum ex Fabula XXXIII. depromimus. Gangler interrogat: quid ſupererit, poſtquam mundus combuſtus erit, & perierint dii, heroes & homines? Tredie reſpondet: erunt poſt cuncta hæc prodigia complures habitationes amoenæ, & complures ingratæ; — — in illis habitabunt homines boni & iuſti — — in his periuri, aſſaſſini, & adulteri — —. Naſcetur ex mari alia terra, pulcra & amoena, tecta pratis & graminibus, ubi herbæ ſponte naſcentur, & ſine ſeminibus. — Ex cultiſſimis annotationibus ad hanc Eddam hæc delibamus. *Eccardus* de Origine German. pag. 41. Odinum non ex Aſia, ſed ex Wandalia, ſive Pomerania, in Sueciam veniſſe, cenſet: ſed repugnant traditiones omnis ævi. Teut, patrem deſignat in lingua Celtica, & ſupereſt ſignificatus hic in lingua Britonum. Roſtrenen (in Diction Celt. p. 712.) Semideæ illæ, quæ in Fabulis Romanenſibus Fées appellantur, ex Theologia Celtica originem habent. Hydromeli & carnibus aprugnis Normanni noſtri inprimis delectabantur. Unde in Lege Salica caput II, conſtans 20. articulis, de iis ſolum agit, qui porcos abegerint. Eadem de cauſa Aeſtii, inſigne ſuperſtitionis, formas aprorum geſtabant. Ex Perſarum Philoſophia

manaſſe videtur doctrina Odini. Mundi exuſtionem tamen etiam Stoici prædixerunt. Ex mente eorum Lucanus:

Hos populos ſi nunc non uſſerit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti.
Communis mundo ſupereſt rogus. —

Secundæ partis Eddæ Epitome tantum datur. Eſt ea mere hiſtorica, ſeu potius fabuloſa. Proxima eſt Scalda, ſeu Dictionarium Poeticum Snorronis Sturleſon. Gaudet in eo Odinus Epithetis 126. Verſus accedunt ad hodiernos noſtros, & ad Acroſticha, quorum frequens uſus apud Hebræos. Excipit hæc Breviarium Eddæ Sæmundi, ſive Eddæ veteris. Inter Odini præcepta moralia hæc optima viſa ſunt: Felix ille, qui laudem & benevolentiam ſibi hominum conciliat; quicquid enim ab aliorum nutu pendet, periculoſum eſt & incertum. — Homo ignavus credit ſe ſemper vita fruiturum, ſed ſi ei lancea parcat, non parcet ei ſenectus. — Præſtat vivere bene, quam diu; excitat aliquis ignem, & moritur antequam exſtinctus ſit. — Præſtat habere filium tarde, quam nunquam; raro monumenta ſepulcralia in ſepulcris mortuorum ab aliis manibus, quam filiorum, eriguntur. — Senem ne irriſeris, neque avum tuum ſenem; ſæpe ex rugis ſenilibus proficiſcuntur verba plena ſapientiæ." Magiæ nomine Odino veniebat ars ſcribendi litteris Runicis. Quando video hominem mortuum, inquit Odinus pag. 146. & ſuſpenſum ex altitudine arboris, ſcribo litteras Runicas tam mirabiles, ut ſtatim deſcendat, & mecum colloquatur. In fine libri comparet verſio Odæ, quam Regnerus Lodbrog, Rex Daniæ, ſæculo IX. ineunte, inter tormenta, quæ mortem eius antecedebant, compoſuiſſe dicitur. Periit ex morſibus ſerpentum, quibus carcerem repleri iuſſerat Ella, Rex Angliæ, a quo captus erat. Dictavit hanc Odam fanatiſmus gloriæ, excitatus fanatiſmo ſuperſtitionis. Forſitan unam aut duas Strophas Regnerus ipſe compoſuit. Reliquas adiecit e Scaldis aliquis, in funeralibus eius. Sequuntur Excerpta ex Oda, quæ inſcribitur Elogium Haquini; & verſio Poematis, cuius titulus, Hiſtoria Caroli & Grymmi, Regum Sueciæ, & quod ante 22. annos pri-

Digitized by Google

primum edidit Dn. Biörner, Suecus. Hæc hactenus. Optamus autem, ut Opus egregium, cuius primus Tomus iam eſt in manibus noſtris, ſine remora perficiatur.

USUS OPII SALUBRIS ET NOXIUS IN MORBOrum medela, ſolidis & certis principiis ſuperſtructus, a D. BALTHASARE LUDOVICO TRALLES, Med. Vrat. atque Acad. Caeſ. Nat. Cur. Socio. SECTIO PRIMA.

Vratislaviæ 1757. ſumptibus Caroli Godofredi Mayeri, Alph. 2. in 4to.

Quamquam tot ſcripta de opii natura & viribus proſtant, ut magis copia, quam inopia eorum, laborare videamur: eorum tamen, qui librum hunc perutilem attento animo perlegerint, nemo facile quisquam, celeberrimum TRALLESIUM ſcriptione ſua labores iam actos denuo præter rem ſuſcepiſſe iudicabit. Inſtrumenta enim, quibus artis opera perficienda ſunt, niſi bene perſpecta cognitaque fuerint, a nemine medentium dextre regi adhiberique poſſe ſatis conſtat. Hactenus autem opium, quod remediorum omnium maxime neceſſarium eſſe, medicus, artem reapſe exercens, dubitare nequit, multis difficultatibus obnoxium fuiſſe ex eo poteſt intelligi, quod pharmacum hoc ab aliis ſumma laude dignum, ab aliis plane noxium habitum eſt. Tot igitur tantisque dubitationibus ſcrupulisque propoſitis permotus Celeberrimus Auctor, ſingulari ſtudio in id incubuit, ut medicamenti huius virtutes cognoſceret, erutasque cum orbe litterato communicaret. Id quod etiam, noſtro quidem iudicio, tam præclare exſecutus eſt, ut exemplo eſſe poſſit iis, qui de aliis generoſis pharmacis, de mercurio, ferro, cortice peruviano, tractare in animum induxerint. Prior autem hæc Sectio, quam poſterior propediem ſequetur, medicamenti huius theoriam continens, octo capitibus diſtincta eſt. *Cap. I.* Hiſtoria generalis uſus Opii, & factorum eius in praxi medica enarratur. Notum eſt omnibus diſcrimen illud inter opium & meconium. Iſtorum prius eſſe veram papaveris lacry-

mam lacteam, alterum vero nil niſi ſuccum ex papaveris capitibus expreſſum, & igne inſpiſſatum, plerique de materia medica ſcriptores contendunt. Nonnulli tamen opium, quo nos utimur, ex vero opio & meconio mixtum eſſe perhibent; pauci cum Cl. ALSTONO ipſam papaveris lacrymam ad nos venire credunt. Opio illi, ex orientalibus plagis ad nos allato, recte ſubſtitui poſſe lacrymam papaveris Europæi, & aliorum, & propriis experimentis cognovit Cl. Auctor. Monet autem lectores, ut duo illa extrema vitent, in quæ delapſi ſunt HEQUETUS & STAHLIUS; quorum ille plus iuſto laudat, hic cum aſſeclis ſuis tantum non damnat opii uſum. Et Stahlianorum quidem ideam vitare difficile non eſt, cum ii ipſi pilulas illas de cynogloſſa, quarum virtus opio ſoli debetur, haud infrequenter commendent adhibeantque. Papaver ipſum, h. e. eius ſemen, antiquiſſimis temporibus cognitum fuiſſe, omnique vi ſoporifera carere, A. docet; quo autem tempore eius lacryma, huiusque vis ſoporem inducens, in artem recepta ſit, ipſi parum conſtat. In ſcriptis enim HIPPOCRATIS, præter illum locum *Lib. II. de morb. mulier.* §. *79.* vix alius quisquam exſtat, qui de uſu opii ipſius teſtetur; cum interim ille ipſe locus allegatus non parum difficultatis habere doctiſſimis interpretibus videatur. Maiori igitur veri ſpecie laudem hanc tribuendam Empiricis eſſe putat, quod opii frequentiorem uſum in praxin medicam introduxerint. Poſt Empiricorum tempora, uſus opii minus frequens fuit, GALENO etiam valde ſuſpectus. Neque AETIUM, TRALLIANUM, PAULUM AEGINETAM, aliosque ex Græcis, opium valde commendaſſe, ſcripta eorum ſatis probant. Quæ cum vera ſint, mirari ſubit, quid cauſæ fuerit, cur compoſitiones opiatæ, notiſſimæ illæ, tam frequentatæ olim fuerint? Procul dubio vim nocentem opii, additis variis pharmacis, correctam ſublatamve crediderunt. GALENI ſectatores poſtea uſum opii, tanquam medicamenti in quarto gradu frigidi, reformidarunt; donec PARACELSUS, laudano ſuo miracula præſtare viſus, doctiſſimos quosdam viros excitaret, & opio faventes faceret. Ex eo tempore opium varia fortuna uſum

eſt,

eſt, ita ut ab aliis laudaretur, ab aliis culparetur. *Cap. II.* continetur ſuccincta recenſio phænomenorum omnium, quæ opium aſſumtum in corpore humano inſequuntur. Sunt autem ſequentia: a) Opium exhibitum, pulſum cordis & arteriarum, adeoque omnem circuitum humorum, intendit, & accelerat. Hoc phænomenon ſemper advertet, & contrarium aſſerentes Auctores errare fatebitur, obſervator ſatis ſolers. Cauſa, cur illi contrarium defendere ſuſtineant, in eo ſita eſt, quod arteriarum ictus non ſtatim poſt aſſumtum opium, ſed finita propemodum eius operatione, explorarunt; aut etiam ea phænomena annotarunt, quæ auctam ultra modum doſin ſequi ſolent. Vis quoque cardiaca, opio ab optimis Auctoribus tributa, veritatem ſententiæ noſtri Auctoris ſatis firmat. b) Opium calorem corporis naturalem auget. Refelluntur hoc loco ab A. illi, qui, contrariæ ſententiæ addicti, vim refrigerandi opio tribuunt. Et quamquam phænomeni huius veritatem ſatis ſuperque probat experientia; clari tamen viri rectiora ſentientes adducuntur, & præterea ex analogia vini, alcoholis vini, ſalium volatilium, atque opii, & ex experimentis cum animalibus brutis inſtitutis, tandem ex experimentis in hominibus, ex ſapore calido & acri, ex ſiti, aliisque, opii virtus calefaciens ulterius confirmatur. c) Opium ſanguinem, celerius a ſe motum, per vaſa, & calidiorem redditum, rarefacit, attenuat, eiusque volumen auget. Maior hæc ſanguinis expanſio optime colligitur ex vaſorum omnium maiori amplitudine & turgeſcentia, quam ſedulus obſervator, poſt datum homini opium, non poteſt non uſurpare oculis. Nec fieri poteſt, quin effecta illa priora litt. a. b. ſequatur hoc tertium. d) Opium reſpirationem citatiorem & difficiliorem reddit. Circa hoc phænomenon nobis exiſtit dubitatio, neque nos, ab opio iuſta doſi dato, reſpirationis difficultatem ortam obſervare adhuc potuimus. Opium quidem, minori etiam copia ſumtum, reſpirationem facere paulo citatiorem debet per litt. a. b. c. ſed hoc celeritatis augmentum in perpaucis tam magnum eſt, ut in ſenſus incurrat. Rariores vero obſervationes de quibusdam hominibus, aut

de

de opio nimia quantitate ingeſto, regulam non efficiunt. e) Opium, ſanguinem celerius provolutum, calidioremque & rariorem redditum, copioſius determinat ad caput. Hoc & alii obſervatores annotarunt, & Cel. Auctor in ſe ipſo expertus eſt. Idem etiam docuit diſſectio canum, opio enectorum. f) Opium pacat animum, eumque exhilarat, atque alacrem & audacem reddit. Quæ quidem obſervatio non ſolum ab omnibus in Aſia & Africa peregrinantibus confirmatur, ſed quotidie etiam in noſtris regionibus occurrit. g) Opium temulentiam, torporem, & ebrietatem inducit. Neque de hoc phænomeno dubitari poteſt. h) Opium naturale acumen ſenſus obtundit & minuit, eoque præter naturam aucto, natos dolores ſedat. Neque de hac opii virtute, eſt, cur multas afferamus probandi rationes, cum nemo medentium de ea ambigere queat. i) Opium vires, motui animali famulantes, debilitat. Hanc virium imminutionem cernimus in omnibus animalibus, quibus opii copia paulo largior data fuit: paulo enim poſt omnibus membris, quin toto corpore, contremiſcunt; homines autem, qui opium aſſumſerunt, ſequenti die de inſigni membrorum torpore conqueri ſolent. k) Opium ſomnum invitat, interdum in altum ſoporem extenſum, qui ſi ingraveſcat, accedente vera apoplexia vel convulſionibus, necat. Hoc nimis notum eſt. l) Opium dormientibus inſomnia, ab uſu autem eius in ſomnum non prolapſis, ſed vigilantibus, conciliat phantaſmata atque deliria etiam. Nonnunquam largiore, vel chronico uſu, inſaniam, ſtuporem, memoriæ defectum, dementiam & fatuitatem adfert. m) Opium ſtimulos venereos excitat. n) Opium excretionem cutaneam, diaphoreſin, valide, & utplurimum cum pruritu movet, ſed alias ſeroſas compeſcit. o) Opium functioni ventriculi inimicum eſt: & p) alvi libertatem inhibet. Atque hæc omnia teſtimoniis Auctorum probatiſſimorum, & propriis obſervationibus illuſtrat doctiſſimus TRALLES. *Cap. III.* analyſis opii phyſico-chemica traditur. Opium autem igni expoſitum, quocunque demum modo, ſpargit vapores olentes. Aqua ab opio per alembicum tranſcendens, manifeſtum opii odo-

odorem naribus offert. Spiritus vini ab opio deſtillatione abſtractus, & ſaporem & odorem ſecum ducit. Opium, aqua calida infuſione, digeſtione, vel leni coctione ſolutum, in ſuperficie exhibet ſpumoſam, pinguem, viſcidam materiam, haud ita multam, odoris valde graveolentis; ipſa autem hæc aqua, evaporando inſpiſſata, largitur extractum opii gummoſum. Iſtud tamen non penitus gummoſum eſt, ex quo quippe ſpiritus vini rectificatus partes duas tertias ſolvit. Illud vero craſſum reſiduum, quod aqua ſolvere non poterat, ne tingit quidem aquam ſecunda vice ſuperinfuſam, vini vero ſpiritum affuſum tingit. Qui quidem ſpiritus ita ſaturate tinctus, ſi aquæ inſtilletur, lacteſcit aqua, ac principium reſinoſum ſubſidit; quod dein collectum & ſiccatum, igne admoto flammam concipit, & deflagrat. Notandum eſt, nullo menſtruo ita ſolvi opium poſſe, ut non remaneat terra plane inſolubilis. Uti aquoſo extracto ineſt multum reſinoſi, ita extracto ope ſpiritus vini rectificatiſſimi parato non parum ineſt gummoſi; aqua enim ei affuſa magnam eius partem ſolvit. Ex magmate quoque, a ſolutione ſpirituoſa reſiduo, partem quandam in ſe recipit aqua affuſa; quæ ſi deinde igne difflatur, remanet verum & purum gummi. Præter illas partes, opio eſſe ſalinas quaſdam, acidæ indolis, peritiſſimis chemiæ artificibus credendum eſſe A. putat. Actio vero partium earum in hominem ſic habet. Vapores, quos opium ratione quaecunque tractatum ſpargit, caput valde tentant, hominemque ſomnolentum reddunt. Aqua ab opio deſtillata, ſpiritus ab opio abſtractus, ſubſtantia illa ſpumoſa aquæ innatans, ipſum opium crudum, vel extractum opii aquoſum, aut ſpirituoſum etiam, vim ſoporiferam exſerunt. At opium igne toſtum aut in vaſe maxime aperto ſat diu cum aqua coctum, item extractum ſpirituoſum, aqua ſat diu coctum, nec non gummi illud paucum cum aqua extractum, ex magmate poſt ſolutionem opii in ſpiritu vini factam reſiduo, nullarum virium eſt. Inde colligitur, principium opii vaporoſum & volatile, eſſe veram cauſam omnium effectuum, quos præſtat opium. Nunc *Cap. IV.* inſtituit A. indagationem actionis pri-

 mariæ

Digitized by Google

mariæ opii in corpus humanum, ex principio agente cognito, per prægreſſam analyſin; atque cum PITCARNIO, aliisque eum ſecutis claris viris, ex rarefactione ſanguinis, ab opio effecta, deduci poſſe credit phænomena uſum opii conſequentia, ſic tamen, ut ſimul certa quædam opii actio in nervos aſſumatur, inexplicabilis illa quidem, haud tamen fictitia, ſed compluribus rationibus aſſerta & comprobata. Poſteaquam & rarefactionem ſanguinis, & mutationem nervorum, ad actionem opii primariam in corpus humanum pertinere demonſtravit, *Cap. V.* phænomenorum, poſt uſum opii emergentium, ætiologiam exponit, deductam ex actione opii primaria cognita illa, in ſanguinem & nervos. Quod quidem ita peragit, ut experientias quindecim illas Cap. II. litt. a - p. ordine pertractet, viamque & rationem doceat, qua effectus illi ex iſta primaria actione opii conſequantur. Quæ quidem diſputatio cum in utramque partem habita ſit, neque adeo compendium admittat, lectores noſtros ad ipſum librum ablegamus, & ad *Cap. VI.* properamus, quo corporis humani diverſus ad opium habitus exponitur. Reperiuntur haud pauci homines, qui ob idioſyncraſin opium, vel minima doſi ſumtum, quin correctum etiam, prorſus ferre nequeunt, quin protinus ſymptomata graviſſima oriantur. Cauſa videtur eſſe fabrica vaſorum cerebrinorum illa, qua fit, ut vaſa nimis facile cedant, ſuique impletioni nimis facile faveant. Præter hanc vero etiam textura cerebri ipſius pulpoſi, huiusque teneritas atque mollities maior, facit, ut cerebrum preſſioni vaſorum incumbentium facilius cedat, comprimatur adeo, actionemque nervorum interturbet. A qua quidem cerebri teneritate procul dubio pendet totius ſyſtematis nervoſi mobilitas; & inde porro eſt, quod opium, ventriculo vix dum ingeſtum, homines afficere nonnullos, valdeque mutare ſoleat. Hinc celeberrimi medici experti aſſeverant, eos, qui corpore valido quadratoque gaudeant, pharmacum hoc melius ferre, atque ſecurius eo uti; vehementer autem id officere illis, qui oppido graciles ſint, carnesque molles ac flaccidas habeant: quare etiam recte monent, ſi membra partes-

que

que motivas languor & enervatio cum ſtupore occupet, opiatis remediis omnino ſuperſedendum eſſe, eaque debilitatis ab hæmorrhagia, inedia, morbisque diuturnis, non convenire. Unde ſimul liquido patet, opium in corpore humano aliud quid agere, quam ut rarefaciat humores; homines enim illi remedia re ipſa rarefacientia, aromatica & volatilia, vinumque ipſum, ſæpius magno cum levamine ſumunt. Tandem & cutis fabricam, raritatem & denſitatem maiorem minoremve, aeris ambientis conſtitutionem, perſpirationi magis minusve faventem, ipſiusque adeo coeli & climatis differentiam, ad cauſas pertinere A. putat, propter quas alii opiata facilius, alii difficilius ferant. Nempe ii, qui liberiori tranſpiratione cutanea gaudent, facile opiata ferre obſervantur. Hinc orientales populi doſes opii largiores, diuque continuatas, ſine notabili noxa devorant. Quod ſecus accidit gentibus plagas ſeptentrionales habitantibus. *Cap. VII.* de correctionibus opii inutilibus & imaginariis agitur. Ab antiquiſſimis inde temporibus opii vis nocitura, medentibus reformidata, excitavit medicorum ſolertiam, qua, ſi poſſent, viam certam quandam reperirent, aut nocivum ex opio & papavere ſeparandi, aut id additis variis pharmacis corrigendi. Hinc tot compoſitiones opiatæ olim excogitatæ, magnamque conſecutæ famam, tot molitiones chemicorum medicorum, opium lenire conantium. Longa ſerie recenſet Cel. Auctor opiniones Medicorum, pro neceſſitate correctionis militantium; neque tamen illos omittit, qui nihil ad feliciorem curationem conferre iſtas correctiones contendunt. Quo quidem loco de præparationibus & correctionibus variis mercurii, martis, & corticis Peruviani, utilia quædam affert, & medicamenta ea ſimplicia omnibus laborioſiſſime præparatis præſtare arbitratur. Hoc oſtenſo, tranſitum facit ad ipſas correctiones opii. Notum omnibus eſt, veteres, opii frigus metuentes, addidiſſe aromata calidiſſima, & pharmaca acerrima quævis. Alii caſtoreo, alii croco, nonnulli recentiorum ſalibus volatilibus, peculiarem virtutem corrigendi opium tribuerunt. Hæc tamen omnia vana ſunt, ſi opium magis calidum quam frigi-

dum pharmacon dicendum eſt. Quare omnes illas, tum veterum tum recentiorum, compoſitiones opiatas nihil putat; ſed purum putum opium, tempeſtive & iuſta doſi datum, aeque bona effecta præſtare credit. Uti vero compoſitionibus parum favet, ita nec cæteris præparationibus multum tribuit. Toſtione & effumatione ſuper lamina ferrea, ſubiectis carbonibus, opium non corrigi, ſed vim eius deſtrui, neque correctionem ſive ſpirituoſam, ſive aquoſam, crudo opio præſtare, tum exquiſitis rationibus, tum experimentis docet. Idem iudicium fert de correctione per fermentationem, per acida, per alcalina; ac prorſus in ea ſententia eſt, omnia illa correctionum molimina opium vel depravare, vel vi naturali ſua exuere, & medico practico ſufficere, ad curationes elegantiſſimas, & feliciſſimas morborum opiatis levandorum, vel crudum opium in forma ſolida, vel, ſi forma fluida deſideretur, ſolutionem vinoſam illam SYDENHAMII. Tandem *Cap. VIII.* de doſibus opii ſermonem habet, ac primo quidem largas doſes populorum orientalium enarrat, & fide ſcriptorum refert, haud paucos in Aſia & Africa natos, ibique degentes, opium ad drachmam unam, ad drachmas duas, tres, imo plures, ſine notabili noxa devorare, & per plures quidem annos quotidie. Cuius quidem rei admiratio celeberrimos in Europa degentes medicos ita perculſit, ut, populos orientales non efficaciori illo opio, quo nos utimur, ſed longe mitiori quodam, delectari, opinarentur. Quod tamen prorſus falſum eſſe Cl. Auctor oſtendit, & ſolam conſuetudinem facere, ut populi illi tantam opii copiam impune aſſumere queant. Neque deſunt exempla apud nos, quæ, quid conſuetudo poſſit efficere, ſatis ſuperque doceant. Fumus tabaci, ſpiritus vini, vinum ipſum, quantas pariunt turbas non adſueto? Quæ tamen ab adſuetis incredibili nonnunquam copia hauriuntur. Quare & Europæorum nonnulli magnas opii doſes quandoque ferunt, & per conſuetudinem ferre diſcunt; quorum non minimum indicem A. exhibuit. Sed damnat hanc temeritatem, & fatetur, ſe nunquam in praxi opium ultra granum exhibuiſſe, neque unquam ægris ſuaſorem fuiſſe, ut

con-

Digitized by Google

conſuetudini doſes opiatorum in dies augendi indulgerent; quanquam conſuetudinis vim magnam eſſe non neſciret, eorumque Europæorum etiam exempla non pauca exſtarent, qui opium largiſſima manu, ſine manifeſto quidem damno, quin interdum quoque cum magno levamine, aſſumſerint. Ut enim illa ſatis vera ſint, ita nec deeſſe triſtes caſus, ubi homines propter paulo largius exhibitum opium æterno ſomno oppreſſi ſint, aut, damnoſæ conſuetudini opium quotidie vorandi indulgentes, omne robur cum animi tum corporis fregerint perdiderintque. Tandem notat, & merito admiratur, animalia bruta, canes, feles, catos, cuniculos, multo plus opii tolerare, ſuperſtite vita, quam umquam ferre homines queant; prorſus enim impune animalia ferre grana quatuor vel quinque, quæ ſumma doſis ſit, & ultra ſummam iam extenſa, pro hominibus. Adducit expertos medicos, quidque de iuſta opii doſi ſenſerint, refert. Optimum videtur, ut granum unum, vel duo, in aliquot præbia dividi curemus, quæ partitis vicibus per temporis intervalla longiora aut breviora exhibeantur, donec aut ſomnus obrepat, aut dolores minuantur, aut ſpaſmi conquieſcant. In fine demum libri monet lectores, apud Europæos, & inter eos apud homines non adſuetos, doſes a quarta grani parte ad granum unum, unum cum dimidio, vel ad ſummum duo ſufficere, maxime ſi repetantur, ad producenda effecta illa, de quibus Cap. II. dictum ſit. Sectionem alteram libri eximii avide exſpectamus.

IN VARIOLARUM INOCULATIONEM DISSERtatio epiſtolaris ad Nobilem & Sapientem Virum D. SYLVESTRUM ANTONIUM PONTICELLI, &c. ſcripta a FRANCISCO COMITE RONCALLI, Parolino.

Brixiæ 1759. pl. $1\frac{1}{2}$. in 4.

Inſitio variolarum, noſtra ætate magis, quam præterlapſis temporibus, Medicos Europæos faventes quidem nacta,

 haud

haud paucis tamen, iisdemque non levibus dubitationibus, implicita & impedita, Celeberrimo huius diſſertationis Auctori tam parum laudanda viſa fuit, ut is ſubinde etiam acriter eam perſtringeret. Rem profecto tam arduam, ſpatio tam parvo, pro dignitate pertractari potuiſſe, plurimi lectorum noſtrorum dubitabunt. Putat quidem Cel. Auctor, varioloſum fermentum in omni homine latere, & eſſe agens illud aptum ad promovendam humorum omnium efferveſcentiam, in puncto & caſu illo, quo humorum deſpumatio, natura operante, effici debet, ut purum ab impuro ſeparetur. Hinc quæſtio enaſcitur, num varioloſum luctamen arte poſſit promoveri, & ſuſcipi ſine umbra periculi, & cum minori corporis iactatione & labore. Ad eam quæſtionem ut reſponderet Vir doctiſſimus, de inoculationis eventu ſex capitulis agendum eſſe cenſuit. Nos libere, etſi breviter, de iis iudicabimus, quando placuit Auctori illuſtriſſimo, noſtrum de hac ſcriptione iudicium humaniſſimis litteris requirere. Primo igitur experimenta inoculationis & contagii Brixiæ ad actum perducta retulit. Et caſus quidem primus iam anno 1739, ſævientibus in urbe Brixia variolis confluentibus, obſervatus eſt. Inter multos alios perierunt fraterculi ſex, ſeptimo, tres annos nato, ſuperſtite. Hunc ſervare cupiens patruus, de inſitione variolarum cogitavit. Purgato corpore, extracto ſanguine, obſervata diæta, inſitio peracta eſt; quatuor in locis, brachiis ſcilicet & coxis, ſumta ſanie a variolis benignis, ad maturationem iam redactis, puεruli, qui per ſolum nycthemeron lecto decumbere coactus fuerat. Per quinque dies nihil novi atque inſoliti; ſexta nocte vigilavit, febris ſurrexit, dolorque capitis, omnia in peius ruere, ita ut cum celeri pulſu, tendinum ſubſultibus, convulſionibus, & orthopnoea ac ſtertore, puer morti proximus videretur. Summo mane ſeptimæ diei pulſus fuit exilis, facies ad inſtar cadaveris, oculi ſtrabiſmo affecti. Die nona puer ſomno ſepultus iacuit; at imminuta febri, & quieſcente tendinum ſubſultu, cibum non reſpuit. In vultu apparuere maculæ futurarum papularum indicia. Die decima deliravit, tandem tamen variolæ

evi-

Digitized by Google

evidentes emerſere, & undique in multis locis conſueto more ad maturationem pervenere, parum diſſimiles illis, a quibus ſanies petita erat. Quatuor inflicta vulnera evaſere ulceroſa, & per menſem integrum pus ſuderunt. Suborta denique diarrhoea, puer ſecundam valetudinem recuperavit. Caſus alter eventum variolarum contagio ortarum reſpicit. ANTONIVS RINALDINVS, medicus doctus, filiolam quatuor annorum, ad lectum filioli, variolis benignis & utique boni moris frequenter adſtare iuſſit, ut varioloſum morbum contraheret. Puerulus morbum ſuperavit, at filiola variolis contagio acceptis diem obiit, quanquam nihil eorum, quæ a primis inde morbi initiis, perque totum morbi decurſum agenda erant, neglectum eſſet. Sed quid inde? nihil profecto, quod inſitionem reiiciendam eſſe ſuadeat. Nam fraterculi ſex periere variolis contagio contractis, ſeptimus, qui inſitione eas acceperat, incolumis evaſit. Nonne hoc commendabilis fit inſitio? Filiola autem illa, quæ variolis contagione acceptis periit, fortaſſe ſervata eſſet, ſi per inſitionem conſueto more peractam excitata eſſent ulcuſcula, pus fundentia. Capitulo II. ſententiæ exponuntur recens exortæ, clariſſimorum virorum, qui omnes inoculationem improbant. Capitulo III. fundamenta & rationes, quibus innititur & probatur ſententia Clariſſimi Viri, comprehenduntur. Sunt autem fere hæc. Eo, quo inoculatio peragitur tempore, temperamentum pueri fortaſſe non eſſe diſpoſitum ad deſpumationem; hinc ſi exacta ſuppuratione forſan non ſatis expurgatus ſit ſanguis, futurum eſſe, ut cutis a cicatricibus vitiata eruptionem variolarum denuo oriundarum impediat; dari homines, quibus cutis ita denſa ſit, ut tota vita nulla exanthemata efflorеſcere poſſint; porro vim puris iniecti eſſe magnam, hinc de vita timendum eſſe; aut vim eam eſſe tenuem, impotentem, ideoque exiguum luctamen, ergo ſanguinem forſan non ſatis expurgatum facere metum recidivæ, cum non deſint homines, qui bis, ter, quater, quinquies, imo ſepties paſſi ſint morbum varioloſum; tandem non per omnia adhibendam eſſe fidem Auctoribus, qui de utilitate inſitionis ſcripſerint. Cap. IV. reli-

religio incutitur animo eorum, qui inſitionem ſuadent. Cap. V. iuſto vehementius declamat Cel. Auctor contra patronos inoculationis; nec tamen quidquam probare nobis videtur. Cap. VI. remediorum curationi morbi varioloſi idoneorum formulæ nonnullæ, eædemque haud novæ, traduntur. Denique in poſtſcripto rurſus adducuntur teſtimonia virorum quorundam eruditione excellentium, narraturque, Regem Pruſſiæ, re prius excuſſa, variolarum inoculationem palam damnaſſe, atque in exilium miſiſſe non ſolum, ſed poena graviſſima multaſſe inſitores, ipſosque inſitos, aut pro ipſis, ſi pueri ſint, eorum cuſtodes, agnatos, tutores; de quo tamen nobis plane nihil innotuit. Si igitur liceat, libere, ut ſolemus, dicere ſententiam, fatebimur, ill. Roncallium, neglectis recentiſſimis pro variolarum inoculatione ſcriptoribus, Anglis inprimis, multa in contrarium dixiſſe, ingenioſe magis, quam vere; alia, quæ non pertinent ad rem; iterum alia, (ut p. 8. Punctum Theologis proponendum,) quæ a Viro talis doctrinæ ſcripta nollemus; denique plurima, quæ præiudicium auctoritatis ſapiunt, quod præſtringit aciem iudicii: v. in primis pag. 5. & 11. Neque in Luſitania, hoc noſtro tempore, ita quisquam, ſine reprehenſione æquiſſima argumentabitur: *Vir pietate & doctrina ſingulari, Ieſuita, dixit, igitur verum eſt.* Iſtiusmodi autem argumentorum, in diſſertatione Roncalliana plena ſunt omnia.

SEBASTIANI CORRADI QUAESTURA, PARTES DUAE, quarum altera de Ciceronis vita & libris, item de ceteris Ciceronibus agit: altera Ciceronis libros permultis locis emendat, nunquam antea extra Italiam edita.

Lipſiæ 1754. ap. Ioh. Wendlerum, 1. Alph. 3. pl. in 8.

Si litterarum græcarum & latinarum, cum diſcendarum, tum docendarum, accurata & promta diſciplina, eadem bene & intelligendi & cogitandi diſciplina eſt; ſi his litteris, id quod magnus *Lutherus* ſæpius dixit, via ad chriſtianæ religionis

gionis integritatem reſtituendam ſic munita eſt, ut earum neglectu nihil aliud, quam ut foediſſimæ barbariei & ſuperſtitioni fores quaſi aperiamus, efficiatur; ſi denique hæ litteræ ingenium acuunt, per omnes vitæ humanæ partes venuſtatem & elegantiam quandam explicant, & liberaliſſimam nobis voluptatem adferunt: quantam admirationem debent ſui iniicere, qui in his litteris quaſi domicilium ingenii atque doctrinæ conſtituunt? quantis laudibus, quali amore digni videri, qui veterum libros bene interpretantur, hominum animos ad pulchritudinis ſenſum acuunt, omnemque ad honeſtatem conformant, utiliſſimos reipublicæ cives præſtant, vitamque noſtram ſuaviter exhilarant? *Erneſtium* igitur noſtrum, quis tam parum venuſtus, tam nullo pulchrarum rerum ſenſu præditus eſt, quin omnibus laudibus dignum cenſeat, quæ virtutis præſtantiæ, amoenitati ingenii, maximæ diligentiæ, ſummoque de bonis litteris, atque adeo de toto humano genere optime promerendi ſtudio debentur? Iam quantum, (etſi enim & *Erneſtianis* virtutibus eiusmodi theatrum datum eſt, ut nemini illæ ignotæ eſſe poſſint, & vir doctiſſimus non tam ut laudes audiat, quam ut laudabilia faciat, bene de litteris mereri cupit, dicamus tamen, quod ſentimus, libere:) quantum igitur laborem, quantam operam, ad illuſtrandos Ciceronis libros contulit! Nam ut de eo nihil dicamus, quam felici imitatione Ciceronianam dictionem expreſſerit, non ut verbum Ciceroni inauditum fugeret, *improviſum aſpris veluti qui* —, ſed ut illa elegantia, quæ citius ſentiri quam doceri poteſt, orationem quaſi colorarct; nonne bis omnes Ciceronis libros deſcribi curavit, atque ita curavit deſcribi, ut neque elegantia illis deeſſet, neque ſumtus eſſet emturis nimius? eruditiſſimisque indicibus hanc editionem ornavit? Ciceronem nonne diligentiſſime ſemper interpretatus eſt? Eiusdem diligentia, ut *Corradi* libelli de Cicerone in manus hominum pervenirent, effecit.

De elegantia atque doctrina *Corradi* nihil attinet multa dicere. Neque enim obſcura, neque dubia eſt. Illud dicimus, (quod *Burmannum* dixiſſe aiunt, cum ex eo, quid de

 Geſ-

Geſnero, illo, qui nunc, etſi ætate valde provectus, iuvenili tamen alacritate & ſtudio litteras tractat, ſentiret, quærerent): *Corradum* diligenter veterum libros legiſſe.

Atque nos quidem valde miramur, quomodo acciderit, ut hic liber tamdiu in tenebris iaceret. Titulo homines, credimus, decepti ſunt. Hic enim ſine dubio nimium indulſit ſuo ingenio *Corradus*. Cæterum, varia nobis legentibus emendanda & addenda viſa ſunt. Age, commemoremus quædam: *Corradus*, ubi de morte Ciceronis exponit, (p. 236.) *patrem patriae*, inquit, *Ciceronem Cn. Popilius Laenas, qui patrem prius interfecerat, & ab ipſo Cicerone defenſus fuerat, interfecit*. Non ignoramus, hanc opinionem de parricidio Popilii tam vetuſtam, tam omnibus inſitam eſſe, ut nemini de eo dubitare in mentem veniat. Verum aliter nobis videtur. Cuius ſententiæ rationem eſſe reddendam videmus. Non melius oratores illius temporis, in quo eloquentiam ſuam, quam in morte Ciceronis deploranda, oſtentare poſſent, reperiebant. Invehebantur in Antonium, invehebantur in Popilium, omni ex genere orationem aucupabantur, omnesque undique carpebant floſculos. Quo vero crimine Popilii nomini ac famæ maiorem turpitudinis notam inurere potuerunt, quam ſi eum & tam impium fuiſſe dicerent, ut patrem trucidaret, & tam ingratum, ut neque illi, cuius defenſione abſolutus fuiſſet, parceret? Ampliſſimus, hercle, campus, in quo orator excurrere poſſet. Seneca, qui reliquias harum orationum collegit, facile, quantum ex his hiſtoriæ caliginis offunderetur, prævidit. Lectorem igitur de omni re monendum eſſe duxit. Is locus eſt in controv. L. III. XVII. Plutarchum autem, qui Popilium parricidii accuſat, valde probabile eſt ex his fontibus non limpidis hortos ſuos irrigaviſſe. Forte ut Cicero pater patriæ, ſic Popilius, qui ipſum interfecerat, parricida appellatus fuit. Forte Plutarchus non recte hæc intellexit, id quod ei ſæpius uſu venit. Atque hinc error ille natus eſt.

Valde Livius, cuius fragmentum de morte Ciceronis Seneca in Suaſ. I. VII. affert, a Plutarcho, in commemorandis ulti-

ultimis Ciceronis fatis, differt. Hic Ciceronem poſt varia itinera καπίτας perveniſſe, ibique in lectica fuiſſe interſectum: ille, *Cicero,* inquit, *primo in Tuſculanum fugerat, inde tranſverſis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conſcenſurus proficiſcatur, inde regreſſus ad ſuperiorem villam,* & quæ ſequuntur. Cui vero fidem habeamus? quomodo καπίτας interpretemur? per Capuam? per Caietam? an per librariorum oſcitantiam errorem huc irrepſiſſe dicamus? N. L. Vellem *Corradus* hæc interpretatus eſſet. Sed hæc hactenus. Cæterum, quicunque Ciceronis libros in deliciis habent, (quis autem illos in deliciis non habeat? tantum ne? immo vero eorum lectione, tamquam ſuaviſſimis epulis, expleri ſatiarique poſſit?) illis igitur *Erneſtii* diligentia iucunda & grata ſit oportet. Nos quidem vehementer optamus, ut etiam reliquos, quos inchoavit vir doctiſſimus, proſpere conficiat labores. Quod cum de aliis, tum de Ioſepho, eo ardentius optamus, quo magis mirum videri poteſt, quid ſit, quod Boſius, Morinus, Bernardus, Olearius, Boivinus, i. e. viri, qui in exponendo edendoque Ioſepho multum deſudaverunt, omnes, quaſi ſoli *Erneſtio* perfectio huius operis reſervata fuiſſet, morte impediti ſint.

BASILII MAGNI ORATIO, DE HUMANA CHRIſti generatione, graece & latine, ex recenſione IULIANI GARNIER, in Sectiones primum deſcripta, nova verſione, argumento, & notulis macta, per IOH. BENED. CARPZOV.

Helmſtadii 1757. excudeb. vid. Schnorrii, pl. 24. quaternis.

Magnum fuit *Baſilii* ingenium, magnum divinarum rerum ſtudium, animus vero reverentia Dei & oraculorum divinorum plenus, atque vita ad omnem honeſtatem virtutemque conformata. Quare eum & ob eloquentiæ flumen, vitamque honeſtiſſime ſanctiſſimeque actam, *Magni* nomine ornatum eſſe Maffeus arbitratur, & Eraſmus *Demoſthenem Chriſtianum* appellat. Non male igitur *Carpzovius,* vir

vir doctus, & iis artibus, quæ verum Theologum perficiunt, melius eruditus, quam noſtrorum temporum ignavia vel cogitatione vel imitatione aſſequi poteſt, ille igitur in hac Baſilii oratione edenda bene operam ſuam laboremque collocavit.

Nam etſi non ſumus ii, qui negemus, doctores illos Chriſtianæ religionis, quos *patres* appellant, tantum non omnes, hebraicarum græcarumque litterarum cognitione leviter imbutos; pleroſque (nunc quoque accidit, ut homines ex compendiolis ſuis philoſophicis libros divinos obſcurent, illuſtrent volebam dicere, ſemper hic erro,) ſubtilitate philoſophiæ in interpretando male uſos, grammatici ſenſus prope oblitos, & non ſine periculo divinæ veritatis allegorica interpretatione delectatos, eosdem ſibi verba dari facile paſſos eſſe; & ſæpiſſime ſe præbuiſſe credulos, (cuius in hac quoque oratione eſt inſigne exemplum, in Sect. III. 1. ubi Magos *μαντείαις καὶ ἐπαοιδίαις καὶ φυσικαῖς τισὶν ἀντιπαθείαις προσέχοντας* fuiſſe *Baſilius* dicit;) coniecturis denique & ingenio ſuo nimium indulſiſſe, (ſic *Baſilius* eodem loco, Balaami, ait, de ſtella ex Iudæis oriunda oraculum ad Chaldæos & Perſas perveniſſe, quo in memoriam revocato, (*κατὰ μνήμην τῆς παλαιᾶς προφητείας*) ex nova ſtella regem Iudæorum natum eſſe Magos intellexiſſe): neque tamen negari poteſt, in hiſtoria eccleſiaſtica cognoſcenda, in libris de religione popularibus ſcribendis, in orationibus ad populum habendis, multum nos eorum lectione adiuvari. Poterit ex iis eloquentiæ ſtudioſus diſcere, quomodo verbis & ſententiis ſacri codicis tanquam ſuis apte uti, iisque orationi maiorem cum elegantiam, tum auctoritatem, conciliare (cuius plura ſunt in hac oratione exempla, ut p. 8. p. 47. &, quod *Carpzovius* hoc nomine laudat, p. 16. *ἐπειδὴ δὲ ἐφάνη ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος, καὶ ἀνέτειλεν ὁ ἥλιος τῆς δικαιοσύνης, κατεπόθη ὁ θάνατος εἰς νῖκος τῆς ἀληθινῆς ζωῆς τὴν ἐπιδημίαν οὐκ ἐνεγκών.*); quomodo de magnis religionis Chriſtianæ rebus magnifice loqui, audientium animos commovere, & ſecum in admirationem abripere poſſit: (ut & in Sect. II. p. 11. ubi ſe ipſum *Baſilius* ſuperare videtur, *θεὸς ἐπὶ γῆς, θεὸς ἐν ἀνθρώποις.*

πεις. ὢ διὰ πυρὸς καὶ σάλπιγγος, καὶ ὄρους καπνιζομένου, ἢ γνόφου καὶ ζόφου καὶ θυέλλης ἐκδειματούσης τὰς ψυχὰς κ. τ. λ. & in peroratione orationis).

Eſt vero de *Baſilii* libris non una eademque doctorum virorum ſententia. Plurimos νοθείας ſuſpicione laborare, quis eſt qui neſciat? De orationibus, de aſceticis, de libris de baptiſmo, & de vera virginitate, de commentario in Eſaiam, de quinque in Eunomium libris, de numero homiliarum in Hexaëmeron vehementer diſputant viri docti. Quid? quod *Garnierius*, alias de *Baſilio* bene meritus, hanc quoque orationem, εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν, a *Baſilio* ſcriptam eſſe negat. Ait, ut ſumus homines, *Carpzovius*, & contra *Garnierium* in notis, p. 12. 23. 39. 40. diſputat.

Illud certe negari non poteſt, maxime, quas nunc in manibus habemus, orationes *Baſilii*, ab iis differre, quas olim ipſe ſcripſerat; & hæc *Combefiſii*, quæ *Carpzovius* p. 28. laudat: *quia haec homilia, crebro Eccleſiarum uſu trita maxime, plurimisque libris eccleſiaſticis deſcripta erat, pro eo ac ſibi quisque deſcribens in uſum ſuae eccleſiae indulſit, ut vocem aliquam mutaret, ſeu aliquid interpolaret*, (ſic nos in loco ſupra laudato verbum ζόφου ab interpolatore ortum eſſe putamus:) *pro captu plebis, cui ſtudebat, ita obrepſit:* hæc, aimus, de pluribus dici poſſe.

Textum, ut aiunt, Græcum, quem cum codice Baſileenſi Frobenii contulit, ad editionem a Benedictinis monachis eleganter adornatam, nitidiſſime deſcribendam curavit *Carpzovius*. Tum interpretationem latinam novam, argumentum & notas, breves illas quidem, ſed non contemnendas, addidit. In quibus & difficiliora exponit, atque de verbis rarioribus docte diſputat: ut de differentia θεολογίαν inter & οἰκονομίαν p. 17. de verbo θεοτόκος p. 50. μετεωρισμὸς p. 21. θεοφόρος p. 20. aliis; & de lectionibus iudicium fert. Hic præter morem & conſuetudinem lynceorum noſtræ ætatis hominum, qui, quicquid infelix illa & garrula in cerebro reſidens Pythia delicatulis auribus inſuſurravit, id omne a veteribus auctoribus dictum eſſe ſomniant, maximam modeſtiam, ſummamque religionem, & animadvertimus & laudamus

maximopere. Nam *non ſumus ii*, inquit vir elegantiſſimus, d'Orville, in comm. ad Charit. p. 321. *qui veteres auctores in ordinem redigamus, & noſtro more, non ſuo lubitu, loqui cogamus. Critico non ſpectandum, quid vel quomodo debuiſſent veteres ſcribere, ſed quid revera ſcripſerint.*

Invitavit denique hac oratione, ut mos eſt, *Carpzovius*, cives Academiæ Helmſtadienſis ad γενέθλια Chriſti celebranda. Salubre vero conſilium, & *Carpzovio* dignum! quod utinam plures imitentur, monſtroſos ſuos & ridiculos foetus, ex Pitiſco, & aliis magno cum ſudore conſcriptos, foras protrudere deſinant, atque his veſtigiis inſiſtant! fertilis hic ager eſt, ampliſſimus hic campus. Neque hanc viam inſiſtentibus umquam aut circa Lexica erit trepidandum, aut materia talia ſcribendi deerit, quæ ad pietatis quendam ſenſum legentibus inſpirandum, ad veri honeſtique ſtudium excitandum & confirmandum, ad errores refellendos, ad explicandam & defendendam chriſtianam doctrinam, perutilia ſint, atque adeo omnibus modis expetenda.

FL. MALLII THEODORI DE METRIS LIBER, ex antiquiſſimis membranis Bibliothecae Auguſtae deſcriptus, animadverſionibusque brevibus emendatus, emittitur a IACOBO FRIDERICO HEUSINGERO, Conrectore.

Guelpherbyti, operis Bindſeilianis, pl. 5. quaternis.

Cum & plurimi, contemta illa via, quæ regia eſt, & per varios copioſæ doctrinæ anfractus ad veram eruditionis gloriam ducit, aliam breviorem, & ignaviæ gratiorem, ineunt, & non melius ſibi placent, quam ſi Grammaticorum ſtudia, quæ verbis, ſyllabis, ſingulis litteris, obſervatiunculis, & ſexcentis minutiis contineri aiunt, (quaſi aut ulla ſit ars, quæ non complures parvas res complectatur, a quibus maiora omne robur accipiant; aut quid in re, quam minime perſpectam & cognitam habent, minutum ſit, iudicare poſſint homines,) in contemtum adducant; hæc vero opinio late ſparſa

ſparſa & diſſeminata eſt: non dubitamus fore, qui *Heuſingeri*, V. Cl. in hoc libello edendo diligentiæ non tantam & laudem & gratiam habeant, quantam meretur. Nos quidem hunc *Mallii* libellum tineis blattisque ereptum, atque eruditæ reipublicæ redditum eſſe, vehementer lætamur. Nam ut omnibus, qui de morbis iudicare, illisque mederi cupiant, coagmentatio, ſtructura, & motus corporis humani, ſingulorumque membrorum fabrica curioſe inſpicienda & diſcenda eſt: ſic, qui vel de carminibus aliorum iudicium ferre, vel ipſe verſus ſcribere velit, tritas habeat aures, multumque exercitatas generibus poetarum notandis, neceſſe eſt. Pervenerunt ad nos, benignioris fati indulgentia, multa veterum poetarum carmina. Vellem perveniſſet quoque illam veterum in ſtructura verſuum, & apta verborum compoſitione, elegantiam cognoſcendi facultas. Quare, quæcunque nobis in his tenebris lucem aliquam accendant, nosque, tanquam hoſpites in Latio errantes, quaſi domum deducant, diligenter conquirenda, exponenda, & cum aliis communicanda eſſe exiſtimamus. Etſi vero maximam huius doctrinæ partem ex recentiorum libris diſci poſſe non negamus: tutius tamen & melius veteres conſulimus, qui cum accuratius, tum elegantius, totam rem explicare & potuerunt, & voluerunt, quam plerumque fit.

Iam hic *Mallii* libellus ſic eſt deſcriptus, ut primum de ſyllaba, deinde de pedibus, tum de metris VIII. (dactylico, iambico, trochaico, anapæſto, choriambico, antiſpaſtico, ionico maiore, ionico minore,) denique de cæſuris verſuum, exponat. Eſt vero codex libelli, manu exaratus, & qui Seculi octavi ſcripturam præ ſe fert, in bibliotheca Sereniſſimorum Ducum Brunſuicenſium inventus. Librarium tamen valde imperitum & indoctum hunc librum ſcripſiſſe, cuivis ipſum inſpicienti facile apparebit. In eo emendando, & verecunde, & docte, *Heuſingerus* V. Cl. verſatus eſt. Exhibet textum ſincerum, ſe ne unica quidem littera ſcientem a præſcripto aberraſſe teſtatur, liberum ſuum cuique iudicium relinquit, & in notis ſuas coniecturas proponit. Iſtarum tamen nullam in textum, ut aiunt, recepit. Quod imitentur utinam,

nam, & Burmanni præceptis obtemperent, alii. Etenim *quales pleraeque* (ut *Lipſius* ait, in ep. XV. Cent. I.) *eorum coniecturae? quam non callidae ſolum, ſed calidae, imo quam audaces? corrumpendis iſtae ſive perdendis potius libris litterisque ſunt, ſi dimanat haec labes. Et dimanabit.*

Age vero, afferamus quædam, de quibus vel a viro docto diſſentiamus, vel quæ nobis medicina adhuc egere videantur. Sunto igitur hæc.

In præf. p. 8. *qui ſi ſolum ſyllabarum naturam ac modum temporum ſibi conſectandum putaſſent, obſoleta permulta atque abſurda periſſent.]* nos, ſi verbum *periſſent* locum ſuum teneat, nullum, certe vix probabilem, ſenſum elicimus. Quare libenter in *feciſſent* mutaremus. Omnia tunc erunt faciliora.

eod. loc. *aurium voluntatem ab his metris — divellendam non exiſtimarunt].* Exigua mutatione verbi *voluntatem* in *voluptatem* facta; melius reſpondebunt hæc iis, quæ antea de delectatione & ſuavitate dicta ſunt.

c. 1. p. 11. *id enim ratio ſermonis latini & pronuntiandi forma expetit.]* legendum eſſe cenſemus *norma.* Verbum *forma* obverſatum eſt librarii animo ex præcedentibus, ubi ſimilis eſt ſententia, — ſecundum legem atque uſum pronuntiandi *informant.*

c. 2. p. 13. *Nam cum ars muſica, quae eſt in omni vocis ſono* MODVLATIONIS, (hoc enim verbum, Mallio familiare, pro *moderationis* ponendum eſt,) *ac ſuavitatis inventrix, metricae quoque rationis princeps ac magiſtra ſit, eadem vero ita nervos teſtudinis adiunxerit, ut eorum alii acutum, gravem alii ſonum redderent,* EADEMQVE, (ſic enim pro *eandem* ſcribendum,) *vocum diſtinctionem tibiarum foraminibus* APTAVERIT, &c. Sic neceſſe eſt, ut pro *aptaverint* ſcribamus.

c. 6. p. 27. — *procul omnia repellere, quae ab auditorum dilectatione diſcrepent, quamvis ea pedum ratione recipiant.]* Legit Heuſingerus *rationem.* Mallemus *ratio recipiat.* Sic dicit aliquoties Mallius; ut paullo infra, prout uniuscuiusque metri ratio declarat, &c.

Sequen-

Digitized by Google

Sequentem periodum ſic conſtituemus. — *Id tamen aurium ſenſu efflagitatur. Quemadmodum intromitti in metrum dactylicum — anapaeſtus non poteſt, ita metrum anapaeſticum — dactylo inhoſpitale.* Erit *accommodatiſſimus vero in hoc metro locus primus et ceteri atque omnes* &c. Quam emendationem, vix cuiquam diſplicere poſſe, arbitramur: non fiducia noſtri, ſed textus.

c. 8. p. 28. legimus nos quidem ſic: *Nam ut nunc quem ab exordio propoſuimus, ordinem perſequamur, metrum choriambicum* &c. Certe hæc lectio propius ad veri ſimilitudinem accedere videtur, quam quæ ab Heuſingero V. Cl. propoſita eſt.

c. 11. p. 34. illud *preſpiciens*, ſi in *perſpiciens* mutetur, *τὸ ut* vero per *quomodo* explicetur, fortaſſe in textu retineri poteſt.

Sed hæc hactenus. Optamus vehementer, ut etiam reliqui libri MALLII, viri, et dignitatis honorumque amplitudine, & ingenii, doctrinæ, atque eloquentiæ laude clariſſimi, ex tenebris, ubi deliteſcunt, in lucem protrahantur: quod ſi Heuſingeri V. Cl. ſtudio atque diligentia fiat, & Mallio honorificum, & bonis litteris perutile futurum, credimus.

CAROLI CHRISTIANI KRAUSE, PHIL. ET MED. Doctoris in Acad. Lipſienſi, Diſſertatio de quaeſtione ab Academia Imperiali Scientiarum Petropolitana pro praemio in annum MDCCLVI. propoſita: Quaenam ſit cauſa proxima mutans corpus foetus, non matris gravidae, huius mente a cauſa quadam violentiore commota, & quidem cur id fiat in ea parte corpuſculi foetus, ad quam in ſuo corpore mater manum applicuit? Ubi illorum quoque cogitata ad certamen admittere viſum eſt, qui contrariae ſententiae addicti, argumenta probabiliora in medium ſint prolaturi: in eadem Academia Scientiarum Petropolitana die VI. Sept. MDCCLVI.

 prae-

Digitized by Google

praemio affecta; una cum alia Diſſertatione, negativam quaeſtionis partem adſtruente.

Petropoli, typis Academiæ Scientiarum, plag. 11. in 4.

Opinio de nævis maternis, quæ per tot ſecula hominum animis inſedit, noſtra ætate magis, quam olim, a doctis quibusdam addubitata, Academiæ Scientiarum Imperiali Petropolitanæ ſatis digna viſa eſt, quæ pro præmio in annum MDCCLVI. proponeretur. Ex plurimis de quæſtione propoſita ad eam miſſis diſſertationibus una hæc ſelecta eſt, quæ præmio ſtatuto centum aureorum condecoraretur. Quoniam autem in illa pars quæſtionis affirmativa, originem mutationum in foetu ab imaginatione materna repetens, ſtabilitur, non ingratam eruditis operam ſe præſtituram arbitrata eſt Illuſtris Academia, dum unam quoque ex iis, quæ negativam defenderunt, ſibi quidem optimam viſam, ſimul typis curaret exſcribi. Eius Auctor eſt D. IOAN. GEORG. ROEDERER Med. & Anat. Prof. in Acad. Georgia Auguſta. In diſſertatione igitur præmio affecta, origo nævorum maternorum, non omnium quidem, ſed quorundam ſaltem, ab imaginatione matris repetitur. Iſtud fieri ratione idonea non poterat, niſi eorum, qui huic ſententiæ refragantur, dubitationes obiectionesque diluerentur. Quare ad momenta quatuor reſpexit, eademque perſpicue pertractavit Auctor. Nimirum: 1) Dari exempla foetuum ita mutatorum, ut non ſola plebs & materculæ ipſæ, ſed acutiſſimi quoque & doctiſſimi atque in praxi medica exercitatiſſimi viri, aliquam effectus partem ad matrem vehementius animo commotam referant; 2) hoc ipſum fieri iure meritoque; 3) nec contraria omnia ſentientium dubitationibus ſcrupulisque iniectis rem effici falſam. His propoſitis A. deinceps 4) de cauſa proxima effectus illius diſſeruit. Et quidem ut, quæ no. 1. poſuimus, plana fierent, ad conſenſionem graviſſimorum doctiſſimorumque virorum ea in re provocavit, & exſtantiora exempla quædam excitavit, ad quæ ſtupeat vel maxime incredulus. Deinde & obiectiones adverſariorum diluit, ſic, ut ubique oſten-

oſtenderet, eadem via ac ratione, qua nævorum maternorum origo imaginationi maternæ tribueretur, homines in vita communi, medicos vero in facienda arte ſua, argumentari ſolere. Quæ omnia poſtquam diligenter & modeſte diſputavit, tranſitum facit ad rei propoſitæ explicationem. Humanam naturam, eiusque vires primitivas, homini ipſi ignotas eſſe, eumque nil niſi mera naturæ humanæ effecta noſſe, ante omnia oſtendit; in quo quidem poſtulato fundata eſt explicationis ſumma, ita ut ex effectibus haud dubiis poſſibilis via ac ratio, quomodo nævorum origo ab imaginatione materna dependeat, intelligatur. Quæſtio propoſita ipſa a Cl. KRAVSIO paulo generalior reddita, & ſic expreſſa eſt: Quæ ſit cauſa proxima, quæ mutet corpus foetus, non matris gravidæ, huius mente a cauſa quacunque violentiore commota; & quidem cur id fiat in ea parte corpuſculi foetus, de qua, in ſuo corpore, mater aliquam concepit ideam in ſuo animo, quam tunc temporis de alia corporis ſui parte non concepit. Et hanc quidem quæſtionis mutationem recte factam eſſe ex eo patet, quod applicatio maternæ manus ad aliquam corporis partem ſupponit τὸ *velle* applicare manum ad partem eam, & hoc *velle* ſupponit cogitationem de ea parte. Cum autem imaginatio matris pro cauſa mutationum in corpore foetus allegari nequeat, niſi conſtet, eam eſſe coniunctionem animæ humanæ cum corpore, qua fiat, ut anima in corpus agat, & viciſſim: coniunctio illa argumentis ab experientia repetitis aſſeritur. Anima vero in corpus eiusque partes agere non poteſt, niſi ipſi innatæ & inſitæ ſint ideæ de corpore eiusque partibus. Quarum quidem idearum præſentia in animo, variis argumentis exemplisque comprobatur. Deinceps imaginationis vis & potentia mutandi totum corpus oſtenditur. Ea autem mutatio corporis cum ſoli nervorum mutationi debeatur, nervi vero, datis quibusdam cauſis morboſis, ſenſibiliores fiant, idemque gravidis foeminis accidat: imaginationis quoque effectus, poſitis illis conditionibus, creſcere de-

 bere

Digitized by Google

bere patet. Ipſam autem illam nervorum mutationem ab imaginatione profectam, ſi ſatis vehemens fuerit imaginandi actio, propagari per totum corpus, porro evincitur. His præmiſſis, & per argumenta probabilia aſſertis, iam contendit Auctor, foetum cum matrice ſatis arcte cohærere, & cum eadem unum continuum conſtituere, nervosque matris utero innexos mediato quodam nexu cum nervis foetus, adminiculis placenta & funiculo umbilicali, copulari; ſic ut duo illa ſyſtemata nervoſa, matris ſcilicet & foetus, ſint unum quoddam; nervos autem cum matris tum foetus inde a cerebri medulla venire; idem ergo, quod in medulla cerebri materni fiat, fieri etiam in medulla cerebri foetus; porro, eidem ſtatui medullæ cerebri reſpondere ideas easdem, eundemque mentis ſtatum, ergo foetus animam ſimiles ideas a matre communicatas habere; animam foetus ab ideis excitatis plane determinari ad agendum ſic & non aliter, indeque intelligi poſſibilem aliquem modum, quo foetus anima per ideas a matre acceptas quaſi inſtructa, corpus proprium mutare queat. Et ſi quis de eo nexu inter matrem & prolem dubitare velit, non protinus tamen cauſa cadere nævorum patronos, cum alia via ſuperſit, qua matris ideæ cum foetus anima communicari poſſint: placentam enim, ergo & foetum, perpetuo novos a matrice accipere humores, igitur & tum, cum mater animo commoveatur, accipere. Iam vero exemplis hydrophobia affectorum conſtare, in eo morbo ideas canis rabidi communicari cum mente hydrophobi, hominisque mentem ſimilem fieri canis menti, & cogi ad ſuſcipiendas actiones eas, quas edit animal rabidum: eadem igitur via ac ratione fieri poſſe, ut matris vehementi animi affectu percitæ, aut valida imaginatione agitatæ, humores cum foetu communicati, eundem quoque animi ſtatum in foetu producant, qualis ſit in matris mente dicto modo mutata. Tandem cauſas, cur corporis pars illa, non in matre, ſed in foetu mutetur, ſub-

eſſe

eſſe ait has: 1) teneritatem corpuſculi foetus, actionum celeritatem in foetu: 2) actiones matris gravidæ omnes magis verſus uterum tendentes, quam verſus alias eius partes. In fine diſſertationis Cl. Auctor ingenue fatetur, ſe cum aliis veram viam ac rationem, quomodo hæc omnia fiant, neſcire, neque alium quam poſſibilem aliquem modum oſtendere voluiſſe. Hanc autem diſſertationem nunc ſequitur altera, quæ Cl. ROEDERERI nomen in fronte gerit. Auctor Clariſſimus in ea viam ingreſſus eſt duplicem, qua nævorum maternorum originem ab imaginatione matris repeti non poſſe lectoribus perſuaderet. Neque enim ullum commercium immediatum inter matrem & foetum eſſe, neque experientiam opinioni de nævis ab imaginatione matris repetendis favere, ſuſtinet. Itaque primo matricem cum placenta per fibras, vaſa, nervosque, arcte coniungi negat, & utramque contiguitate tantum gaudere, ſibique mutuo adiacere, hinc ideas matris cum foetu ope nervorum non poſſe communicari, credit. Et ſi quis humores matris cum foetu communicatos pro cauſa mutationum in foetu factarum habere velit, ponendum eſſe ait, matris ſanguinem a quovis animi affectu ſpecifica ratione mutari, eamque mutationem ſimul in placentam & foetum tranſire. Inde quidem intelligi, quo modo matris morbi hæreditatis iure in proſem transferri queant, minime vero quo modo pars foetus certa quædam mutetur; omnes enim humores illos morboſos per univerſum foetus corpus diſtribui. Sin nervos ex matrice in placentam propagatos aſſumere quis velit, mutationes tamen eas, quas vocant nævos, nimis magnas eſſe, quam ut nervorum potentiæ, licet alias ſatis efficaci, tribui poſſint. Præter ea quæri iure poſſe, qui fiat, quod eædem cauſæ, a quibus nævorum patroni horum ortum repetant, neque in matre, neque in infantibus recens natis, tam teneris, nævos tales progignere nequeant? Et ſi nævos ipſos cum rebus illis, quæ animi affectum imagina-

Digitized by Google

tionemque in matre commoviſſe dicuntur, contuleris; ſæpiſſime vix aliquam ſimilitudinem inter nævum & eiusmodi rem intercedere. Haud paucos reperiri nævos, ſine ulla ſuſpicione prægreſſæ animi materni commotionis violentioris. Alio tempore fieri, ut gravidæ vehementius animo commoveantur, neque tamen foetui inde quicquam mali accidat. Ex his Cl. Auctor colligit, cauſam, quæ ſit eiusmodi, ut neque effectum ipſi aſſignatum ſemper det, neque ad eum producendum ſemper requiratur, eſſe perperam aſſumtam cauſam. Ob dicta igitur, nævorum ortum aliis cauſis tribui oportere putat, ſcilicet, vel cauſis ipſo conceptionis tempore agentibus, vel variis embryonis iam formati viciſſitudinibus, ab externa quadam vi utero illata, a morbis foetus externis, a vi foetui per partum difficilem illata, &c. Quæ quidem omnia exemplis illuſtrantur.

NOVA LITTERARIA.

Editus eſt anno ſuperiore, prope Nycopingam, præcipuam Sueciæ urbem, typis Petri Mommæ, liber utiliſſimus, non ille quidem omnino novus, ſed tamen novis quamplurimis inſtructus copiis, &, niſi fallimur, minus adhuc quam eſſe debebat frequens in eruditorum hominum manibus. Præfert autem hunc indicem: *An Engliſh and Swediſh Dictionary: wherein the Generality of Words and various Significations are rendered into Swediſh and Latin, forms of Speech, Proverbs and Terms of Art in Husbandry and Gardening eſpecially, obſerved, above 2400. Engliſh Words traced from their true Original Gothick, and the miſtakes of Iunius, Menagius, and other Etymologians remarked. Thereunto is added a large Collection of terms of Trade and Navigation, and an Herbal,*

bal, or Index of Plants common to both Nations. By IACOB SERENIVS, D. D. Dean of Nykoeping, F. R. S. *The Second Edition*, with large Additions and Amendments: 3. Alph. plag. 14. quaternis. Quæ in addiſcendis linguis, & pervidenda earum natura, recte commendatur cognatarum dialectorum comparatio, ea magno lectorum emolumento inſtituta hoc in Opere eſt. Illud ſatis conſtat, linguas pleraſque omnes, quibus ſurgens inde ab ipſa Germania noſtra ſeptentrio, per Suecos, Danos, & diviſos toto orbe Britannos utitur, clariſſima inter ſe neceſſitudine contineri, & a communibus ſine dubio natalibus profectas eſſe. Quæ res facit, ut non difficilis pateat per hanc tantam Europæ partem ſermonis connexio: quemadmodum fere qui meridiem verſus colunt, quibusdam Romanæ linguæ reliquiis iunguntur. Has igitur borealium populorum dicendi formas qui penitus cognoſcere cupiat, & ſubtilius ceteris tractare, non ſigillatim, & diviſis, quas mutuo ſibi ferunt, ſuppetiis, eas conſectetur neceſſe eſt, ſed facto veriſſimo compendio, easdem opera omnes: tum qua per ora gentium hodie quoque vulgantur, tum qua ſervatis ex antiquitate reliquiis propius ad ultimam originem ſuam deducunt grammaticæ & criticæ laudis ſtudioſos. Hæc talia noſtrorum ſtudia egregie adiuvat & hic Serenii, Viri S. R. liber. Nam cum ad linguarum, Anglo-Saxonicæ hodiernæ, & Suecicæ, intelligentiam plene adcurateque comparandam, nihil quod deſideres reliquum fecerit: habet etiam innumeris locis adiectas in extremis paginarum obſervationes, quæ, arceſſitis ex Gothica, Anglo-Sax. vetere, Islandica, & aliis dialectis, ſimilitudinibus, utramque linguam mirifice illuſtrant, univerſam vero, quam diximus, cognationem, multiplici fructu confirmant. Hæc autem repetita libri editio, quam ipſa Potentiſſ. Suecię Daniæque Regum munificentia ſuffulcivit, ſollicite correcta, locupletata inſigniter

ab

Digitized by Google

ab Auctore eſt, qui multum ſe debere ait Etymologico Iunii a Cel. Lyeo edito, itemque doctiſſ. Iohnſonis Lexico linguæ Anglicæ. Quare dubitandum non eſt, quin maiores etiam poſthac gratias referat Serenius a Lectoribus ſuis, Britannis præcipue, qui omnium commodiſſime hanc operam in rem ſuam vertere poterunt. Sed etiam exterorum cuivis, qui ſeptentrionis linguas cognoſcere voluerit, (quod fere neceſſum eſt, poſteaquam ſua lingua, quæque natio, libros, non ut olim latina, communi doctis hominibus omnibus, procudit,) magno adiumento bonus hic liber Serenii futurus eſt.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCLIX.

DE L' ORIGINE DES LOIX, DES ARTS, ET DES Sciences, &c.

i. e.

DE ORIGINE LEGUM, ARTIUM, ET SCIENTIArum, earumque progreſſu apud veteres. *TOMUS I. II. III.*

Pariſiis 1758. Alphab. 5. plagg. 16½. cum 3. tabb. Chronol. & 9. tabb. aer. inciſis, in 4.

Auctor huius libri eſt *Antonius Yves Goguetus*, Conſiliarius Parlamenti, quod vocant, Pariſini, fato functus, magno litterarum incommodo, anno proxime præterito LVIII. ætatis XLIII. *Tomus primus* a diluvio inde deſcendit ad mortem Iacobi. Quæ ante diluvium contigerunt, tenuem meſſem exhibent ſcrutatoribus mundi primordiorum. Suppreſſit Moſes, quæcunque vanam ſciendi cupiditatem explere poterant. Tomis ſingulis adiungitur Tabula chronologica, quia temporum ſeries eſt baſis omnis Hiſtoriæ. Recte verum, (Præfat. p. 20.) ſeiungitur a veriſimili; & digna lectu ſunt, quæ ib. pag. 9. referuntur de Panciroli rerum memorabilium, ſive deperditarum, libris.

Egreditur Noe, cum ſuis, hoc Dei conſilio ex Arca, ut multiplicentur in diverſis huius univerſi partibus. Ipſi uniti manere malunt, ideoque exſtruunt turrim Babel. Sed diſpergit eos Deus, confuſione linguarum. Præcepta prima, quæ ſecuti

cuti videntur, & quæ natura ipſa cordibus eorum inſcripſerat, hæc fuiſſe videntur: Neminem læde: Pacta ſerva: Nemini uſum rerum ſuarum vel poſſeſſionem intercipe: Parentum heredes liberi ſunto: Nemo turbet ſocietatem. Migravit has regulas homo, per animi impotentiam. Inde nata bella, & ex bellis imperia, victo victori cedere coacto. Prima imperii forma monarchica fuit. Filius in imperio ſucceſſit patri, plerumque primogenitus. Arbitria Principum primum pro legibus erant, donec uti placeret legibus poſitivis, quæ ex agrorum præcipue diviſione natæ ſunt. Inde a bove aratore antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſancirent, ſi quis occidiſſet.

Aſia prima legibus & moribus exculta eſt. Antiquiſſima in ea regna Babylonicum & Aſſyrium. Inter Reges Aſſyriæ clara Semiramis. Inter inſtituta hæc memorabilia:

Nemo aliud vitæ genus amplecti poterat, quam quo pater eius uſus eſſet. Venuſtæ virgines a præcone publice vendebantur. Ex pretio inde coacto conflabatur dos, qua dotabantur deformes; qui modus valde ingenioſus erat multiplicandi matrimonia. Uxorem verberare nefas erat, neque licitum eam abducere in regionem peregrinam. A Babyloniis inos manavit inſtrumenta conficiendi in ſcriptis. Sequuntur leges Aegyptiorum, quas Rex eorum Mneves primus litteris tradidit. Primi Aegyptii leges matrimoniales ſanxerunt. Dotem feminæ maribus adferebant. Mares in pactis nuptialibus omne uxoribus obſequium promittebant. Nuptiæ inter fratres & ſorores licitæ. Expoſitio infantum vetita. Ioſeph acquirit Pharaoni omne Domanium Aegypti; ſed redduntur populo terræ ipſius ea lege, ut quintam partem fructuum Regi quotannis præſtet. Advocatis ibi locus nullus erat. Quisque cauſſam ſuam ipſe tuebatur in ſcriptis. Putabant enim ab Advocatis veritatem obſcurari, ut iudici illuſio fiat. Neque minus reformidabant illecebras fallaces eloquentiæ forenſis. Exceptiones eorum terminabantur Duplica. Ab Aegyptiis inventa ſigilla. A mulieribus gravidis ante partum non ſumtum ſupplicium, quod in mores tranſiit omnium

nium gentium humaniorum. Sermones funebres ab Aegyptiis ſunt. Nulla in iis mentio maiorum. Incognita genti nobiliſſimæ nobilitas barbara.

Proximæ ſunt leges & conſtitutio Græciæ. In hanc brevis introductio datur ſub finem Lib. I. Seliguntur Athenæ & Argos, qualcs fuerunt ab initio.

De Artibus & Opificibus inſcribitur Liber II. Uſus ignis multis primum mortalibus incognitus. Notitiam eius Aegyptii fulminibus acceptam ferebant. Glans primum græcorum alimentum. Inde glans mixta panibus, oblata nupturientibus. Glans tamen illa caſtaneæ noſtræ ſimilior fuiſſe videtur. Ceſſare paſſim coepit Anthropophagia, ex quo inventum eſt mel. Agitur deinde de Agricultura. Aratrum triplex aeri inciſum exhibetur ad pag. 84. 1) Aegyptiacum, 2) Græcum, 3) Franciæ meridionalis. Succedit ars piſtoria (ubi ingenioſa ſunt, quæ de inventione fermenti leguntur p. 97.); potus vini, cereviſiæ, hydromeli, torcula olearia, horticultura. Ficus & vitis primæ arbores fuerunt, quarum inſignis habita eſt cura. Salſuram carnium & piſcium, in quorum numero hodie eminent halices, Aegyptiis iam cognitam fuiſſe, unde de eius inventione fruſtra gloriantur Belgæ, obſervatur pag. 113. Agitur poſthæc de veſtimentis, de arte baphiorum, de Architectura, de Metallifodinis, de Pictura, & artibus affinibus, ac denique de ſcriptura. Lib. III. exponit A. de Scientiis. Siſtitur Medicina, Chirurgia, Anatomia, Botanica, (ubi inter cætera pag. 194. obſervatur, *Dudaim*, quorum mentio fit Geneſ. XXX, 14. 15. non fuiſſe ceraſos, quod vult *Matth. Hillerus*, in Hierophytico, edito Traiecti ad Rhenum 1725. in 4. ſed plantam illam, quam Galli Truffes vocant), Pharmacevtica, (ubi animadvertitur, deſtillationes veteribus Medicis Græcis incognitas fuiſſe), Matheſis, Arithmetica, (ubi binis tabulis exhibentur quatuor tabulæ Aegyptiorum Hieroglyphicæ), Aſtronomia denique. Annus apud pleraſque primum gentes menſtruus tantum fuit, menſis autem erat lunaris. Sunt, qui hos annos menſtruos recentioribus temporibus excogitatos credunt, ut explicari poſ-

ſet duratio immenſa, quam populi quidam primis Regibus ſuis tribuunt. Reiiciunt hi annos menſtruos propter aliud abſurdum. Vita enim longævisſimorum hominum ita vix expleret annos 27. vel 28. & iidem liberos genuiſſe dicendi eſſent ætate duorum aut trium annorum (pag. 219. not. 1.). Demonſtratum eſt ſumma evidentia, annum, quo Moſes utitur, fuiſſe dierum 360. (pag. 223. not. a). Repetuntur tum origines Geometriæ, Artium mechanicarum, Geographiæ; iisque adiiciuntur meditationes de origine & progreſſu Scientiarum in Aſia & Aegypto.

Lib. IV. inſcribitur de Commerciis & Navigatione. Cap. I. ſigillatim de commerciis agit; de navigatione Cap. II. Ancora prima uno dente contenta fuit; Anacharſis invenit ancoram bidentem (p. 279.). Sed Phoenices inprimis navigatione floruerunt; unde conſilia eorum ſeparatim explicantur. Phoenices comitantur Aegyptii, in poſtrema libri ſectione.

Lib. V. uno capite abſolvitur, quo Ars militaris illuſtratur. Belli fons unicus, cupiditas fuit, ab ortu inde generis humani. Late hic agitur de armis primorum mortalium belligerantium, de præliis eorum & certaminibus, de crudelitate in victos. Recenſentur poſthæc etiam bona & commoda, quæ ex bello nata ſunt. Servitutem hoſtium captorum ſuaſit utilitas.

Pendere quum poſſis captivum, occidere noli,
Serviet utiliter. —

Lib. VI. Mores & Conſuetudines primorum hominum recenſentur. Mas a femina veſtitu diſtinctus inde a tempore immemoriali; dignitas magiſtratuum ſignis externis diſtincta; convivia tempore nativitatis, nuptiarum, & ſepulturæ, & olim & nunc ubivis celebrata, oſtendunt humanum genus omne ab una ſtirpe ortum. Aſia, matrix illa humani generis, primo loco producitur in Cap. I. Iam Abrahami tempore epulæ bis in diem fiebant. Prandium tribus Angelis Abrahamus, coenam Loth miniſtrat. Sedentes, non accumbentes, cibum cepiſſe videntur, & ſequiorum temporum mos eſt accumbentium. Anulus non digitum cingebat, ſed dorſo

manus

Digitized by Google

manus iunctus geſtabatur (pag. 323.). Corpus inclinabant, qui aliquem ſalutarent. Conviviis non intererant feminæ. Non aderat trium Angelorum convivio Sara. Non comparet Rebecca in convivio, quod propinqui eius apparaverant.

Aegypto ſui ſunt proprii mores in Cap. 2. Pro frumento Olyra utuntur, (ut Herodotus appellat, forte noſtra oryza eſt:) pro vino zytho. Ficum aſpernantur. Frequentiſſimus apud eos ſpeculorum uſus ex metallo, antiquiſſimis iam temporibus. Uxori maritus obnoxius. Paſtores pecudum, alibi honorati, hic in averſione publica erant. Incendio orto, Aegyptius ſelem ante omnia ſervabat. Crocodilum Aegyptus pro parte adorabat. Sectæ & diſſidia in ſacris coniuncta cum odio internecino. Adorat Arſinoë Crocodilum; Heracleopolis Ichneumonem, hoſtem eius capitalem. Abundat inter hæc Aegyptus eunuchis.

Tomo I. ſubiiciuntur Diſſertationes tres. Prima eſt de Sanchoniatone, cuius fragmentum apud Euſebium Auctor pro genuino & authentico habet. Secunda agit de authenticitate & antiquitate libri Iob: tertia autem pertractantur ſidera, quorum mentio fit apud Iobum.

Tomus II. a morte Iacobi pergit ad conditum Regnum Hebræorum. Continuatur hic ſeries populorum veterum iisdem ſub rubricis, quibus Auctor uſus eſt in Tomo I, inſertis gentibus, quæ deinde ſubnatæ ſunt, novis. Quod etiam in Tomo III. fit. Talis eſt Lib. I. Græcia, & in ea, cum Athenis, Argos, Cecrops, Theſeus,

Codrus, pro patria non timidus mori;

Areopagitæ, Amphyctiones, docte deſcribuntur pag. 17. ſeqq. Submittuntur Micenæ, Thebæ, Lacedæmon, Heraclidæ, & inter Heroes Cadmus & Perſeus. Exinde pertractatur Ius Publicum Græciæ. Adſunt poſt conſuetudines, & leges Græcorum. Humanitas, doctrina, religio, iura apud Athenienſes, in Europa orta, atque in omnes terras diſtributa ſunt. Cecrops unam uni iunxit, quum antea Græci feminis promiſcue uterentur, more pecudum. Adulteria mulcta puniebantur. Vetita polygamia, licita repudia iuſtis de cauſis. Liberorum illegitimo-

 rum

Digitized by Google

rum macula nulla. Non enim erat vetitus eo tempore concubinatus, neque concubina a matrona, niſi dignitate, diſtabat. Furum nulla infamia, niſi deprehenſi eſſent in ipſo delicto. Agriculturam docuit Ceres legifera. Datum hoc nomen Almæ matri, quia ab inſtitutis eius profecta ſunt initia vitæ, & victus cultioris, & manſuetudinis; quare in honorem eius introducta ſunt Sacra Eleuſinia. Minos, & leges Cretenſium, ſiſtuntur in ultima Sectione libri huius.

Lib. II. enumerantur incrementa artium & opificiorum, quorum incunabula detecta ſunt eodem libro Tom. I. Fertilitas Aegypti, Purpura, Smaragdus, Vitrum, proponuntur c. 1. & 2. Subſequitur Architectura Aegypti & Aſiæ minoris. Obeliſcos duos erigit Seſoſtris. Unum dein Romam deferri iubet Auguſtus. Detectus is eſt noſtra ætate. Alium obeliſcum filius ipſius poſuit. Romam is delatus eſt iuſſu Caligulæ. Nunquam navis tam magna in mari viſa fuerat, quam quæ hunc Obeliſcum eo devexit. Sed omnium maxime memorabilis eſt Obeliſcus, quem Rameſſes, Rex Aegyptiorum, elevavit prope palatium Heliopolitanum. Hunc Conſtantius, Conſtantini filius, Romam detulit. Quum concidiſſet, inſtauratus eſt cura Sixti V. Pontificis Maximi, operam navante Dominico Fontana, Architecto. Deſcribuntur deinceps Thebæ, quibus C portas Homerus tribuit. Memphis ab hoc Poëta ne nominatur quidem. Inſequens tractatio ad Metallurgiam, Plaſticen, Aurificinam, Picturam & Sculpturam pertinet Aegyptiorum. Proximi ſunt Græci, qui artes, quas ex Aſia & Aegypto nacti erant, perfecerunt. Nomen Triptolemi Clericus ex oriente derivat. Noſtro græcum videtur, compoſitum ex τρὶς & πολέω, ter verſo, eo quod Græcos ſementem triplicem facere docuerat (pag. 184. not. c.). Vinum Bachus, oleum Minerva adinvenit. Nobilis in Cap. 3. Labyrinthus Dædali. Litteras Phoenicum Cadmus in Græcas commutavit: tandemque a ſiniſtra ad dextram ſcribere placuit, modo naturali, & cui manus ſcribentis adſueſcere faciliter poſſet.

Lib. III. ad Scientias pertinet. Moſchus Sidonius primus mun-

mundum ex concurſu Atomorum fortuito concreviſſe ſtatuit, quod ſyſtema deinde repetitum eſt ab Epicuro. Præcedit & hic Græciam Aſia, & Aegyptus. Obeliſci apud Aegyptios Gnomonum vice fuere, ut oſtenditur Cap. de Aſtronomia. Iam Oſimandis, Regis Aegyptiorum, Sepulcrum, Bibliotheca inſtructum fuit. Legebatur in porta inſcriptio: Remedia animæ (pag. 261.):

Lib. IV. explanat incrementa, quæ per hanc temporis epocham commercia & navigationes ceperunt. Phoenicibus ſubiecti populi Chananæi, quos Ioſue ſubegit: dum ſolum vertere coguntur, navibus pro parte in Hiſpaniam profecti ſunt, ibique Gadir (i. e. refugium), nunc Cadix, condiderunt (pag. 299. ſeqq.). Velleris aurei, quod Argonautæ e Colchide petitum navigabant, minus cognita eſt Etymologia; Colchi aurum ex torrentibus pellibus arietum piſcari ſoliti fuerunt (pag. 319.). Euſtathii ad Dionyſ. periegetam v. 689. opinio probabilis eſt. Oriuntur inter hæc, Phryges, Lydii, apud quos Croeſus, Troiani. De navibus Græcorum, in obſidione Troiana adhibitis, pulcre hic diſſeritur, reiecta Bianchinii ſententia, qui bellum Troianum non propter Helenam, ſed propter dominium maris Aegei & Ponti Euxini geſtum cenſet, in hiſtoria ſua univerſali pag. 333.

Lib. V. hic quoque arti militari tribuitur. Aegyptios & Aſiatas excipiunt Græci. Deſcribitur bellum Troianum ex Homero, Diodoro Siculo, Pauſania, reliquis. Et fatendum eſt, mores Græcorum in hoc bello, valde adhuc barbaros fuiſſe. Recte rationes ſubducunt homines aulici, qui Taſſonem quam Homerum legere malunt. Multo maiorem enim humanitatis ſpeciem præ ſe ferunt Heroes Taſſonis, quam illi Homeri, quicquid dicat Dacieria. Etſi & hoc verum eſt, aulicorum plurimos, etiamſi legere Homerum velint, non poſſe. Græca ſunt, non leguntur.

Incrementis morum & conſuetudinum tribuitur Lib. VI. Prodeunt primi incolæ Paleſtinæ, ſequuntur cives Aſiæ minoris, agmen claudunt Græci. Nondum notus Græcis mos caſtrandi animalia tempore belli Troiani. Iam tum vero in conviviis bibebatur in ſanitatem aſſidentium (p. 353.).

Mares

Mares in inferioribus ædium conclavibus habitabant, feminæ in ſuperioribus. Ceterum ius omne poſitum in viribus. Gladio cincti etiam adoleſcentes ſaltabant.

Tom. II. duæ ſubiiciuntur Diſſertationes, quarum prior de nominibus & figuris ſiderum: poſterior de nominibus planetarum agit. Ex hac excerpſimus ſequentia. Signum Saturni ♄ a falce depromtum eſt, quia tempus omnia deſtruit. Signum Iovis ♃ exhibet litteram primam denominationis Græcæ ζεῦς, cum interſectione. Signum Martis ♂ ſiſtit iaculum & ſcutum. Signum Veneris ♀ exhibet ſpeculum cum manubrio. Signum Mercurii ☿ repræſentat caduceum (pag. 435. n. 1.).

Tom. III a condito inde regno Hebræorum progreditur ad reditum uſque Iudæorum ex captivitate. Deſtruitur hic primum regnum Aſſyriæ, cui in Aſia duo alia ſuccedunt, Babylonicum & Medicum. In Aegypto, poſt mortem Seſoſtris, novem ſeculorum intercidit memoria. Poſt hæc tempora clarus inter Aegypti legislatores Bochoris, rex. Conſtituit hic inter reliqua, ne uſuræ ſortem excederent, quod in leges Romanas migravit. Athenis, Regibus ſuccedunt Archontes. Primus Athenienſium legislator Draco, cuius leges ſola crudelitate inſignes ſunt. Nam & capite plectebantur qui olera ſurripuiſſent. Mitior Solon, qui, adiutus ſententiis Aegypti ſacerdotum, leges Athenienſibus iuſto moderamine tulit. Lacedæmoniis Lycurgus leges dedit, non litteris, ſed memoriæ civium mandandas. Bene habuerunt Spartani, dum iſtis uterentur, quod factum eſt per tempus diuturnum. Ephoros Spartæ id fuiſſe, quod Romæ plebis Tribuni, omnibus notum eſt. Iones, Aeoles, Dores, & reliquæ Græcorum coloniæ, ſervarunt mores & inſtituta maiorum.

Lib. II. Artes & opificia in hac quoque Epocha complectitur, pro ea methodi lege, quam ſibi auctor dixerat. Ninive ſeptuplo maior Lutetia Pariſiorum (p. 52.), octuplo Babylon. Prætermittimus Græcorum fabulis vulgatum miraculum, penſiles Babylonis hortos, & cætera urbis mirabilia, vulgo nota. Auctori prætermittere viſum eſt templum Salomonis,

Digitized by Google

monis, ab aliis iam ſatis deſcriptum. Cap. II. Pyramides Aegyptiorum ſiſtit. Nulla earum mentio apud Homerum. Illuſtrantur tribus iconibus aeri inciſis. Prima altiſſimam earum ſiſtit, absque & cum operimento. Secunda machinam exhibet, qua lapides ſublatos Herodotus narrat. Tertia ipſam conſtruendi rationem apertiſſime & venuſtiſſime repræſentat. Iungitur deſcriptio Labyrinthi Aegyptiaci, ſed qui periit temporis iniuria. Architectura Aegyptiorum valde informis: unde nec Græci eam imitati ſunt, nec Romani. Incognita ipſis ratio fornicum. Vincit Aegyptum longe Franciа, vel per ſola opera publica a Ludovico XIV. exſtructa. Rudera ædificiorum Aegyptiacorum ſiſtunt icones tres, quæ ſunt pag. 70. Antiquiſſimæ inſcriptiones Peloponneſi & Atticæ, obviæ in marmoribus crudis. Pictura ſub Alexandro demum ad ἀκμὴν per ν venit. Inops quoque veſtimentorum apud Græcos ratio. Incognita iis lintea, incogniti calcei, incognita tibialia, incognitæ braccæ.

Lib. III. iterum potiſſimus Auctoris labor ponitur in illuſtrandis artibus veterum. Producitur Aſtronomia Chaldæorum & Aegyptiorum. Iam Auctor Orphicorum montes, homines, animalia, lunæ tribuebat. Apud Græcos Anaximander ſolem non maiorem putabat, quam Peloponneſum. Aſtronomia pedetentim defecit in Aſtrologiam. Stellas primæ magnitudinis brevi dignoſcere diſcunt homines opulenti. Cetera non curant. Fame igitur moriebatur Aſtronomus, donec fata tentare diſceret hominum divitum, & per themata genethliaca prædicere futura. Tunc gratus & acceptus divitibus eſſe coepit Aſtrologus, quoties horoſcopus votis hominum reſponderet.

Lib. IV. de Commerciis & Navigatione in hac Epocha agit. Aegyptii rem maritimam ſerio curabant, & proeliis navalibus luſerunt Phoenices. Sidoni ſuccedit Tyrus. Oritur Carthago & Corinthus.

Lib. V. rem denuo militarem A. proponit. Diſciplina militari præſtitit Lacedæmon. Bovem immolabant Spartani, quando aſtu ducis parta eſſet victoria; gallum, quando hoſtem vice-

rant vi aperta. Athenis, mutilati in bello ſumtibus alebantur publicis. Tacticam quoque Athenienſes conſummarunt.

Lib. VI. & ultimus mores & conſuetudines ſpectat. Babylonii non ſedentes, ſed accumbentes cibum cepiſſe videntur. Mulieres non continebantur gynæceis, ſed in celebritate verſabantur, & conviviis intererant. Apud Athenienſes contra feminæ in interiore ædium parte agebant, & cibum ſeparatim a maribus capiebant. Coena Athenienſium epulum præcipuum. Pacis tempore, gladio accinctum in urbe incedere, incivile viſum. Seponebatur gladius, donec hoſtis inſtaret.

Subiiciuntur huic Tomo III. Diſſertationes IV. Prima agitur de ſupputatione monetarum & menſurarum Græcarum. Secunda Chaldæorum periodos aſtronomicos continet. Tertia Antiquitates Babylonicæ, Aegyptiacæ, & Sinenſes illuſtrantur. Quarta, lux affunditur loco *Herodoti* L. II. no. 142. A binis retrogradationibus ſolis, quarum mentio fit in Scriptura Sacra, repetitur interpretatio huius loci, illarum altera tempore Ioſuæ, altera tempore Regis Hiskiæ accidit. Conſpirat *Calmetus* in Diſſertatione præliminari, præmiſſa Libro IV. Regum.

Ad calcem nunquam ſatis laudandi Operis comparet compendium Hiſtoriæ Sinenſis, confectum a Dno *le Roux de Hautes-Reyes*, Profeſſore Regio.

Subſtravit Auctor Originem chronologicam veteris foederis, ſpretis fabulis Cteſiæ, Sanchoniatonis, Beroſi, Manethonis. In fine Operis præſto eſt Catalogus librorum, quibus uſus eſt, plane eximiorum.

Des Teutſchen Reichs Münz-Archiv, Fünfter Theil.

i. e.

ARCHIVI MONETALIS IMPERII GERMANICI PARS V. Auctore IOHANNE CHRISTOPHORO HIRSCHIO.

Noribergæ 1759. Fol. Alphab. 5. plagg. $12\frac{1}{2}$. Tab. I.

Per-

Pergit in hac V. Parte Collectio noſtra ab Anno inde 1667. usque ad finem Sæculi 17. Occurrit proinde hic No. VI. Receſſus Zinnenſis, inter Electorem Saxonicum & Electorem Brandenburgicum d. 27. Auguſti 1667. initus. Fecerat nimirum caritas argenti, ut ratio Valvationis, pedem vocant germanice, 1559. ſervari non poſſet. Ex Bohemia enim, Sileſia, & Polonia, plurimi numi viliſſimi terris Saxonicis & Brandenburgicis inferebantur. Cautum eſt vero Receſſu Zinnenſi, ut ex Marca argenti pura ſiant numi Imperiales 10½. Cetera pleraque pertinent ad tres Circulos Imperii de Moneta Correſpondentes, Franconicum puta, Bavaricum, & Suevicum. Adſunt tamen etiam præclara Documenta, quibus res monetalis Circulorum Saxoniæ Superioris, ut mox exemplo Pedis Lipſienſis manifeſtum fiet: Saxoniæ porro inferioris, & nominatim Hannoveræ, Hamburgi, Weſtphalici denique, & in eo Coloniæ, illuſtratur. Inſeruntur quoque Conſultationes monetales notabiles. Talis eſt, quæ reperitur No. XXXIII. agens de Inſtitutione novæ Monetæ, in qua inter cetera Cap. 3. quæritur, utrum Regale Monetæ utilius per adminiſtrationem, an per locationem exerceatur, & quid in utraque conſiderandum ſit. Expendi in eadem Conſultatione quoque meretur Cap. XIII, ubi proponitur Paradoxon, quomodo maiori cum emolumento numi Imperiales cudi poſſint, quam Floreni vel ſemi-floreni. Similis Conſultatio Anonymi proponitur No. LXXXVII. de pretio argenti: ea oſtenditur, id ſemper valorem monetæ ſequi. Eximia porro eſt Conſultatio occurrens No. CXVII. de Quæſtione, an locus ſit Inquiſitionis Commiſſioni Imperiali de Moneta contra Status Imperii. Conſcripta ea eſt A. 1688. & affirmatur in ea hæc quæſtio. Noſtris hominibus nihil in hac Collectione gratius eſſe poteſt, quam Receſſus inter Electorem Saxoniæ, Electorem Brandenburgicum, & Domum Brunſuicenſem initus in puncto monetæ. Datus is eſt Lipſiæ 16. (26.) Januar. 1690. Ex hoc enim Receſſu ortus eſt ille Monetæ valor, qui vulgo *der Leipziger Fuſs* dicitur. Sequuntur No. CXXII. rationes, cur Receſſus monetalis 1690. Lipſiæ confectus ſit.

Pro-

Proxima Pars VI. ea continebit, quæ ab A. 1701, præcipue vero in Annis 1736. 1737. & 1738. in Comitiis Ratisbonenſibus monetæ cauſſa notabiliter conſultata ſunt. Proponentur ea ex Actis Comitialibus, originaliter Dom. Auctori ſuppeditatis, & finietur ea VI. Pars cum Anno 1754. quo pes Viennenſis, qui & pes 20. Florenorum dicitur, celebrari coepit. Finietur hoc Archivum Monetale noſtrum cum hoc ipſo anno.

Ratione Circuli Rhenani Electoralis, Rhenani ſuperioris, & Weſtphalici, quædam tantum a Dn. Auctore Collectioni huic inſeri potuerunt. Sed communicatus cum eo eſt, ex inſigni quodam Archivo Principis cuiusdam Imperii, magnus Apparatus Receſſuum Monetalium, qui in ſingulari Sylloge proxime edetur. Antecedet Conſpectus, ut intelligatur, an aliquid lateat, vel Collectioni deſit, & ut plenum & integrum prodire Corpus poſſit.

Iam quoque ſub manibus eſt, initio Archivi noſtri Monetalis promiſſum, Opus, quod inſcribitur Detectum Myſterium Scientiæ Monetalis practicæ, cum adiectis Iconibus, lingua Germanica edendum. Schema Operis legi poteſt in Præfatione Partis noſtræ V. Quumque maxime interſit, noviſſe differentiam & comparationem ponderum argenti in & extra Germaniam, Dn. Franciſcus Taurinus, Adminiſtrator Monetæ Suabacenſis, vir in hoc genere exercitatiſſimus, ad inſtantiam Dni Auctoris Noſtri Tabellam confecit Reſponſoriam, quæ conferri poteſt initio Operis noſtri. Rogantur omnes rerum monetalium periti, ut, ſi qua error quidam, more humano, irrepſerit, ſi quod dubium iis obveniat, ſi qua occurrat notabilis differentia, amice eam indicent. Referentur propenſæ eorum voluntati gratiæ, etiam re ipſa.

Sequetur etiam Bibliotheca Numiſmatica. Communicavit Ill. Editor Noſter Collectionem ſuam cum alio Viro Erudito, & extranei Principis Conſiliario, qui per annos complures in eodem ſtadio deſudavit: unde ſperandum eſt, pleniſſimam fore hanc Notitiam.

Fini Partis huius V. ſubiicitur Index realis locupletiſſimus.

INFI-

Digitized by Google

INFINITINOMII AD POTENTIAM INDEFINITAM elevati Formula: Auctore ABRAH. GOTTHELF KAESTNERO, Mathem. & Phyſ. in Acad. Goettingenſi Prof. Publ. Ordin.

PROBLEMA. Seriei coefficientium datorum, $1+\alpha z+\beta z^2+\gamma z^3+\delta z^4+\varepsilon z^5 \ldots$ quæritur potentia m;

SOL. 1) Series ipſa ſtatuatur $= 1+y$; ſit vero alia ſeries, coefficientium quæſitorum; $1+Az+Bz^2+Cz^3+Dz^4+Ez^5 \ldots$ quæ dicatur w; & ponatur $(1+y)^m = w$; adeoque $m.(1+y)^{m-1}dy = dw$ ſeu $mwdy = (1+y)\,dw$

3) Iam $dy = (\alpha+2\beta z+3\gamma z^2 \ldots)\,dz$; $dw = (A+2Bz+3Cz^2 \ldots)\,dz$; unde

$$4)\quad (1+y)\frac{dw}{dz} = \begin{array}{lllll} A & +A\alpha z & +A\beta z^2 & +A\gamma z^3 & +A\delta z^4 \ldots \\ +2B & +2B\alpha & +2B\beta & +2B\gamma & \\ & +3C & +3C\alpha & +3C\beta & \\ & & +4D & +4E\alpha & \end{array}$$

$$5)\quad \frac{mwdy}{dz} = \begin{array}{lllll} m\alpha & +2m\beta z & +3m\gamma z^2 & +4m\delta z^3 & +5m\varepsilon z^4 \ldots \\ & +mA\alpha & +2mA\beta & +3mA\gamma & +4mA\delta \\ & & +mB\alpha & +2mB\beta & +3mB\gamma \\ & & & +mC\alpha & +2mC\beta \\ & & & & +mD\alpha \end{array}$$

6) Aequando terminos homogeneos 4; 5; eſt

$$A = m\alpha;\ B = \underbrace{(m-1)A\alpha+2m\beta}_{2};\ C = \underbrace{(m-2)B\alpha+(2m-1)A\beta+3m\gamma}_{3}$$

$$D = \underbrace{(m-3)C\alpha+(2m-2)B\beta+(3m-1)A\gamma+4m\delta}_{4}$$

$$E = \underbrace{(m-4)D\alpha+(2m-3)C\beta+(3m-2)B\gamma+(4m-1)A\delta+5m\varepsilon}_{5}$$

7) Hinc proſpicitur fore

$$F = \underbrace{(m-5)E\alpha+(2m-4)D\beta+(3m-3)C\gamma+(4m-2)B\delta+(5m-1)A\varepsilon+6m\zeta}_{5}$$

8) Ut formula generalis commode eruatur; dic ſeriei $1+y$ coefficientem quemvis λ, addito eius numero, ut ſit $\lambda 1; = \alpha$ &

α & $\lambda 2;$ $=\beta$ & $\lambda n;$ ſit qui pertinet ad z^n & $\lambda n-1;$ qui pertinet ad z^{n-1}, & ſic porro. Similiter ſit L coefficiens quivis ſeriei w, addito numero, ut ſit $L1; = A$ & $L2; = B$ & $Ln;$ $Ln-1;$ pertineant ad $z^n;$ $z^{n-1};$ hoc poſito erit

$$1+y=1+\lambda 1;\ z\ldots\ldots+\lambda r;\ z^r\ldots\ldots+\lambda n;\ z^n$$
$$w = 1 + L1;\ z\ldots\ldots+Lr;\ z^r\ldots\ldots+Ln;\ z^n$$
$$\frac{dy}{dz} = \lambda 1;\ \ldots\ldots\ldots+r.\lambda r;\ z^{r-1}\ldots+n.\lambda n;\ z^{n-1}$$
$$\frac{dw}{dz} = L1;\ \ldots\ldots\ldots + r.Lr;\ .\ z^{r-1}\ .\ .\ +n.\ Ln.\ z^{n-1}$$

9) *Quaeritur coefficiens producti* $(1+y)\frac{dw}{dz}$ *ad* z^n? Termini ſeriei $\frac{dw}{dz}$ in quibus variabilis elevata eſt ad potentiam n; n-1; n-2; .... n-r; .... 1; ducti reſpective in terminos ſeriei $1+y$ qui habent variabilem elevatam ad potentiam 0; 1; 2; ... r; n præbent facta continentia z^r. Igitur ſumma coefficientium horum factorum eſt coefficiens quæſitus, qui adeo fit $1.L1.\lambda n+2.L2;.\ \lambda n-1;+3.L3;.\ \lambda n-2;\ldots+(n-r+1).Ln-r+1;.\ \lambda r\ldots\ldots+n.Ln;.\ \lambda 1;+(n+1).Ln+1;.\ 1$

10) *Quaeritur coefficiens producti* $\frac{w\,dy}{dz}$ *ad* z^n? Componitur is eodem modo ex ſeriei $\frac{dy}{dz}$ coefficientibus qui pertinent ad potentias n; n-1; ... n-r ... 0 ductis in eos ſeriei w, qui pertinent ad 0; 1; ... r ... n; eſtque adeo

$$(n+1).\lambda n+1;.\ 1+n.\ \lambda n;\ L1+(n-1).\lambda n-2;\ L2\ldots.$$
$$+r.\ \lambda r;.\ Ln-r+1;\ldots.+2.\lambda 2;.\ Ln-1;+\lambda 1;.\ Ln;$$

11) Singulæ partes coefficientis (10) multiplicentur per m; quod prodit æquetur coefficienti (9) & hinc eruatur $Ln+1;$ (6) fiet

$$(n+1).Ln+1;=(m-n).\ Ln;.\ \lambda 1+(2m-n+1).Ln-1;.\ \lambda 2;$$
$$\ldots\ldots+(m.r-n+r-1).\ Ln-r+1;.\ \lambda r;\ldots$$
$$\ldots\ldots+(m.n-1).L1;.\lambda n;+m.(n+1).\lambda n+1;$$

12) Eo igitur, quod hic eſt ad partem dextimam ſigni æqualitatis, diviſo per $n+1$ habetur $Ln+1;$ per datos ab initio, ſeriei $1+y$, & iam inventos, præcedentes ſeriei w. Q. E. I.

13)

Digitized by Google

13) Huius ipſius coefficientis *generalis* (12) *pars generalis* eſt $\frac{(mr \cdot n + r \cdot 1). \; Ln \cdot r + 1; \, . \, \lambda r}{m}$ quæ ſubſtituendo ſucceſſive 1; 2; . . . n + 1 in locum ipſius r, præbet partes coefficientis, primam, ſecundam, ... ultimam; Nam L0; eſt = 1 Si L1 = A quia 1 præcedit coefficientem A quem ſeriei w primum appellavi, coefficientes vero hanc unitatem præcedentes, cum nulli ſint, erit L-1; = 0; L-2; = 0 & ſic porro.

14) Si eliminentur Seriei w coefficientes, reperitur

$$B = \frac{m.(m-1)}{1.\,2.}\,\alpha^2 + m\beta$$

$$C = \frac{m.(m-1).(m-2)}{1.\;2.\;3.}.\,\alpha^3 + m.(m-1).\,\alpha\beta + m\gamma$$

Sed expreſſio cuiusvis coefficientis ſeriei w per præcedentes, & legem progreſſus melius ante oculos ponit, & praxi aptior videtur.

15) Hæc facile ad caſus particulares applicantur. Ita pro *trinomio* fit $\gamma = \delta = \varepsilon = 0$ hinc ex (12)

$$Ln + 1; = (m \cdot n).\; Ln;\, .\, \alpha + (2m \cdot n + 1).\; Ln \cdot 1;\, .\, \beta + (3m \cdot n + 2)\; Ln \cdot 2,\, .\, \gamma):\; (n+1)$$

Hic coefficiens ipſe primus ſeu A, habet n = 0, & ex (13) fit L1 = m. α Similiter ſecundus & tertius reperiuntur, plane quales illos reperimus (6).

16) Alia determinatio eſt *indicis, manente indefinito numero partium radicis.* Ita ſi m = 2; coefficiens generalis quadrati infinitinomii fit

$$((2 \cdot n).\; Ln;\, .\, \lambda 1; + (5 \cdot n)\; Ln \cdot 1;\, .\, \lambda 2; + (8 \cdot n)\; Ln \cdot 2;\, .\, \lambda 3 \;.\;.\;.\; + (3r \cdot 1 \cdot n).\; Ln \cdot r + 1;\, .\, \lambda r \;.\;.\;.\; + 2.\,(n+1)\,.\,\lambda n + 1;):\; (n+1).$$

17) Pro quadrato trinomii (15) coefficiens hic generalis (16) abit in $\frac{(2 \cdot n).\; Ln;\, .\, \alpha + (5 \cdot n).\; Ln \cdot 1;\, .\, \beta}{n+1}$. Qui, in locum ipſius n poſitis ſucceſſive 0; 1; 2; 3; 4; 5; dat

$A = 2\alpha$; $B = \frac{A\alpha + 4\beta}{2} = \alpha^2 + 2\beta$, $C = \frac{0 + 3A\beta}{3} = 2\alpha\beta$;

D =

$D = -\frac{C\alpha + 2B\beta}{4} = \beta^2$; $E = -\frac{2D\alpha + C\beta}{5} = 0$

$6F = -3.E + 0.D = 0$; deinde pro $n > 5$ evaneſcunt tam Ln; quam $Ln\text{-}1$; unde habetur trinomii quadratum ut calculo conſueto.

18) Hoc autem exemplum monſtrat, quomodo pro multinomio definito, ſcripto integro poſitivo in locum ipſius m, ſeries abrumpatur, coefficientibus (16) evaneſcentibus.

19) Detur ſeries ⊙) $\pi u^{e} + \alpha u^{e+w} + \beta u^{e+2w} + \gamma u^{e+3w} \ldots$ quae reſolvitur in $\pi u^{e} . (1 + \alpha u^{w} + \beta u^{2w} + \gamma u^{3w} : \ldots = \pi z^{\frac{e}{w}} (1 + \alpha z + \beta z^2 + \gamma z^3 \ldots)$ vel $\pi z^{\frac{e}{w}} (1 + y)$ ſi loco u ſcribatur $z^{\frac{1}{w}}$. Data vero ex (12) potentia indefinita ſeriei $1 + y$; datur eadem potentia ipſius $\pi z^{\frac{e}{w}} . (1 + y)$ & adeo ſeriei ⊙; Proinde methodus tradita complectitur ſeries omnes, in quibus exponentes potentiarum variabiles conſtituunt ſeriem arithmeticam. Notum vero eſt, ſeries omnes eo reduci poſſe.

20) Si ſeriei ⊙ exponentium unus vel plures ſint negativi, erunt e, w, ambo vel alteruter horum numerorum negativi, & hinc determinabitur $z^{e:w}$, ſed ſeries $1 + y$ hac negativi conditione non adficietur ut nec illa univerſalitati methodi noceat. Hæc explicare operæ pretium erat, quia IAC. BERNOVLLIVS Oper. T. II. n. 103. art. 1. dubitat, an ſeries $1 + y$ ſatis generalis ſit, minus recte, ut iam CRAMERVS in notis monuit.

HISTOIRE DE DANNEMARC, &c.

i. e.

HISTORIA DANIAE, QUAE IBI GESTA SUNT INDE ab origine Monarchiae, usque ad tempora Celſiſſimae Gentis Oldenburgicae: conſcripta a Dom. MALLET, Profeſſore Regie

Digitized by Google

gio elegantiorum litterarum Gallicarum, &c. TOMUS PRIMUS.

Hafniæ 1758. in 4to, cum mappa geographica & icone Regis affabre ſculpta, Alphab. 2. plag. 11. cum dimidia.

Dania, non, ut vult Conringius, Marcam Danorum ſignificat, ſed potius Danorum regionem: Dani autem ipſi, ab ultimis duabus ſyllabis ſinus Codani, non certe aliunde, dicti videntur.

Liber I. elegantiſſimi Operis complectitur tempus Paganiſmi, a Rege Skioldo, uſque ad Canutum Magnum. Skioldus hic, primus Danorum Rex, 60. annis ante Chriſtum natum Danos rexiſſe dicitur. Recte autem hic, utut cum iudicio hypotheſis Islandica, quam ſecutus eſt *Torfaeus*, in Serie Regum & Dynaſtarum Daniæ, præfertur ei, quam ſequitur Saxo Grammaticus. Eſt enim hæc multo pluribus dubiis Chronologicis obnoxia, licet in reliquis Saxonem Grammaticum, & Cancellarium Huitfeldum, tamquam præcipuos viæ duces, ſecutus ſit Celeberr. Auctor, qui ab ineunte ætate in Dania habitat. Henricus Auceps Danos Germanis reddidit tributarios, Regemque illorum Nubam Baptiſmum ſuſcipere coegit (pag. 18. 19.). Ab Ottone I. vincitur Haraldus Coerulidens, & ſimiliter cogitur baptizari. Hic primus, vulgo, religionem Chriſtianam publice profeſſus dicitur. Sueno Barbæ furcatæ Angliam ſubigit, & Rex eius proclamatur A. 1014.

Agitur deinceps ſeparatim de Statu Eccleſiæ in Dania, ab eo inde tempore, quo religio Chriſtiana primum ibi prædicata eſt, uſque ad finem Regni Suenonis I. Carolus M. vi & armis Saxones, cum gentibus vicinis, ad fidem adigit Chriſtianam. Inſtituuntur eam in rem Iudicia Weſtphalica, ſæva in apoſtatas. Annuntiatur ea occaſione Danis quoque Evangelium. Agitatur hic, per modum excurſus, quæſtio, an Haraldus Daniam ab Ottone I. feudi lege recognoſcere coactus fuerit, eaque deciditur negative.

Digitized by Google

Lib. II. a Canuto M. XXX. Rege Daniæ, & ſecundo Rege Angliæ, pergit ad Waldemarum M. Canutus Norvegiam occupat, pulſo Rege, Olao, qui in Ruſſiam profugus, Sancti nomen meruit. Romam deinde petit Canutus, & coronationi Conradi I. Imperatoris adeſt, 1027. qui, die coronationis, inter ipſum & Raoulum, Regem Burgundiæ, incedit medius. Componitur iuſſu Canuti Codex legum, dictus Ius Aulæ, cuditur in Dania prima moneta, idemque Canutus, etiam Canutus dives appellatur. Suenon II. Gudam, Regis Sueciæ filiam, in matrimonium duxerat, quæ ei cognata erat gradu in Iure Canonico prohibito. Nuntios ad eum mittit Adelbertus, Archiepiſcopus Bremenſis, qui minentur Excommunicationem, niſi dimiſerit conſanguineam ſuam. Reſiſtit Rex, ſed Papa accedente partibus Adelberti, cedere Rex cogitur, & dimittere coniugem amatam. Canutus IV. qui & Sanctus vocatur, Decimas Clero addicit, qui ei perſuaſerat, eſſe eas Iuris Divini. Repugnat populus, petuntur vi, & inter hæc Rex occiditur Odenſeæ in templo S. Albani, 1086. Ericus I. dictus Bonus, iter Ultramarinum ſuſcipit in Terram Sanctam. Conſtantinopoli honorifice excipitur ab Alexi Comneno, Imperatore Græcorum. Sed dum ultra pergit, moritur in inſula Cypro 1103. Magnus, filius Nicolai XXXIX. Regis Daniæ, Halberſtadii 1134. adeſt Imperatori Lothario Saxoni, dat ei obſides, & iureiurando promittit, neque ſe, neque ſucceſſores ſuos ſumturos Coronam Daniæ, niſi permittente Imperatore. Portat etiam gladium ante Imperatorem. Paullo poſt prima vice Dani equitatum claſſe vehere coeperunt. Diſtributi equi quatuor per ſingulas naves. Iudicium inter Canutum & Suenonem, Principes regios Daniæ, de Regno contendentes, & Martisburgum evocatos, interponit Imperator Fridericus I. Suenoni Coronam ſua manu imponit Fridericus, eoque redditam Imperio Romano Daniam Germani aiebant.

Lib. III. inde a Waldemaro I. ſive Magno, deſcendit usque ad Ericum IV. Invitatur Waldemarus ab Imperatore Friderico I. ad Concilium, præfato, præſentiam eius deſiderare diſſi-

diſſidia, quibus mergatur Eccleſia Chriſtiana. Quum adveniſſet, fruſtra reluctans Homagium iurare cogitur. Hafniæ prima in Annalibus Danorum mentio fit Anno 1167. Dicta Koppenhagen, tamquam Portus Mercatorum, hunc enim ſignificat vox Kiöbmændshaven. Acciduntur vires a Waldemaro Rugiorum. Evertitur templum & Idolum Swanto-Witti, deſtruitur Iulinum. Editur Lex Scaniæ & Lex Selandiæ, una cum Iure Eccleſiaſtico utriusque Provinciæ huius. Sunt hæ leges ſimplices, claræ, conciſæ & valde idoneæ ad firmandam libertatem & poſſeſſiones civium. Gedanum quoque fundaſſe Voldemarus dicitur Annaliſtis Pomeranis, quum fudiſſet Sobieslaum, Dynaſtam Pomerelliæ. Poloni nomen Gdansk ſuis potius in Danos victoriis tribuunt. Sed Pomeranorum relatio maiori gaudet veriſimilitudine. Abſalon, vero nomine Axel, Archiepiſcopus Lundinenſis, moritur Anno 1201. Plurima ei Regnum, multum Hiſtoria debent. Excitavit enim Saxonem Grammaticum, Clericum, ſive Secretarium ſuum, ad ſcribendum Opus illud ſuum. Litteræ Patentes, quibus Imperator Fridericus II. Waldemaro II. provincias, quas Dani in Germania tenebant, cedit, & quibus nititur titulus Regis Vandaliæ, inſeruntur pag. 190. & ſeq. Vexillum Danebrog, quod vulgo coelo demiſſum dicitur, ante prælium cum incredulis Livonis commiſſum, inter ea fuiſſe poteſt, quæ Papa Regi Daniæ miſit. Capitur, nihil tale exſpectans, Woldemarus II. cum filio, a Comite Schwerinenſi, & in Germaniam abductus, poſt captivitatem trium annorum e carcere dimittitur, aere ingenti promiſſo. Creſcentem Lubecenſium potentiam frangere cupiens Woldemarus, prælio ab iis maritimo vincitur, & vix fuga elabitur. Promulgavit deinde legum Codicem Iutlandiæ, qui commendatur laudibus æquitatis & ſapientiæ, & qui hodienum pro parte obtinet in Ducatu Slesvicenſi.

Lib. IV. complectitur res a Danis geſtas, inde a tempore Erici IV. usque ad ætatem Reginæ Margarethæ. Ericus IV. a tributo aratris impoſito dictus Plog-Penning, inſidiis fratris Abelis perit, & inter Sanctos refertur. Fratricida Abel, ex

Digitized by Google

prælio contra Eyderſtadienſes inferior diſcedens, occiditur in fuga. Fabula de Spectro eius ne hodienum quidem ex animis quorumdam evelli potuit. Chriſtophorus I. poſtquam Archiepiſcopum Lundinenſem, Erlandſen, cuſtodiæ tradiderat, veneno tollitur. Ericus V. cognomine Glipping, clava ferrea occiditur ab aliquot nobilibus. Vocatus eſt Glipping, quod oculis ſæpius connivere & nutare conſueviſſet. Chriſtophorus II. exauctoratur & in exilium pellitur. Redit, ſed preſſus a vicinis, preſſus a ſubditis, ægre Regnum tuetur. Interregnum ſeptem annorum poſt mortem eius. Inſtauravit regiam poteſtatem Waldemarus III. in eo præterea felix, quod filiam genuit, Margaretham, Semiramidem Septentrionis. Favore ſexus tamen Margarethæ primum prælatus eſt filius ipſius, Olaus, puer ſexennis, qui diem obiit anno ætatis decimo ſeptimo.

Lib. V. idemque ultimus, a Margaretha tendit ad Chriſtianum I. e Domo Oldenburgica. Daniam & Norvegiam tenebat Margaretha, quum bello cum Suecis implicaretur. Capitur in eo Albertus, qui paullo ante Margaretham, ancillam Monachorum, Reginam ſine caligis, appellaverat, eique cotem miſerat, qua forcipem & acus acueret. Mare tum Balticum infeſtabant Vitaliani, piratarum genus, dicti a Victualibus, ſeu annona, quam captis Germanis Holmiam advehere primum promiſerant. Unitur Suecia Daniæ & Norvegiæ, & ſucceſſor Margarethæ deſtinatur Ericus Pomeranus. Eam in rem confecta Unio Colmarienſis, cuius verba recenſentur pag. 369. ſeq. Moritur Margaretha 1412. in navi, reditum Flensburgo parans in Daniam. Erico ſæpe hæc tria inculcaſſe fertur: Suecia te nutriet, veſtimenta tibi dabit Norvegia, tuebitur te Dania. Poſt mortem Margarethæ peſſime rem gerit Ericus. Ducatum Slesvici cedere cogitur Comiti Holſatiæ. Subditorum opes tributis exhauſtæ. Deficiunt Sueci, ſibique Adminiſtratorem conſtituunt. Exauctoratur Ericus etiam a Danis, qui Chriſtophorum III. Bavarum ſibi Regem eligunt. Ericus in Gothlandiam inſulam fugit, ibique piraticam exercet per decennium. Tandem Ru-

Digitized by Google

Rugenwaldiæ moritur in ſumma paupertate Anno 1459. ætatis ſeptuageſimo ſexto. Succeſſor eius Chriſtophorus primus ſedem Regiam, Hafniam, quæ antea Epiſcoporum Roſchildenſium fuerat, detulit.

Avidiſſime exſpectamus Tomum ſecundum venuſtiſſimi Operis, qui Hiſtoriam Daniæ recentiorem complectetur.

CHRISTEIS, HOC EST, ACTA APOSTOLORUM E lingua originali in Latinam translata, & carmine heroico expreſſa, notisque ſubiunctis illuſtrata a IOANNE IOACHIMO GOTTLOB AM-ENDE, S. S. Theol. Doct. Paſtore ac Superint. & Protoſynedrii Dreſdenſis Aſſeſſore.

Vitembergæ 1759. apud Io. Ioach. Ahlfeldium, Alph. 1. pl. 10. quatern.

Quod a prima pueritia complexus eſt, neque in ſenectute dimittit pulcherrimum poeſeos ſtudium Auctor ſumme venerabilis. Hic cum omnes, quæ ad humanitatem pertinent, litteras diligenter omni tempore coluit, & poeticam in primis artem ardentiſſimo amore amavit, atque dulci muſarum conſuetudine delectatus eſt, tum nunc quoque in earum hortulos interdum exſpatiari, animumque ex graviſſimarum rerum tractatione recreare atque reficere ſolet. Iam olim ex divini *Popii,* de homine, carminis verſione, vehementer doctis viris probata, quæ ſit ingenii elegantia, quam teretes aures, intelligensque iudicium, ſatis perſpectum eſt atque cognitum. Quare, quid de hoc, quem nunc in manibus habemus, libro, ſentiendum ſit, facile intelligitur; neque is noſtris laudibus magis, quam ſola commemoratione, lectoribus proponendus eſt.

Cum vero res eſt omnino ardua & difficilis librum in aliam linguam bene transferre, tum in hac verſione omnes difficultates illas multo maiores eſſe nemo ignorabit, qui vel de poetica iudicare potuerit, vel ipſe eiusmodi laborem tentaverit. Magnas interpreti modi & numeri moleſtias afferunt: multa

ſunt verba, quæ carminis leges non admittant, multa, quæ duriuſcula in carmine & aures offendant, alia quaſi lingua quadam loquuntur poetæ. In aliis denique libris interpretandis ferri poteſt, certe non magni refert, ſi, quæ exprimi nequeant, mutet aut omittat interpres, qui, *quae deſperat tractata niteſcere poſſe, relinquit.* Interpretationis autem librorum ſacrorum longe alia eſt ratio. Maior hic cautio, maior religio adhibenda eſt. Maioris omnia ſunt momenti, quam ut vel minimum mutandi omittendique poteſtas nobis concedi poſſit. Quanti vero laboris eſt, tot Hebraiſmos, certe Græciſmos, tot nomina urbium atque hominum, a latino carmine quæ plane abhorrere videantur, ita transferre in linguam latinam, ut & bene latine loquaris, & poetæ partes agas? Quas difficultates & moleſtias ſic vicit Vir S. Rev. ingenio atque induſtria, ut multas etiam virtutes adiungeret, quæ bonum poetam perficiunt. Dictio eſt pura atque latina, magna non in ſingulis modo verbis, ſed in toto quoque orationis habitu elegantia, diligens & felix veterum poetarum imitatio, mira denique ſuavitate concentus, quem numeroſa verborum in verſibus compoſitio gignit, aures & animum perfundit. Age vero, ut probemus iudicium noſtrum lectoribus, adſcribamus aliquot verſus, qui legentibus nobis arriſerunt præ reliquis. Sunt illi in Libr. I. c. 2. v. 134. ſeq.

Ecce! repente fragor ſuperis delatus ab oris
Exoritur, qualem validi vis incita venti
Secum ferre ſolet. Venti velut agmine facto,
Qua data porta ruunt, ac totam turbine tentant
Impleruntque domum, qua conſedere quieti.
Turbine mirifico flammae miſcentur & ignes,
Ignes linguarum ſimiles ſurſum atque deorſum
Nunc huc nunc illuc, illorum tempora circum
Diviſi volitant. Coit hinc atque inſidet ignes
Unoquoque ſuper capite, ipſas denique linguas
Oraque tota putes ſacris ardeſcere flammis.
Divino implentur confeſtim Numine. Sanctus
Spiritus intus agit cunctos, agitante caleſcunt

Intus

Intus & extra illo. Fundunt, mirabile! voces
In linguis variis varias, & Numine plenas.
Spiritus ipſe operans & res & verba miniſtrat,
Quem penes omnis erat tum vis, tum forma loquendi.

Ut plena hæc! ut gravia! ut redolent diligentem veterum lectionem! Iam, ubi quæ cum Stephano acta ſint, commemorantur (p. 55.), altius efferri Vir S. Rev. ardore quaſi quodam accendi, & ſe ipſum videtur ſuperare. Sed longior ille locus eſt, quam qui adſcribi poſſit.

Neque tamen iis ſolum huius libri lectionem commendamus, qui poeticæ elegantiæ ſtudioſi ſint, ſed illis quoque, qui ſe ſacrarum litterarum ſtudiis dederint, utiliſſimam fore arbitramur. Sunt enim notæ ſubiectæ, quæ cum interpretationum rationes reddunt, tum magnam obſcurioribus locis lucem affundunt. Plurima quidem ex verſione Syriaca illuſtrantur, cuius quantus ſit uſus, quanta dignitas, ex *Io. Dav. Michaelis*, viri doctiſſimi, *Curis* in illam verſionem intelligi poteſt. Sic V. S. R. ſequitur Syriacum interpretem, p. 3. dum *διὰ τῦ πνεῦματος ἁγίȣ* ad *ἐλέξατο* refert, p. 5. a Syro in eam ſententiam ſe adductum eſſe fatetur, ut in hoc *λήψεϑε δύναμιν ἐπελϑόντος τῦ ἁγίȣ πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς*, poſt *δύναμιν* diſtinctionem, ut aiunt, minorem poneret, p. 25. cum Syro verba *ἐπὶ τὸ αὐτὸ* novæ pericopæ initium eſſe tradit, & cum eodem p. 31. verba *ἀποκατάςασις πάντων* per *impletionem omnium temporum* interpretatur. Memorabile etiam eſt, quod p. 79. annotatur, Syrum & ibi & Matth. XIX. 12. verbum *εὐνȣ̃χος* per *fidelem* reddere. Deinde vero non pauca ex Philologia repetita in notis proponuntur, ut p. 3. de verbo *τεκμήρια*, p. 4. de particula *εἰ* pro *utrum* vel *an*, p. 8. de particula *ὅτι* pro *etſi*, quam ſignificationem etiam Hebræorum כִּי habet. p. 12. docetur formulam *ἐν τῷ συμπληρȣ̃σϑαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοςῆς*, certum præſcripti temporis ſpatium, quod non prorſus expletum, ſed cuius ultimus dies advenerit, indicare, atque igitur Hebraiſmum ſapere, qui in verbo מָלֵא ſæpe occurrit. p. 35. verbum *ἰδιώτης*, p. 42. *ψεύδεσϑαι*, p. 55. *ὄχλος*, p. 159. *σπερμολόγος* explicantur.

Deni-

Denique varia, quæ ad Theologiam pertinent, traduntur in notis, p. 13. exponitur de flammulis ſuper Apoſtolorum capitibus viſis, p. 22. docetur, formula βαπτισθήτω ἕκαστος ἐπί τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ confeſſionem indicari, quæ baptiſmum anteierit. p. 39. de bonorum communione inter primos Chriſtianos inſtituta, p. 44. de umbra Petri, quam morbos tollere credebant, p. 54 de ordinatione ſacerdotum precibus & imponendis manibus facta, varia afferuntur, eaque non iniucunda lectu. p. 125. vindicantur verba ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, & contra eos defenduntur, qui abſolutum Dei decretum de ſalvandis damnandisque hominibus inde apparere tradunt; eaque *de ſitu auditorum & habitu ad Dei verbum cum fructu audiendum*, accipienda docetur. Sunt etiam multa alia, non contemnenda, quæ nos præterimus.

Cæterum V. S. R. verſionem hanc Actorum Apoſtolorum in Libros IV. diſtinxit, huiusque diviſionis fundamentum ex verbis Chriſti in Act. c. I. v. 8. repetiit. Nam cum ibi Chriſtus Apoſtolos ſibi ait teſtes fore *Hieroſolymis, in omni Iudaea & Samaria, & usque ad extremum terrae*, primum de iis, quæ Hieroſolymis, deinde quæ in Iudæa & Samaria, tum quæ inter Gentes, denique quæ Romæ, a Paulo maxime, acta ſint, exponendi occaſionem Auctor nactus eſt. Præfixa denique eſt præfatio, in qua V. S. R. & inſtituti rationem enarrat, & Muſis atque Apollini hiſce verſibus valedicit.

Nunc, o dulce meum decus! o divina poeſis!
Quae mihi feciſti gaudia mille, vale.
Non fert officium, non fert ipſa amplius aetas,
Antiquo ut tecum vivere more queam.
Gratus dum vivo tamen, (& meminiſſe iuvabit)
Gratus amicitias commemorabo tuas.
Immo dum veri ſtudium, & cultura vigebit,
Dumque erit ingenuis artibus ullus honor:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,
Coelitibusque ipſis ſacra, poeſis, eris.

Quid ſi vero eadem illa poeſis (dabit enim Viri S. Rev. humanitas nobis hanc veniam, ut, communis utilitatis cauſa, quæ

quæ ſentiamus eloquamur libere,) quid igitur, ſi poeſis hæc reſpondeat?

Ergo potes noſtris divelli amplexibus? ergo
Me fugere & noſtro certus es ire ſinu?
Non gelidos poſthac lucos, fonteſque ſonantes,
Non virides montes grata nec antra petes?
Non hilares mecum choreas celebrare iuvabit,
Non vario doctum cingere flore caput?
Non Tua ſaxoſae referant ad ſidera valles
Carmina? non reſonet collis & omne nemus?
Immemor o noſtri! meritorum oblite meorum!
Quo Tibi cura mei, quo Tibi ceſſit amor?
Noſter per totam vitam quot gaudia fecit,
Quotque voluptates, ipſe fateris, amor!
Nunc me contemnes? nunc dulcia gaudia, noſtra
Munera ſordebunt deliciaeque Tibi?
Hoc de Te merui? noſtro hoc Tu reddis amori?
Tu grates meritis haſce referre potes?
Quod divina Tibi ſapientia detulit, illud,
Crede, mei cultum poſtulat officium.
O mea quis, quoties vilem abiectamque catervam
Adſpicio vatum, tum rubor ora ſubit!
Inſano ſtatuunt aras, & multa furori
Thura ferunt, noſtrum dedecorantque decus.
Inſpirare decet vates probitatis amorem,
Virtutiſque decus concelebrare decet.
Quae mare, quae coelum, quae totum condidit orbem,
Extollant dextram laudibus usque ſuis.
Magnorum memorent inſignia facta virorum,
Claraque carminibus nomina ad aſtra ferant.
Namque intrant facile mentem & radicibus altis
Haerent, quae manibus cunque polita meis.
At Tu nonne eadem facis? o dulciſſime, nonne
Haecce Tuae partes officiumque Tuum?
Per Te olim Popius, muſarum dulcis alumnus,
Romano docuit carmine quid ſit homo?

K *Per*

Per Te quae comitum Chriſti ſint fata, labores,
Quae ſint doctrinae, muſa latina canit.
Macte tui ingenii virtute, o docte poëta,
Et quam coepiſti, perge tenere viam.
Nec Tibi ne vires animi, ne forte vigorem
Eripiat priſcum cana ſenecta, time.
Arridens hilari naſcenti fronte, canorus
Hic dixi vates hic mihi charus erit.
Hic canet, & cantu cygnos imitabitur, usque
Ad mortem & moriens carmina blanda canens.
Tunc roſa, tunc violae, viridans tunc laurus obumbret
Et tumulum decorent plurima ſerta Tuum.

COLUMNA THEODOSIANA, QUAM VULGO HI-ſtoriatam vocant, ab Arcadio Imperatore Conſtantinopoli erecta in honorem Imperatoris Theodoſii iunioris, a GENTILE BELLINO delineata, nunc primum aere ſculpta, & in XVIII. tabulas diſtributa.

Venetiis, fol. oblongo, plag. 2. & ½. fig. æn. XVIII.

Quam *Claudius Franciſcus Menetreius*, S. I. vir doctiſſimus, atque omnis antiquitatis peritiſſimus, olim Columnæ iſtius deſcriptionem dedit, eam hoc loco integram exhibebimus, quod in hac Editione Veneta, (quam dubitamus in multorum manus venturam,) tabulis æneis præmittitur, eſtque ita comparata, ut neque doctiorem monumenti incomparabilis interpretem, neque elegantiorem ſuper ea hiſtoriæ medii ævi particula, quam columna exhibet, iudicem, quisquam deſideret. Ita autem Menetreius.

Qui Urbem Conſtantinopolitanam deſcripſerunt; quique eius hiſtoriam literis mandarunt, adeo varia de hac Columna hiſtorico-anaglyptica loquuti, & tam diſſimiles imagines reliquerunt, ut quæ demum ea fuerit, difficillimum ſit coniicere, & certo ſtatuere, qua de cauſſa poſita? & quisnam Impera-

perator conſtrui iuſſerit? tribuentibus id aliis Theodoſio Magno; aliis Arcadio, & Honorio, filiis; quibusdam etiam Theodoſio iuniori.

Chronica Alexandrina teſtantur, prioris iuſſu poſitam in Foro, quod extrui mandaverat; eamque anno XV. Imperii, cum eſſet Conſul cum Abundantio, ſolemniter ipſius nomine conſecratam: eundem præterea anno poſteriori ſuam ipſius Statuam ibidem collocari voluiſſe in Columna marmorea, cava intus, & ducta cochlea ad faſtigium usque, in quo poſita erat ſtatua: hancque Columnam exterius exornatam victoriis, quas Imperator de Scythis, & aliis barbaris nationibus victis, reportarat. Quod & Cedrenus confirmat: *Tauri ſtatuam poſuit magnus Theodoſius, ſuas contra Scythas, & barbaros continentem pugnas, & victorias; habet in his viam ſurſum ferentem,* pag. 323.

Vetus quædam deſcriptio Conſtantinopolitanæ urbis, ſtatuit Columnam inter ſeptimam & octavam regionem, quæ vocabatur regio Taurina, aut Tauri, cuius Palatium in ea regione erat. Forum Theodoſii ab una ad alteram regionum producebatur; hinc fit, ut Cedrenus Tauri ſtatuam nominet. Sapiens Lambecius, ſuis in Codinum notis de origine Byzantii, illum auctorem de hac Columna loquutum credit, cum Tauri Forum deſcribens dicit: ὁ μέγας κίων ὁ χρῦφος, *Columnam Cochlidem Theodoſii in Tauro ſitam, hic intelligendam eſſe cenſeo, quae ad ſummitatem usque intra ſe pervia erat, & circum circa figuris ſculptis exornata.*

Quidam Hiſtorici dicunt, hanc Theodoſii Magni Statuam fuiſſe equeſtrem, argenteam; & terræmotu duabus teſtudinibus diſiectis concidiſſe. Codinus fultam dicit duobus fornicibus, aut marmoreis arcubus, in quibus erant imagines Theodoſii filiorum, Arcadii & Honorii, una in dextera, altera in leva parte Columnæ.

Du-Cangius, in ſua Conſtantinopoli Chriſtiana, nobis reliquit figuram Columnæ hiſtorico-anaglypticæ, quam putat eſſe Theodoſii Magni; eamque ſibi communicatam dicit a R. P. Molinetto, Canonico Regulari Abbatiæ S. Genovefæ:

 illum

Digitized by Google

illum vero deſumpſiſſe ex ſua curioſa Bibliotheca, cui præerat, quamque exornarat cellula alia, copioſe referta præclaris monumentis, quorum deſcriptio cum figuris iam evulgata. Equidem patet, eam figuram cum huiuſce imaginibus nullam relationem habere; præterquam quod temporibus Theodoſii Magni non videntur inceſſiſſe viri induti veſtibus, quibus conſpiciuntur in Columna a Du Cangio relata.

Sponius, in deſcriptione itineris in Græciam, & alia Orientis loca, de hac Columna loquitur his verbis: Columna, quæ Conſtantinopoli media urbe eſt, tota hiſtorico-anaglyptica, erecta fuit honori Imperatorum, Arcadii & Honorii, quorum repræſentationis notæ in baſis latere inſpiciuntur. Victoriæ duæ eorum capitibus imponunt coronam, iique magno Senatorum numero ſtipantur. Infra eos autem aliæ duæ Victoriæ coronatas pinnis feminas pertrahunt, totidem imagines Civitatum, quas duorum Principum exercitus imperio ſubiecerant. Columna tota eſt marmorea, & eius generis, ac ea, quæ Traiani Romæ. Sculptura quidem non ita elegans; quippe eo ſæculo, quo artes maxima ex parte perfectionem amiſerant. Nihilominus eſt ſatis concinna: & æque demiratus ſum, quod alii prorſus deſpicerent, alii Traianæ præferrent. Quod ad altitudinem, illam ſuperat; nam ſecundum Gyllii menſuram, hæc 147; e contra vero Traiana tantum 123. pedes habet. Hæc Columna, de qua loquor, cochleam habet interius; verum nunquam a Turcis obtinere potui, ut aſcenderem: aut quod religioni ducant illuc admittere Chriſtianos; aut quod gradus ſint diffracti. Figuræ baſis, & ad imum Columnæ, male vexatæ, potius Turcarum ſuperſtitione, qui vel neque eas pati poſſunt, quam ſui vetuſtate.

Grelotius, qui publici iuris fecit anno 1680. Relationem novam itineris Conſtantinopolitani, undique repletam areis per ſe demenſis ibidem loci; & figuris cuiusque rei ea in urbe notatu dignæ, quam duobus aut tribus annis ante Regi obtulerat, aliquanto diſſimilem Columnæ Du-Cangii & Sponii deſcriptionem huius emiſit. Is eam collocat prope

qua-

Digitized by Google

quadratam turrim, quæ in mari eſt, ſpatio pedum viginti procul ab urbis moenibus, ubi olim triremium portus, in quo Imperatores, Theodoſius, Arcadius, eorumque ſucceſſores, diu remiges detinuerant. Superius, hic inquit, & in portus conſpectu, olim Forum magnum habebatur, in quo media celebris Columna, quæ adhuc ſtare cernitur: verum hodie, addit, Forum oppletur domibus: earum etiam aliquæ in ſtylobaten Columnæ innituntur.

Marmorea hæc eſt, quaqua verſus circumdata figuris perpulchre inciſis, quæ expeditionem Arcadii deſignant; verum non omnes ea artificis manu elaboratæ, atque illæ in Columna Traiana Romæ. Altior tamen multo eſt, æque cava, cum cochlea, per quam ad ſummum usque facile aſcendi poteſt. Sed id prope impoſſibile in præſens obtentu eſt. Rationem addit, quam Sponius ignorarat, aſſerens, Viatorem, quem nominare renuit, feliciorem, quam ſapientiorem, ante aliquot annos aſcendendi illuc libertatem obtinuiſſe; ſed cum ſupre eſſet, ita imprudentem fuiſſe, ut ſe palam oſtenderet, contra datum monitum; nempe caveret, ne quis animadverteret: atque maiora aggreſſum ibidem ſeſe detinuiſſe ſuum deſcribendo nomen in vertice Columnæ; & plura alia ſigna edidiſſe, appenſo linteo ad extremitatem arundinis, quam deferebat. Qui regionem illam pertranſibant, quique domicilium prope habebant, magnopere omnes mirari, quod contra conſuetudinem quis hominum Columnam aſcendiſſet; tum vero maxime, cum animadverterent, eum ex Gallis eſſe, qui pileum in capite geſtaret: momento temporis vicus repletus multitudine, & regio tota commoveri. Alii turmatim accurrere, curioſitate impulſi, ut viderent novam hominis ſpeciem, exiſtimantes illius animam eſſe, qui Columnam extolli iuſſerat, nunc vero iam occupatum a ſua ipſius ſtatua locum repetitum rediret: alii vero, perciti zelotypia, quam excitare poterat vel ſola cogitatio, eorum mulieres ſpectatas fuiſſe a Gallo Chriſti ſectatore, cito e domibus erumpere, hominem inſpecturi Columnam ſcandere auſum: omnes extemplo credere, conſulto id feciſſe, ut inde facilius mulierum conſeptum

 intro-

introſpiceret, atque ſibi amabiliorem deſignaret. Itaque quisque, variis laceſſitus motibus, quos animi affectus excibat, ad Columnam accurrit, obſedit domum, quam Gallus intrarat; & cum citiſſime deſcendere iuſſiſſent, pugnis & calcibus adducunt ad domum Sub-Bachæ, aut Præfecti regionis, ut illius curioſitatem ulciſceretur. Iam parari cippus, vulgo *Falaca*, & fuſtes; atque haud dubium, quin miſer Gallus ſub planta pedis ictus ad quinquaginta pertuliſſet, niſi Gallorum Legatus huiuſce rei ſtatim certior factus, quam citiſſime fieri poſſet miſiſſet interpretem cum munere, ut eius nomine Sub-Bachæ ſupplicaret, ne ultra procederet: qui Gallum in Columnam intromiſiſſet, eum maiori culpa obnoxium, quam qui advena, quique nec noverat Turcarum mores: inſuper animadverti debere, quod cum neque ille prorſus ſanæ mentis homo eſſet, dignus videbatur, cui & Legati, & delati muneris cauſſa, remitteretur culpa, ad quam ſola amentia adegerat: cæterum, ſi dandum exemplum, potius in Columnæ oſtiarium, quam in infelicem alienigenam edendum. Revera immunis verberibus fuit Gallus; ſicque retributum munus: Columnæ vero oſtiarius pro eo mulctatus. E mari ſatis conſpicitur hæc Columna Honorii & Arcadii; verum quod ad eorum triremium portum, qui ex adverſo litoris erat, haud in præſentia ſignum, aliquando extitiſſe.

Harum Relationum nulla ad eum dignoſcendum quidquam ſuppeditat, qui iuſſerit Columnam erigi; quamque expeditionem illa repræſentare poſſet; nam inter Theodoſium Magnum, Arcadium, Honorium, & Theodoſium iuniorem, partiuntur ſententiæ.

Cum ea omnia perpenderimus, quæ veteres auctores ſcripſere, præſertim Græci, ad huius Columnæ erectionem quam proxime accedentes, ad eos conciliandos dicendum videtur, eam, ni elaborata ſit tempore Imperatoris Theodoſii Magni, cuius victorias, ex Scythis & aliis barbaris nationibus reportatas deſignat, opus fuiſſe Theodoſii Iunioris eiusdem fratris filii, qui in baſi repræſentavit victorias Arcadii, patris ſui, & patrui Honorii, ut horum trium Imperatorum, qui eum præceſſerant, memoriam conſecraret. Plu-

Digitized by Google

Plures iam Conſtantinopoli habebantur Columnæ: nam poſtquam Conſtantinus vetus Byzantium in novam Romam redegit, deligens, ut eſſet imperii ſedes, non ſolum eam Romæ ſpoliis ditavit, verum maxima ædificia extruxit; & plerique Imperatorum, qui eidem ſucceſſere, certatim conati illam magnificentiſſimam efficere, ut nihil cederet terrarum dominæ, quam Respublica, Cæſaresque, ad tantam nominis celebritatem tot publicis ornamentis evexerant. Quod hiſtoricorum quemdam ex ea ad dicendum impulit, non oculos, ubi conſiſterent, invenire, tot mirabilibus perculſos; & neque mentem inter ea prodigia diſtractam noſſe, cui primas dare: cum omnia æque in admirationem raperent, & ſingula ſingulis ſplendore & magnificentia anteirent.

Quoniam inter ea monumenta, Traiani & Antonini Columnæ non ultimo loco erant, ſtatutum Orientis Imperatoribus, ut urbs imperii princeps huiusmodi ornamentis diſtingueretur. Itaque Conſtantinopoli non ſolum viſebantur Circi & Theatra, Thermæ & Porticus, Coloſſi, Obeliſci, Amphitheatra, Palatia, Viridaria, Fontes; verum & plures Columnas erigendas iuſſerunt, quarum dignior notatu ea Porphyrii, quam ſupra poſita erat Statua Conſtantini. Hæc cum decidiſſet, Imperator Alexius Comnenus maximam crucem ibi poni curavit. Cernebantur aliæ Columnæ in Hippodromi Foro, victricibus erutæ factionibus in curſu equorum, & curruum, atque aliis exercitationibus & certaminibus Circi.

Illud etiam dici poſſet, Theodoſios Imperatores, qui ſeſe Traiano ortos vocabant, quique ſaltem ex una eademque Hiſpaniæ civitate originem ducebant, voluiſſe ſibi erigere monumentum ei ſimile, quod Romæ poſitum Traiano, atque adeo Columnam hiſtorico-anaglypticam, ac ille, perficere.

Gottofredus Villharduinus, qui bello ſubacti Byzantii nobis hiſtoriam reliquit, ad annum 1207. loquitur de hac Columna hiſt. anaglyptica, oblata occaſione Alexii Ducis cognomento Murſuphli, deiecti præcipitis ab altitudine Columnæ, quod mortem intuliſſet Alexio Imperatori, quem ſacram militiam pro-

profeſſi in regnum reduxerant. *A ce fut accordé li Conſeil* (inquit auctor vetuſtis ſuæ linguæ vocibus) *que il avoit une Columne en Conſtantinople emmi la Ville qui ere une des plus haltes & des miels ouvrées de marbre qui onques fut veue d'oil, & en qui le feiſt mener & lo feiſt ſaillir aval, voyant tote la gent que ſi halte juſtiſe devoit bientot li mong veoir. Enſi fu mené l' Empereor Morchuſlex & fu mené ſus, & tot li peuples de la cite accorrut por veoir la merveille. Lor fu boté a val, & chut de ſi halt, que quand il vint à terre que il fu tot eſmiez; or oyez une grant merveille, que en celle Columne dont il chai à val, avoit imaiges de maintes manieres ouvrées el marbre; & entre celes imaiges, li en avoit une qui ere laborée en forme d' Empereor, & cele ſi chait outre val; car de longtemps ere profeitrieié qui auroit un Empereor en Conſtantinople qui devoit eſtre gitez à val cele Columne, & enſi fu cele ſemblance & cele Propheicie averée.*

Omnes hæ relationes deſcriptionesque nihil ſatis diligentiæ habent, ut intelligamus, ecquid ea Columna hiſt. anaglyptica deſignetur; mihique perſuadeo, non alia de cauſſa tam varie auctores loquutos, niſi quod alii alteram Columnam hiſt. anaglypticam deſcripſerint; alteram vero alii: duas enim in veteri Byzantii deſcriptione invenio; alteram in regione ſeptima; alteram autem in regione duodecima. En ſeptimæ regionis deſcriptionem, quæ hiſt. anaglypticæ Columnæ Theodoſii mentionem facit: *Regio ſeptima. In comparationem ſextae planior, quamvis & ipſa circa lateris ſui extremitatem habeatur in mare declivior. Haec a parte dextra Columnae Conſtantini uſque ad Forum Theodoſii continuis extenſa porticibus, & de latere aliis quoque pari ratione porrectis, uſque ad mare velut ſe ipſam inclinat, & ita deducitur. Habet autem in ſe Eccleſias tres, hoc eſt Irenem, Anaſtaſiam, & S. Pauli. Columnam Theodoſii intrinſecus, uſque ad ſummitatem gradibus perviam. Equites magnos duos, partem eiusdem Fori.*

Vides igitur Columnam Theodoſii in ſeptima regione diſtincte locatam, cum cochlea interius ſit, ut ad faſtigium uſque

que perveniatur. Huic duæ ſtatuæ equeſtres comitantur; atque eæ videntur eſſe, quas Codinus Arcadii & Honorii fuiſſe dicit, duobus fornicibus, aut arcubus impoſitas, earum alteram in dextera, alteram vero in ſiniſtra parte Columnæ, ut in Tabula videre eſt, portus Theodoſiaci Fori, eiusdemque Fori ſitus a latere maris.

En vero deſcriptionem regionis duodecimæ, in qua Columnam alteram invenio, ut priorem, interius cavam, cum cochlea ad faſtigium aſcenſuris: *Regio duodecima. Porta a civitate petentibus in longum plana omnis conſiſtit, ſed latere ſiniſtro mollioribus clivis deducta maris confinio terminatur, quam moenium ſublimior decorat ornatus. Continet in ſe portam auream, Porticus Troadenſes, Forum Theodoſiacum, Columnam itidem intra ſe gradibus perviam, Monetam, Portam Theodoſiacam, &c.*

Hæ Columnæ gradibus ductis in morem ſpiræ inſpiciuntur in quadam Byzantii Tabula, atque eadem prorſus, quæ anno 1422. erat, antequam urbs Turcarum imperio ſubiiceretur. Eius figura ad huius explicationis calcem conſpici poterit.

Monumentorum huiuſce urbis publicorum enumeratio veteris deſcriptionis tempore facta, eidem quinque Palatia attribuit, Templa bis ſeptem, ſex divinas domos imperatricum, familias tres nobiliſſimas, octo Balnea, aut Thermas, duas Baſilicas, quatuor Fora maxima, aut mercatus, duo Senatus, quinque Horrea publica, duo Theatra, quatuor Portus, Circum unum, quatuor Ciſternas, quatuor Aquæductus, duo & viceſimos vicos ultra trecenos, quatuor millia & trecenas octoginta octo domos, Porticus duo & quinquaginta. Apponit deinde Columnam Porphyrii, & duas Columnas Cochlides: *Columnam purpuream, Columnas intra ſe pervias duas.*

In altera Columna veteris Tabulæ Conſtantinopolitanæ, iuxta Villharduini hiſtoriam, cernebatur Murſuphlus capite demiſſo.

Verum nunc exponendum videtur, unde prodierint figuræ inſculptæ tabulis bis octo, quas Vallettus Deſignator, &

Sculptor Regis ex Regia Academia Picturæ & Sculpturæ, incidendas commiſit filio, poſtquam Roma rediiſſet, quo ſe contulerat, ut veteres conſectatus, delineandi & ſculpendi arte perficeretur. Vallettus Pater delineatas vidit huius Columnæ figuras in Muſeo Accarti Pariſienſis: is enim Muſeum habebat variis refertum antiquitatibus, quæ illuc pertrahebant quotquot res eximias videndi ſtudium inceſſerat. Vallettus tanta diligentia elaboratas figuras invenit, ut ſibi homines devincturum exiſtimarit, ſi lineamenta communicaret. Accarto preces admovit; & cum ſumendi exemplum data facultas, rogavit conſanguineum Paillettum, ex Pictoribus ordinariis Regis, & Regiæ Academiæ Profeſſorem, cuius fuerat Rector, ut figuras delinearet, atque in minorem formam redigeret; quoniam priora lineamenta duo & quinquaginta extenſionis pedes habebant; & illud iis incommodum videbatur, qui typis, & librorum forma divulgare volunt. Hoc Paillettum impulit, ut eam extenſionem reduceret ad duo & triginta pedes, quos Vallettus cælandi facilius cauſſa in ſexdecim Tabulas diviſit. Cum vero ſcire voluiſſet, quanam ratione habita lineamenta, intellexit, Venetum Legatum ad Magnum Turcarum Imperatorem, tempore Muhammedis II, pulcherrimas pictas Tabulas ſecum attuliſſe, ut ſibi Palatium Conſtantinopoli exornaret: mira res Turcis, qui nullas picturas admittunt. Muhammedes II. factus certior, & quoniam curioſus Princeps erat, Legato ſignificavit, ſe teneri deſiderio inſpiciendi picturas. Legatus eas miſit, præſertim vero virorum imagines, quibus Princeps ita in admirationem raptus, ut nullo modo ſeſe continere potuerit, quin opifici laudem tribueret, atque ad ſe adduci poſtularet. Is erat Iohannes Bellinus, qui tunc temporis divi Marci Palatio depingendo occupatus detinebatur. Bailus, (hoc enim nomine Reipublicæ Legati ad Magnum Turcarum Imperatorem vocantur,) ſcripſit ad Senatum, cui Muhammedis petitio negotium faceſſit, quod relinquere imperfectum nollet opus Iohannis Bellini, nimium iam provectæ ætatis, ut maris iter inſtitueret, quin maximis incommodis, atque etiam moriendi periculo

culo in itinere eſſet obnoxius. Hic fratrem, cognomento Gentilem, habebat, qui in eius arte verſabatur, neque ita ingraveſcente ætate: decretum, facilius eum poſſe iter aggredi, & ſatis præterea idoneum eſſe, qui cupienti videre, quomodo imagines pingerentur, ſatisfaceret Muhammedi.

Gentilis Bellinus Venetiis profectus, & aliquot pictas Tabulas ſecum attulit. Bailus ad Muhammedem deduxit, qui petiit, an is ſeipſum pingere poſſet. Cumque Gentilis fieri poſſe reſpondiſſet, ſtatim ſe pingendo incubuit, magno ſpeculo uſus, atque ſui adeo ſimilem effecit, & vivo tenus expreſſum, & animatum, ut cum Muhammedes vidiſſet, faſcinum intercedere crediderit, Gentilique aliquid divini ineſſe; & niſi aulicorum, ſubiectarumque gentium querimonias timuiſſet, ſi vetitas lege pingi res vellet, ut ſibi Palatium picturis exornaret, Gentilem detinuiſſet. Cum teſtatus tandem eſſet, ſe maximam ex eo voluptatem percepiſſe, atque eius ſtudium commendaſſet, dixit, quidquid vellet, poſceret. Gentilis, qui & permodeſtus, ſatis obſecrandum ratus, ſi Reipublicæ ſignificaret, ſuam Celſitudinem ſibi complacuiſſe in pictore, quem illa miſerat, atque Senatoribus commendaret. Muhammedes ei recepit; & cum equitem creaſſet, torque, pondo duo ſupra centum & quinquaginta aureorum, pluribusque aliis muneribus donavit.

Quo tempore Gentilis moratus Conſtantinopoli, inter antiquitates, quas perluſtrarat oculis, notavit Columnam, quæ ſibi cura dignior viſa, deſignandæque facultatem facile obtinuit; id quod maxima diligentia & emendatione fecit, eſtque exemplum Gentilis manibus ſumptum, quod in Muſeo Accarti extabat, nunc vero in Pictorum atque Sculptorum Academia, poſtquam Vallettus Accarto oſtenderat, id opus aſſervari dignum; neque id fieri melius poſſe, quam ſi per eos, qui pretium agnoſcerent. Probe intellexit Accartus propoſitionem Valletti, & teſtamento cavit, ut remitteretur opus ad Pictorum Academiam; quod & factum diligentia Bucherii, ex maioribus Sorbonicæ domus doctoribus, quem executorem teſtamentarium Accartus nominarat. Vallettus, qui

conſilium indiderat, a Bucherio recepit opus, Paillettumque rogavit, ut munus, munerisque largitorem, offerret Academiæ, quæ maxima grati animi teſtificatione, beneficio utique debita, excepit. Cautum, hæc lineamenta glutine in telam extenderentur, ut ſervari poſſent; feralesque precationes fierent ad animæ requietem ei impetrandam, qui munus reliquerat.

Interim Vallettus, ut filium delineandi & ſculpendi arte perficeret, eamdem columnam inſculpendi auctor ei fuit; quod annos quatuor expletos occupatum tenuit. Porro ad explicationem figurarum deveniamus, atque eorum, quæ repræſentant; quatenus conſentaneas rationi coniecturas ſubminiſtrare hiſtoria poterit.

Facile in primis viſu eſt, non omnes repræſentatas Columna nunc figuras haberi; aut quod Gentilis Bellinus nonniſi in eas inſtiterit, quas ſuo utiliores ſtudio invenerat; aut quod aliqua ducta lineamenta fuerint diſtracta, atque amiſſa, ut ſæpius fieri ſolet Pictoribus vita defunctis, cum veneunt eorum opera, quodque maxima cura congeſſerunt: iis rebus ad quorumdam heredum manus fere pervenientibus, qui neque pretium agnoſcunt, neque quid ſit futurum curant, dummodo numeratam pecuniam habeant.

Quod me ad illud impellit, ut non integrum opus eſſe credam, in cauſſa eſt, quod aliquibus locis interruptus ordo videatur, & fruſta aliquot, ut apparet, diruta vetuſtate: præterquam quod, cum Theodoſii inſignes pietate Principes fuerint, tamen nullum ſignum Religionis Chriſtianæ, quam profitebantur, in hoc opere diſcerni poteſt. Inſuper cum hæc Columna altior ſit, quam quæ Traiani, ex qua 105. Tabulæ deſumptæ, vel nimium exornatæ figuris; ex hac niſi ſexdecim habentur, figuris itidem maioribus, quam quæ in Columna Traiana, inſculpta primum Tempeſtæ manu, deinde Petri Santi, qui multo etiam breviores, ac Tempeſta, effecit. Hæ valde ad vivum expreſſæ, atque magnopere emendatæ videntur, tantaque ſui ſignificatione, ut inter ſe mutuo colloqui diceres. Inſpiciuntur item in Columna Traiana feneſtræ,

aut

Digitized by Google

aut lumina, quæ intus eam ſplendidam reddebant: hæc quoque illas habere debuit, verum Bellinus neglexerat; cum, non ut ea erat, repræſentandi voluntatem habuiſſet, ſed id tantum ſumere ſtatuiſſet, quod ad ſuum artis ſtudium commodius videret. Hoc vero Pictoribus, Sculptoribus, aurificibus, atque iis omnibus, qui delineandi ſtudio detinentur, maximo adiumento eſſe poteſt.

Poſt huiusmodi animadverſiones in genere, deveniamus nunc ad hiſtoricas, iis inſervientes, qui antiquitates conſectantur. Tabulæ decimaquinta incluſum totum opus videtur. Imaginem aſpicies manu tenentem baſim Columnæ, quam Imperatori offert. Eum credo Cyrum Conſtantinum, Præfectum, aut rectorem urbis, qui muros ab Antemio poſitos, deinde terræ motu disiectos, reparari iuſſit. Ad eorum inſtaurationem adhibuit factiones Cyaneorum, & Praſinorum, qui tanta diligentia uſi, ut ſexaginta diebus refecti muri fuerint; orſa factionum altera ab aurea Porta, altera a Porta nemoroſi Circi ad Portam usque Andrianopolis, quæ aliis Porta Polyandri. Itaque, quos viros cum Cyro Conſtantino tres repræſentat, credo fuiſſe Magdalam Architectum, caput factionis Cyaneorum, & Charſiam factionis Praſinorum, artifices operis; quo perfecto navaſſe operam Columnæ hiſtorico-anaglypticæ, ſi Theodoſii iunioris opus ſit. Nam illa, cuius figuram retulit Du-Cangius, quamque Guntherus deſcripſit, videtur eſſe ea, ex qua præceps deiectus Murſuphlus, huius diſſimilis; cum Guntherus notarit navium figuras, ſcalas, atque obſidionem civitatis, quæ minime in hac conſpiciuntur.

Quinque faſtigia triangularia repræſentant Byzantii triumphantis Civitatem, tropæa, & caritatem, qua victos barbaros proſequebatur.

Quod mirum videri poſſit, illud eſt, quod Traiani & Antonini Columnæ in eorum numiſmatibus repræſententur; nullumque huius veſtigium in numiſmatibus duorum Theodoſiorum appareat, & neque in iis, quæ Arcadii; quodque Theodoſiaci panegyrici auctor nullam fecerit mentionem.

Explicatio figurarum, quas Columna exhibet, in quaque Tabula invenietur; ut earum figurarum aſpectus faciliorem intelligentiam reddat. Peregrinis eruditionibus eas exornare haud fuit in animo; neque Græcorum & Latinorum contextubus, qui in antiquitate affatim verſatis ſunt inutiles; iisque impedimentum afferrent, qui figuris uti nolunt, niſi ut delineandi arte perficiantur.

1. Hoc ædificium repræſentat Thermas, aut Balnea, quæ Imperator Arcadius, Theodoſii Iunioris Pater, extrui mandaverat, quæque Cedrenus, Comes Marcellinus, aliique auctores, qui Urbem Conſtantinopolitanam deſcripſerunt, in prima huiuſce urbis regione collocarunt prope Portam Orientalem. Theodoſius Iunior, qui ſtatuerat, hanc Columnam fore monumentum maieſtatis domus ſuæ, in ea repræſentari curavit publica geſta Patris, Avi, Patrui, coniugisque. Locus hic exornatus pluribus antiquitatis Statuis, ex Templorum exculptis ruderibus, quæ veteres idolorum cultores poſuerant; haud perferentes Chriſtiani Imperatores, ut hæc perfecta, & quantivis pretii opera diſperderentur; verum id ſibi curæ datum, ut in profanis ædificiis ornamento urbis inſervirent, quemadmodum hodie locantur in viridariis, aut fontium labris, atque Palatiorum pinacothecis. Sculptores noſtri ad ſumenda exempla adhibentur, quin hoc idololatriæ vitio aliquid vertat, aut iis, qui ea ſumunt; aut iis, qui ad domorum ſuarum ornatum ſumenda conſtituunt.

2. Milites Prætoriani, aut excubitores Imperatorum.

3. Scythæ, ſive Gothi, iumentorum ſarcinariorum pro exercitu ductores.

4. Balnea a Conſtantino Magno inchoata, perfectaque a Conſtantio, eius filio & ſucceſſore; ex quo appellatæ Thermæ Conſtantianæ, iuxta Chronica Alexandrina, quæ docent, Amantio & Albino Coſſ. inchoatas menſe Aprili, licet Euſebius *lib. 4.* atque etiam Themiſtius, Conſtantino Magno tribuere videantur. Nihilo tamen minus eæ non perfectæ, niſi ſub Theodoſio iuniore; quod in cauſa fuit, ut appellari coeperint Thermæ Theodoſiacæ: & hæc eſt ratio, cur Imperator

rator eas in Columna repræſentari iuſſerit. Anonymus, qui Byzantinæ urbis rariora quæque congeſſit, illud etiam notavit, in iisdem Thermis Perſei atque Andromedæ conſpici ſtatuas, quas Conſtantius Antiochia deportarat, ut hæ, quemadmodum plures aliæ, Balneis ornamento eſſent.

5. Sacerdotiſſa Dianæ, quam Scythæ venationi dediti colebant, ducit cervum, ſive damam, eidem deæ ſacram.

6. Mercatus magnus, ſive Forum Theodoſianum porticibus exornatum. Græci appellabant Forum medium, ΜΕΣΗΝ, quod in medio magnæ urbis ſitum eſſet.

Hoc ædificium patens eſt milliarium aureum, Romano diſſimile; quod illud nil aliud eſſet, niſi ſimplex Columna, unde ſumebantur diſtantiæ agrorum, qui ſubiecti Romanorum imperio; hoc vero magna patens porticus, intus exornata picturis, & quamplurimis ſtatuis. *Porticum abſidatam* vocat Petrus Victorius. Conſtantini, atque Helenæ matris ſtatuæ illic poſitæ; itemque ſtatuæ equeſtres Traiani, & Theodoſii iunioris, qui ſemper id anxie conſectatus eſt, ut oſtenderet, ſe ex eo Imperatore ortum. Repræſentabatur Theodoſius manu tenens globum, in quo Victoriæ imago, quæ eidem Coronam offerebat. Die dedicationis ſtatuæ, diſtribui populo iuſſit congiarium.

7. Currus Scytharum Principum cum uxoribus, (ii nunc minores Tartari vocantur,) qui captivi ducuntur Conſtantinopolim. Hic currus a bobus vehitur, illorum populorum more.

8. Miles ex caſtris amicum quemdam militem urbis præſidiarium offendens amplectitur.

9. Optimates Scythæ, & Gothi, qui cum ſeſe Romanis dedidiſſent, ab iisdem varia belli officia ſunt conſecuti, honoribusque & maximis muneribus aucti. *Syneſius* in Panegyrico, quem dixit Arcadio Theodoſii Magni filio, ait: *Scythae nuper non venerunt arma inferentes, ſed preces porrigentes, cum ex ſuis ſedibus pulſi eſſent. Cum autem humanitatem Romanorum, non arma experti eſſent, inſolentia evecti beneficium corruperunt, quo nomine Theodoſio Patri ſuo adverſus*

ipſos

Digitized by Google

ipſos armato cum poenas dediſſent, iterum ad miſericordiam eius confugientes, ſupplices una cum uxoribus ſuis ad pedes eius procubuerunt: ille vero ſupplices excitavit, belli ſocios adſcivit, civitate donavit, honores omnes communicavit, & partem agri Romani attribuit.

Hi optimates, licet Romanorum more induti, tamen armis ſuperimpoſitam habent longam lacernam ex pellibus caprarum, aliorumque animalium, iuxta conſuetudinem ſuæ regionis, ſtantque nudo capite, quamvis armati, ſic enim communiter incedebant.

10. Illos comitari inſpiciuntur plures ex populo, mulieresque, quos Theodoſius civitate donaverat, iisque agri partem attribuerat in terris Imperii.

Hæc arborum ſeries deſignare videtur genus quoddam ambulacri, extenti in modum aggeris, ex quo mare conſpicitur. Græci appellabant *Phylopatium.* Procopius deſcripſit, veluti locum ſitu amoeniſſimum.

11. *Pacatus* in Panegyrico, quem coram Theodoſio pronuntiavit ad huius Imperatoris laudem, dicit, poſtquam in ſuam ſervitutem recepiſſet Gothos, in milites adſciviſſe eos, qui arma ferre poſſent, reliquos vero ad colenda arva amandaſſe: *Dicamne receptos ad ſervitium Gothos, caſtris tuis militem, terris ſufficere cultorem?* Hic inſpiciuntur, qui ad cultum agrorum ſunt deſtinati, ex bobus, qui in antiquitatis numiſmatibus ſunt communia ſigna originis Coloniarum.

12. Senes, atque inter eos primariæ mulieres, curribus a bobus tractis vehuntur. Theodoſius Magnus devicit Scythas, qui in Thraciam profugerant, Gothosque; idque Modaris virtute, regio ſanguine orti, qui eorum maximam cædem fecit, cum imparatos adortus eſſet, captivasque duxit mulieres, & earum liberos, plauſtrorum quatuor millibus captis. *Hos perdendi, Theodoſio talis demum oblata & occaſio erat apud eum, cum Modares, regio apud Scythas ſanguine ortus, ſed propter fidelem navatam Romanis operam, imperio ab eis militari ornatus. Hic cum imprudentibus Gothis magnam militum manum in colle quodam haberet, atque hoſtes in caſtris temulentos,*

lentos ac prope ſecuros iacere per exploratores didiciſſet, ex improviſo cum ſuis deſcendit, atque imparatos adortus, pleroſque aut vulneribus, aut morte affecit. Viris autem deletis, in mulieres & pueros impetus factus, plauſtrorum quatuor millia capta.

13. Equus Principis Scytharum ducitur in triumpho a militibus. Pedibus Princeps ſubſequitur ſine armis, caſſide ſola tectus. Neque enſem, neque miſſile telum habet, ut Princeps victus, qui victoribus militibus arma tradidit.

Principis Scytharum uxor, & liberi, curru ducuntur a bobus vecto; duoque ſenes, aulæ atque concilii primores.

14. Famuli Principis Scytharum, eiusdemque coniugis ancillæ.

15. Elephas Principis Scytharum, qui hoc animantium genere utebatur in maximis ſolemnitatibus, quemadmodum ii equos in militares expeditiones adhibebant. Elephas ducitur a ſervo, omnibus ornamentis ſpoliatus. Ex eo conſtat, bello captum.

16. Primores duces militiæ Imperatorum, in quorum triumphis partem habebant, quod ſtrenue præliati fuerint, atque hoſtes devicerint.

17. Quod in hac Columnæ hiſtorico-anaglypticæ parte repræſentatur, quodque diffractum atque labefactatum, ſatis poſſunt oſtendere, ibi deeſſe ſpatium magnum figurarum huiusce Columnæ.

18. Equi hoſtium capti, & curæ traditi proletariis. His præeſt Scytha, quorum plurimis gratificari voluit Imperator, iisdem ſervandos tradens proletarios, atque armentorum greges.

Hoc fragmentum a reliquo triumphali progreſſu ſeiunctum eſſe videtur: & in iis omnibus auctoribus, qui Conſtantinopolim deſcripſerunt, nullus alius inſpicitur adeo ruſticanus locus, quam hic, nemus repræſentans, atque paluſtre ſolum, ubi paſcuntur & bibunt equi.

19. Idola, ſive barbarorum numina, camelis inſidentia. Hæc idola trunci arborum erant: non figuram hominum, niſi caput habebant, reliquum talari veſte ornatum, in quo repræſentabatur genus quoddam repaguli, aut portæ in caſtris;

Digitized by Google

oſtendentes, ſe Deos tutelares eſſe exercituum eorum, atque aſylum ſacrum, veluti antiquitus in Romanorum caſtris erant Aquilæ.

20. Sacerdotes idolorum.

21. Ex his figuris haud certo coniici poteſt, quosnam Imperatores deſignent; cum non ſatis iuſte referantur ad numiſmata Theodoſii Magni, Arcadii, Honorii, & Theodoſii iunioris. Equidem difficile propter altitudinem Columnæ, in qua ſunt, eas accurate effingere; præcipue cum neque inſcriptionem habeamus, neque certi ſignum aliquod, ut cognitione illos aſſequamur; quemadmodum neque dici poteſt, quænam ſint mulieres, filiæque captivæ, quæ duo victores Imperatores ſubſequuntur.

Alter Imperatorum, cuius caſſidi inſidet Aquila, ut dignitatis ſignum. Stragula in equis Imperatorum, magnum aurificis opus.

22. Captivi ad Colonias deſtinati.

23. Arcus triumphalis, aut Porta, quæ aurea vocabatur, (id quod veriſimilius videtur,) nil commune habens cum vetuſtis arcubus triumphalibus, qui Romæ. Imperator Theodoſius hanc Portam decorari iuſſit, poſtquam Maximum tyrannum viciſſet, ibique inſcriptionem poſuit. Chronica Alexandrina dicunt, Imperatorem Triumphi die Portam transiiſſe, uti deductus fuerat Theodoſius Magnus.

24. Præfectus Excubitorum Imperatoris.

25. Satellites Imperatoris.

26. Equi telis miſſilibus, & clypeis ornuſti.

27. Captivi ad triremes Imperatoris deſtinati.

Romanis diſſimillima ratio militum, quos bello ceperant: licet enim omnes in ſervitutem redigerent, tamen cum omnibus non eodem modo actum. Qui ſponte conceſſerant victoribus, ponentes arma, vocatique *dedititii*, ſpecie aliqua libertatis utebantur, quin tamen obeundum conſequi poſſent munus, aut officium, cui quid honoris annexum videretur. Bello domiti, & vocati *mancipes, quaſi manu capti*, ſervituti obnoxii detinebantur. Qui vero ſemel victi, & libertate donati, a dominorum imperio deficiebant, poena criminis multaban-

tabantur, beſtiis expoſiti, aut ad Amphitheatri certamina deſtinati; deinde ſub Chriſtianis Imperatoribus ad triremes, & ad remigibus inſerviendum. Per triumphum etiam vario diſcrimine ducebantur. Qui nobili genere orti, veluti Principes, Magiſtratus, vehebantur plauſtris; ſed præpoſtere, & tergo inverſo, ut in Tabula 3. & fig. 7. ſi quando ex ignominia cum iis agendum videbatur: ceteri aſſectabantur pedibus; rebelleſque poſt tergum manus vinctas habebant: inermes omnes.

28. Mulier Scythica ad inſerviendum remigibus ſervata.

29. Equus ſarcinarius.

Notari debet diſcrimen inter equos ſarcinarios, & militares. Sarcinarii frænis habeniſque coercebantur; cum militares equi niſi filum ſimplex haberent; equiteſque ſine ocreis, ſine ſtapiis eſſent, cum ſimplici cothurno; ſicuti dux quilibet ſubſequentem pedibus calonem habebat.

30. Duces exercitus Imperatoris.

31. Ibi poſita figura Murſuphli, deiecti præcipitis ab altitudine Columnæ, ut caſus notetur a Gottofredo Villharduino relatus; etſi alii auctores Columnæ Taurini Fori attribuant.

Pars hæc Columnæ hiſcit terræ motibus diffracta; aut forte deformata a Græcis, qui cum Columna haberi crederent figuras Byzantii excidium præſignificantes, eas malleorum ictibus confregerunt, quemadmodum tradit Guntherus *cap. 21. Hiſtor. Conſtantinopolit.* Evidens eſt, ibidem ſpatium magnum intereſſe, ubi extare poterant figuræ, quas plurimi auctores in hac Columna fuiſſe dicunt, neque amplius conſpiciuntur.

32. Horreum Theodoſianum, quod in nona Regione ponit antiqua urbis deſcriptio.

33. Hæ Porticus repræſentare videntur decimæ regionis partem Urbis Conſtantinopolitanæ, ubi ſex Porticus erant, & Placidiæ Eudoxiæque Palatia, & fons *Nymphaeum maius*.

34. Milites reliqui ſubſequentes ſuoſmet duces. Omnes Romanorum more ſunt induti, cum clypeo atque haſta, ſive ſpiculo. Alterum ducum captivus ſequitur cum clava; neque enim ſervis conceſſum alia arma ferre, ſicuti neque deferunt accenſi, apparitores, lictores, niſi bacillos, clavas, & virgas ad ſubmovendam turbam.

Digitized by Google

35. Hoc repræſentat captivorum addictionem ad paſcendos caprarum greges, iuxta conſuetudinem regionis eorumdem. Capræ vero ſunt, quales Plinius, plurimique auctores Scyticas deſcribunt. Arcus erectus trifariam, aut in piramidatam crucem, oſtendit, eos populos ſub iugo victorum eſſe; ex quo domitis bello ſubiugatarum nationum nomen impoſitum.

36. Captivi, qui vinctis poſt tergum manibus ducuntur, ii deſtinati ad triremes.

37. Duo tropæa, quæ duas Victorias Imperatoribus partas deſignant.

Tria ſuperiora faſtigia oſtendunt clementiam Imperatorum, qui victis gratificati ſunt, parcentes vitæ, dempta tantummodo libertate, & receptis bonorum ſpoliis, poſtquam eosdem ſubegiſſent. In his figuris elucet caritas erga filios, qui nullam partem habebant in defectione patrum; quique haut infelices, niſi quod ab iis orti, qui contra dominos rebellarant.

38. Hæc eſt figura urbis Conſtantinopolitanæ, quæ de hoſtibus triumphat; quæque per adoptionem miſericordiæ beneficentiæque captivos filios adſciſcit in cives.

39. Ectypon figuræ traditæ Imperatori a Præfecto Prætorii, comitato duobus factionum ducibus. qui diebus ſexaginta muros conſtrui curarunt; id opus ſumentes ductu Græci Architecti, quos inter conſpicitur.

Iuvenis Scytha deiiciens capreolum præcipitem, ſymbolum eſt deſperationis Scytharum, qui amiſerant libertatem, cuius vel maius a natura ſignum inditum veteribus erant capreoli, propter eorum animantium alacritatem, atque pernicitatem. Ita etiam repræſentantur in Scriptura Sacra.

40. Inſpicitur hic duplex porta, recurſusque ſinus, aut portus in hac terræ lingula, in qua ſtant duo Præfecti deſtinati ad deportandos captivos, quos inter conſpiciuntur duo ex eorumdem optimatibus, in utraque porta, induti animalium pellibus, iuxta Scytharum morem.

41. Scythæ, aliique barbari, victi a ducibus exercitus Theodoſii, poſtquam in triumpho ducti eſſent Conſtantinopolim, in varias Provincias ad colenda arva addicuntur, ut captivi;

ptivi; atque in navem ſunt immiſſi, ductu aliquot militum, qui excepturi eos veniunt ad portum: aliis eſt *porta Phanarii*, quam Gyllius ita deſcribit: *Porta Phanarii, a loco vicino ſic dicta. Phanarium eſt pars Urbis orae maritimae, quam murus urbis claudit: duas portas habet, in quas eminent clivi collis quinti. Quibus finitur flexus ſinus. Cuius e regione finis eſt Navalis Regis.*

42. Ripa portus Theodoſiaci.

43. Navis militibus inſtructa ad deportandos Scythas.

44. Obſervari etiam poteſt in navi Labarum, quod unum retinuerunt Imperatores Chriſtiani ſignum, reiectis aliis militaribus variorum animantium, quibus antea utebantur Romani. Conſtantinus is fuit, qui Labarum ſubſtituit.

DE NEPOTE CORNELIO BENE MERENDI ALIquot ſubſidia Bibliothecae Guelpherbytanae, — priſcae eruditionis amantibus indicat IACOBUS FRIDERICUS HEUSINGERUS, Rector deſignatus.

Guelpherbyti 1759. typis Ioh. Guil. Bindſeil, pl. 2. & dimid. in 4.

Sunt huius libelli tria capita, quorum primum duo fragmenta Cornelii Nepotis habet, alterum de codice, qui in bibliotheca Guelpherbytana aſſervatur, manu exarato, exponit, tertium de Cornerana editione Nepotis varia diſputat. Nos, quoniam eiusmodi libelli & raro ad exteros perferuntur, & facile evaneſcunt, eorum cauſa, qui de Cornelio bene mereri, atque hunc codicem excutere cupiant, de ſingulis breviter dicemus.

Iam duo fragmenta, quæ codici Philippicarum Ciceronis orationum, undecimo, ut *Heuſingero*, V. Cl., videtur, ſeculo exarato, ſunt præſcripta, hæc ſunt.

Cornelius Nepos
in libro de hiſtoricis Latinis de laude Ciceronis.

Non ignorare debes, unum hoc genus Latinarum literarum adhuc non modo non reſpondere Graeciae, ſed omnino rude at-

Digitized by Google

que inchoatum morte Ciceronis relictum. Ille enim fuit unus, qui potuerit, & etiam debuerit hiſtoriam digna voce pronuntiare: quippe qui oratoriam eloquentiam rudem a maioribus acceptam perpoliverit, philoſophiam ante eum incomtam latinam ſua conformaverit oratione. Ex quo dubito, interitu eius utrum respublica, an hiſtoria, magis doleat.

Idem.

Locuples ac divina natura, quo maiorem ſibi pareret admirationem, ponderatioraque ſua eſſent beneficia, neque uni omnia dare, nec rurſus cuiquam omnia voluit negare.

Etſi vero *Heuſingerus* V. Cl. *genuina haec eſſe Nepotis monimenta, ex indiciis tam manifeſtis tamque conſentientibus elucere ſibi perſuaſit, ut neminem fore credat, qui de eorum integritate dubitet;* etſi *purum, elegans, diffuſum, maxime perſpicuum hiſtorici dicendi genus ita clare & ita aperte in his conſpici dicit, ut non peritos ſtili iudices ſolum, ſed eos etiam, qui latinitatis antiquae & incorruptae non plane ſint expertes, Nepotem hic agnituros eſſe confidat:* nobis tamen, qui & Cornelium, & alios bonos ſcriptores ſatis legiſſe, & antiquæ Latinitatis non plane expertes eſſe nobis videmur, longe alia mens eſt. Sed docendum eſt, quare a viro docto diſſentiamus. Iam primum lubet quærere, quæ tandem ſint illa indicia manifeſta & conſentientia? *Heuſingerus* quidem, quæ tamen omnes & exſpectabunt hoc loco, & ſuo iure poſcent, nulla affert. Niſi, quæ de Cornelii libris, de latinis hiſtoricis, & de ſtudio, quod Cicero in hiſtoria patriæ ſcribenda poſuerit, huc referenda ſunt. Quibus minime contenti, plura deſideramus. Vellemus enim ita in his fragmentis exponendis verſatus eſſet *Heuſingerus*, ut nuper in Horatiana in Lucilii defenſores Satyra, i. e. examinaſſet ſingula verba diligenter & accurate, ad Criticæ regulas exegiſſet, eaque & Latina, & Cornelio digna eſſe, demonſtraſſet. Quæ igitur ille omiſit, nos agamus. Primum de toto orationis habitu, etſi ex paucis verſibus vix iudicari poteſt, non dubitamus tamen fore, ut, ſi quis unam atque alteram vitam a Cornelio ſcriptam legat, deinde hæc fragmenta recitet, ſonum, neſcio quomodo longe diverſum, & quaſi peregrinum & barbarum in auribus ſentiat. Verum hoc ſentiri magis, quam verbis explicari poteſt. Faciant

ciant igitur periculum, qui teretes & doctas aures habent. Deinde vero ex ipſa dictione nihil Cornelio, nihil Roma dignum ſpirare nobis videtur. Quem non offendet repetitio illa verborum *unus* & *rudis*, nimis anguſto ſpatio facta? Non ignoramus quidem, in optimis ſcriptoribus eiusmodi negligentiam & inveniri, & laudari quoque a peritis harum rerum iudicibus, ut in pulcherrimo loco *Odyſſ.* T. v. 204. in nobili *Ciceronis* epiſtola ad Lucceium (L. V. ep. 12.) & in *Livio* paſſim, ubi videndus Gronovius, & conſulendus Cel. *D'orvillus* ad Chariton. p. 307. Sed & horum longe plerumque alia ratio eſt, & in Cornelio, ſi recte meminimus, nullum eiusmodi exemplum nobis occurrit. Quid vero eſt, cur Nepotem in his paucis verſibus a priſca dicendi ratione declinaſſe, nec ſuo more locutum eſſe dicamus? Quam parum illa, *qui potuerit & etiam debuerit: adhuc non modo non: nec rurſus cuiquam,* aurea ætate digna! Quam dura omiſſio verbi *eſſe* in hoc: *omnino rude atque inchoatum Ciceronis morte relictum!* Hoc vero inſolentiſſimum, *hiſtoriam digna voce pronuntiare,* quis Cornelio tribuere audeat? Quam male poſitum verbum *Latinam: philoſophiam ante eum incomtam Latinam* —. Sapitne deinde, *philoſophiam latinam incomtam ſua oratione conformare,* non barbarum potius hominem, quam Cornelium, elegantiſſimum Scriptorem? Nos profecto ne intelligimus quidem *hoc maxime perſpicuum dicendi genus.* An denique *oratoriam eloquentiam perpolire,* an *ponderatiora beneficia,* an *hoc genus latinarum litterarum Graeciae reſpondet,* hæc an Cornelii ætatem redoleant, vehementer dubitamus. Vellemus, viri docti conferrent cum his fragmentum illud Livii de primo bello Punico, quod a *Matthaeo Klockio,* in monaſterio Salemitano repertum eſſe dicitur, & in Actis Societatis regiæ Pariſienſis T. V. (*hiſtoire de l' Academie Royale des Inſcriptions & des belles lettres*) exhibetur. Ibi enim, ut bene *Suchaeus* (*Souchay*) contra *Schoepflinum* demonſtravit, tale dicendi genus obſervabunt, quod huic ſimillimum, & ab eodem prope homine profectum eſſe videatur. Pudeat vero nos hæc fragmenta, nec latina, nec perſpicua, nec Cornelio digna, puriſſimo & elegantiſſimo Scriptori tribuere: potius reiiciamus hunc pannum, niſi nos omnia fallunt, ab homunculo otio nimio affluenti, purpuræ Cornelianæ aſſutum. Sed illud quoque addendum eſt, *Heuſingerum,* pro *ſua conformavit orationem,* quod erat in codice, reſcripſiſſe *ſua conformaverit oratione;*

&

& pro *locuplex locuples* poſuiſſe. Ceterum fatemur, acute ſuſpicari *Heuſingerum*, Cornelium fortaſſe, Ciceronianorum carminum mentione facta, quam parum feliciter ei hoc ſtudium ſucceſſerit, commemoraſſe, & deinde addidiſſe; *locuples ac divina natura*. Sed de tota re, quid ſentiamus, iam diximus. Eſt præterea in eadem membrana, ſed recentiore manu, ſub finem ſeculi decimi tertii, aut ineunte decimo quarto, *Alberti, Abbatis Stadenſis, Troilus* ſcriptus. In quo bellum Troianum, carmine elegiaco, &, ut tum erant tempora, probabiliter ſcripto, enarratur. Ut guſtum aliquem habeant lectores, poematis huius adſcribemus verſiculos aliquot, qui in fine carminis leguntur:

Abbatem noſti Tirricum, cui dedit olim
Eccleſiae dictae virgo patrocinium,
Cui virtus animum decorat, facundia linguam,
Dapſilitate nitet, utilitate viret.
Ille ſuos quondam non ultimus inter amicos,
Ante virum talem qui tulit eius onus.
Edidit hunc ſexto finitum menſe libellum,
Cui tamen hoc tempus ſyncopa multa ſcidit.
Correxit pigritans. Labor hic, quam ſcribere, maior.
At corrector ait, ſint tua, ſi qua valent.
Nulla poetarum poſuit figmenta, Daretis
Hiſtoriam, ſoliti ſcribere vera, tenens. —

Alter codex Guelpherbytanus in membranis octuplicatis, ſed forma paullum maiore, ſcriptus eſt. In eius priori parte *Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium* libri octo exhibentur. Temeraria enim hominis audacia, priſtino librorum & capitum ordine neglecto, multis omiſſis, multis aliter diſpoſitis, novem Valerii libros valde & confudit & breviavit. Huius codicis inſpectionem ad refellendam illorum ſententiam valere *Heuſingerus* exiſtimat, qui Valerii libros, quos nunc in manibus habemus, ex maiori opere in epitomen a Nepotiano redactos eſſe ſuſpicentur. Altera codicis pars non ſolum Cornelii vitas Catonis, Attici, & imperatorum, ſed monimenta quoque Corneliæ, matris Gracchorum, quæ ex epiſtola Corneliæ, ex libro Nepotis de latinis hiſtoricis excerpta, in codice hoc dicuntur, & notum Probi Carmen, mutatis paucis, exhibet. *Heuſingero* ætatem quingentorum circiter annorum habere videtur, & emendate ſcriptus eſt. Habet etiam varias emendationes, ex bonis exemplaribus excerptas, & ab homine docto, eodem, quo reliqua, ſeculo adſcriptas.

De editione Cornelii, quæ cum præfatione *Petri Corneri*, ſine mentione anni, urbis, & typographi, in chartis octuplicatis prodiit, varia afferuntur, quæ Maittarius & Anton. Saxius vel omiſere, vel non dixerant ſatis diligenter.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLIX.

Pars I.

C. A. HEUMANNI EMENDATIONES OPERUM TERTULLIANI.

Inter libros veterum Eccleſiæ Scriptorum, quos eruditiſſimi Lutetiæ Benedictini ediderunt, nondum eſt *Tertullianus*. Polliciti quidem ſunt eius editionem in *Iournal des Scavans T.* 82. *p.* 34. *ſq.* duo Benedictini Pariſienſes, *Mallinghenius* ac *Duretus*. Sed non ſteterunt promiſſo. Ac ſane timide aggrediendus hic labor eſt. Singularem ſtylum habet hic Afer: quem multa lectione cognitum habere debet, qui eius libros emendandos ſuſcipit. Stylus Tertulliani non eſt *ter Tullianus*, ſed quam minime Tullianus.

Sæpe, ac, ni fallor, decies perlegi *Tertulliani* opera, eo fine, ut eius ſtylum perdiſcerem, ac deinde ſcripta ipſius emendare, ac ſimul multa eius loca obſcuriora interpretari poſſem. Hac occaſione obſervavi *vocabula, alio a Tertulliano, quam ab aliis Scriptoribus, ſenſu uſurpata.* En nonnulla!

conditio pro *creatio* vel *creatura,* p. 73. 268. 276. 292. 332. *bis* 341. *bis* 358.

conditor pro *creator,* p. 341.

proinde pro *deinde,* p. 86. 321. 419. 485.

ſi pro *an,* p. 159. 333. 343.

caeterum pro *alias,* p. 173. 386. 454.

N *tin-*

tinguere pro *baptizare*, p. 178.
deformare pro *formare*, p. 13.
confuſio pro *pudor*, p. 250.
parere pro *apparere*, p. 267.
quanti pro *quot*, p. 283.
tanti, quanti pro *tot, quot*, p. 286. 367. 384. 418. 479.
nedum pro *vel potius*, 69.
magis pro *potius*, p. 325.
quid pro *cur*, p. 416.

Paginæ a me indicantur editionis optimæ *Operum Tertulliani*, quam Lutetiæ 1664. édidit *Philippus Priorius*.

Iam aliis in libris multa emendavi Tertulliani loca, quæ hic non apponam. Poſſunt ea illis in libris legi. Quæ ſecuto tempore ibi adſcripſi, hic exhibeo. Errata etiam typographica hic corrigo.

In *Actis Eruditorum anni* 1715. p. 299. ſqq. emendavi *Tertulliani librum de praeſcriptionibus adverſus haereticos*. Linea 3. lege: *Omnino autem maximum*. P. 302. ad lineam 3. adde: Vid. Laurembergii *Antiquarius* v. *abiugat*, & v. *deiugare*.

Continuavi has emendationes in *Actorum Erud. Supplementorum* Tomo ſexto, p. 196. ſqq. Ad p. 197. cap. XLIV. adſcribe: Tamen Cicero *Offic. lib.* II. *cap.* 18. extremo: *qui in villam ſuam devertiſſet*. Ad paginæ 198. lineam ultimam adſcribe: Vocabulum *mirionis* olim in uſu fuiſſe, ex Varrone Laurembergius docet in ſuo *Antiquario*. Sic *Mitio* a *mitis* apud Terentium in *Adelphis*. P. 203. linea antepenultima lege *licuerit*.

In *Poeciles* meæ Tomo primo, p. 25. ſqq. emendo *Tertulliani Apologeticum*, & in eiusdem Tomi p. 195. ſqq. P. 197. lin. penult. adſcribe: Recte *noxae*. Vid. Curtius X. 4. 3. Ac duo Tertulliani codices MSS. habent *noxae*. P. 200. lin. 12. poſt *conſcios* adſcribe: imo cum in *lib.* I. *ad Nationes cap.* 2. clare & indubie legatur: *ſocios conſciosque*. In eadem pagina lin. 15. poſt *iungunt*, adſcribe: & illud Curtii VI. 9. 17: *Hic Amyntae, qui capiti meo impias comparavit inſidias, ſocium*

ſocium ſe & conſcium adiunxit. Cicero in Oratione pro M. Coelio, cap. 23: *quo ſocio? quo conſcio?* In eadem pagina lin. 19. lege: *Curtius* VI. 10. 20. P. 203. lin. 14. *ſortitur.* Vid. Cuiacius *Obſervationum* lib. XIX. cap. XI. P. 207. ad lineam ultimam adſcribe: Vid. Cuiacius *Obſ.* lib. XIV. cap. 34. Aliter, quam ego, correxit hunc locum Cuiacius. Sed credo, meam correctionem prælatum iri. P. 209. l. 19. lege *Actor.* XIII. 45.

In *Miſcellaneorum Groninganorum* Tomo ſecundo, Groningæ 1739. edito, p. 470. ſqq. exſtant meæ *Obſervationes criticae ad Tertulliani Apologeticum.* P. 472. ad lin. 8. adſcribe: Ac in Ovidii quoque *lib.* 1. *de arte am. v.* 112. *ludius* reſcribendum puto pro *Lydius.* P. 473. lin. 6. lege *credet.* P. 478. ad lin. 14. adſcribe: Inprimis huc pertinet ille Ovidii locus, *lib.* 1. *de rem. am. v.* 20. ubi Deum amoris ita alloquitur. Similis eſt locus eiusdem, vel potius Pedonis Albinovani, in carmine *ad Liviam de morte Druſi*, v. 190. ubi dii Romani dicuntur pudore affecti latere & nolle adſpici, ſcilicet *invidiae, quam meruere, metu,* hoc eſt, facile credentes, ſe exoſos eſſe Romanis ideo, quod iis eripi ſint paſſi Druſum, Liviæ filium. P. 481. ſqq. exhibeo emendationes *primi capitis* libri Tertulliani *adverſus Valentinianos.*

Petrus Molinæus in libro *de peregrinationibus religioſis*, cap. 5. recte in Tertulliani *de praeſcript.* cap. 44. pro *debiles* (id eſt, claudos,) *reformaſſe,* reſcribit *debiles refirmaſſe.*

Emendationes meae reliquae operum TERTULLIANI, *editionis Priorii.*

P. 41. lin. 44. legendum: *cum tam horrenda tamque monſtruoſa de nobis deferantur.*
P. 42. lin. 23. lege *Chreſtiani.*
P. 45. cap. VIII. lin. 6. ſcribe: *ſed de ſuo promentes.*
P. 46. lin. 32. pro *loca oppida* lege *tota oppida.*
P. 48. lin. 15. lege *ſupervacua eſui.*
P. 53. lin. 1. lege: *Quonam igitur uſque.* Sic p. 60. lin. 36: *Quonam uſque.*

Pag. 53. lin. 2. legendum *inter vos.*

P. 59. lin. 32. pro *in ius*, Freinshemius ad *Curtii* VIII. 6. 16. recte reſcribit *furiis.*

P. 60. lin. 43. lege: *nam quaſi oblitos agitis.* Sic ſupra p. 11. lin. 15: *certe enim oblitos agitis.*

P. 61. lin. 30. pro *ut ſi alii vocant*, lege *ut Salii vocant.* Sic *Apolog.* cap. 10.

P. 61. lin. 41. pro *quod et* lege *quo et.*

P. 61. lin. 44. lege: *Dei veri vera vates.* Ita corrigendum e fragmento, quod *Apologetico* ſubiectum eſt, p. 443. editionis Havercampianæ.

P. 63. lin. 26. lege *meruiſſe.*

P. 69. lin. 24. *a Deo conſecutum eſt.* Dele *eſt.* Lin. 33. lege *agamus.*

P. 70. lin. 22. *haec vexatio*, id eſt, hic morbus tuus, — — *interpellatio ſanguinis*, id eſt, hæmoptyſis. Lin. 36. *Thyſdri.* Eſt urbs Africæ. Lin. 32. lege *ſatisfaceret.* Tò *tumultuoſum* emendet alius.

P. 71. lin. 6. & 7. pro *Torpacion* ſcribendum eſſe *Torpeion*, & *Evodi* pro *Evhodiae*, docet Sam. Baſnagius *Annal.* ad a. 193. §. 22. p. 201.

P. 75. lin. 5. pro *ludos* lege *ludios.*

P. 85. in libro *de idololatria* cap. 3. lege: *ſuo quodque nomine.*

P. 106. lin. 8. lege: *Si ſic & tu coronaris, licitum eſt.*

P. 108. lin. 27. *an cadaveribus lamnis ornatur.* Iacobus Durantius Caſellius *Var lect.* lib. I. cap. 19. p. 220. editionis Gruterianæ, ita emendat: *atque adoreis & lemniſcis inauratur.*

P. 112. lin. 17: *temporalitas veſtit.* Hæc verba Voſſius interpretatur lib. III. *de vitiis ſermonis* cap. 52. p. 621.

P. 113. lin. 12. pro *aliud idem* lege *alius & idem.* Lin. 27. lege *regnarit.*

P. 114. lin. 10. pro *pluma veſtis* ſcribe *pluma veſtitus.*

P. 115. lin. 2. lege: *qua illum ex Libya Ammon facit novum divum*, id eſt, deum. Vid. Curtius IV. 7. 25.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 117. lin. 13. De verbo *ſubverbuſtus* agit Reineſius in epiſt. 30. ad Caſp. Hoffmannum p. 146.

P. 120. lin. penult. lege: *quia caret fructu ſuo.*

P. 122. lin. 18. lege: *de factis ſolum iudicat.*

P. 127. lin. 10. *caris Dei adgeniculari.* Uti Priorius, ita & Binghamus hoc interpretatur, *Antiq. eccl.* lib. XV. cap. 5. §. 3. p. 449.

P. 129. in libro *de oratione* lin. 1. lege: *et ſermo rationis;* lin. 2. *utriusque,* id eſt, & rationis & ſermonis.

P. 130. lin. 29. lege *non ceſſat.* Lin. 30. pro *meminerimus* lege *meruerimus.*

P. 131. lin. 19. lege: *ad id pertinet, ad quod.*

P. 136. lin. 10. Reliqua huius libri, a Muratorio reperta, exhibeatur in *Iournal des Scavans* 1719. P. II. p. 663. ſqq.

P. 136. cap. 1. lin. 11. pro *ita vos inde,* ſcribo *uſque vos inde,* hoc eſt, e carcere.

P. 137. cap. 1. lin. 4. pro *qui pax,* ſcribo *quia pax, & quidam* pro *quidem.*

P. 138. lin. 2. pro *Sic nunc carcer etiam Chriſtianis moleſtus,* ſcribo *Sit nunc,* cetera, id eſt, ponamus, carcerem eſſe etiam Chriſtianis moleſtum.

P. 138. lin. 34. Non *exuſſit,* ſed *exſuxit,* ſcripſiſſe Tertullianum, ſuſpicatur Reineſius in Epiſtolis ad Hoffmannum & Rupertum p. 228.

P. 139. lin. 18. pro *de affectione* lego *de affectatione.*

P. 140. lin. 11: *qui caeci vivunt,* id eſt, ethnici. Lin. 22: *totius geniturae tributa,* id eſt, fructus agrorum.

P. 141. lin. 11. pro *ſic enim non magis,* ſcribo *ſic etiam non magis.*

P. 141. lin. 31. pro *ſubnixis* ſcribo *obnoxiis. Obnoxius* dicitur de ſervis.

P. 149. lin. 16: *in reſurrectionem carnis & ſpiritus* credimus. Sic & in libro *de carne Chriſti* cap. 12. ait, *animam reſurrecturam eſſe cum carne.* Etiam Polycarpus apud Euſebium

ſebium *Hiſt. eccl.* lib. IV. cap. 15. p. 108. ait, *ſe credere reſurrectionem animae & corporis.*

P. 155. lin. ult. *vacat,* id eſt, inutile eſt, vel *otioſum,* ut loquitur p. 158. lin. 1.

P. 156. lin. 1. pro *ſi naturaliter ſpecioſae, non adeo ſit occaſio,* ſcribo *ſi naturaliter ſpecioſa, non gaudio ſit occaſio.* Lin. 11. *ſuſpectus* ſignificat *ſuſpicax*, uti p. 162. lin. 3. Lin. 29. pro *credite* lego *cedite,* a *cedo*, dic mihi. Lin. 31. pro *Germaniae atque Galliae,* ſcribe *Germanae atque Gallae.*

P. 157. lin. 27. pro *barbam acrius caedere,* Chriſtius *Noct. Acad.* Obſ. 25. p. 286. male reſcribebat *barbam acrius radere.* Dixit Tertullianus *caedere barbam* ita, uti dicitur *caedere ſylvam.* Barba enim eſt ſylva quædam.

P. 161. lin. 1. deleo hæc verba: *etiam tunc aurum ignis eſt,* & pro *tranſiguntur, praeparantur, ſuſtinentur* ſcribo *tranſigantur, praeparentur, ſuſtineantur.*

P. 162. lin. 3. *ſuſpectum*, id eſt, verentem. Lin. 12. pro *aut imputari* lege *haud imitari.* Lin. 13. *legis adimplendae,* id eſt, ad perfectionem perducendæ. In eadem linea *Ita* lege pro *Item.* Lin. 30. pro *atque* ſcribo *at.*

P. 163. lin. 4. lege: *Praelatio enim ſuperioris diſſuaſio eſt inferiorum.*

P. 164. lin. 7. lege *omnia habere te.* Lin. 32. lego *qua pleraeque.*

P. 166. lin. 22. pro *loqui noluit* lege *loqui novit.* Lin. ult. pro *proclivium tibi cavendi ablationem faciam,* recte reſcripſit Priorius: *proclivium tibi labendi ab altioribus faciam.*

P. 167. lin. 13: *nuptias ſuas de eccleſia tolleret*, hoc eſt, divortium faceret a marito Chriſtiano. Lin. 1. lege *eſt* pro *eſſe,*

P. 168. lin. 20. & 21. poſt *prohibitum eſt*, & poſt *ſtuprum eſt*, & poſt *violat*, & poſt *commiſcet,* pone ſignum interrogandi.

P. 169. lin. 15. pro *credit* lege *credet.*

P. 172. in libro *de virginibus velandis* lin. 1. pro *Proprium iam negotium paſſus meae opinionis,* ſcribo *Improperium iam & odium paſſus meae opinionis.* P. 173.

Digitized by Google

P. 173. lin. 22. pro *eruditur* ſcribo *eruderatur.* Utitur hoc verbo Sidonius Apollinaris ſæpius. Lin. 28. pro *uſquè nunc non olim* lege *uſque nunc, non ſolum olim.* Lin. 30. *barbarias eius.* Deleo *eius.* Lin. 42. pro *diligenda* lege *deligenda.* Lin. 45: *quae virgines negat, dum oſtendit,* id eſt, qua cognoſcimus, eas non eſſe virgines, quæ aperta facie incedunt.

P. 174. lin. 9. pro *multoque inſtitutorum* lege *auctorque malorum inſtitutorum.* Lin. 12. pro *dedantur* lege *cedant.* Lin. 40. & 41. pro *quas non diviſit, tacendo inalteravit,* ſcribo: *quam non diviſit, tacendo in altera innuit.* Sic infra p. 177. lin. 30: *in muliere virginem intelligit.*

P. 175. lin. 14. pro *Generalis etiam ſpeciale,* lego *Generale ſubeſt ſpeciale.* Lin. 24: *Hoc Genus ſecundi hominis a Deo factum eſt.* Conſtituit Tertullianus duas claſſes hominum, in quarum ſecunda ſint feminæ, in prima mares.

P. 176. lin. ult. & p. 177. lin. 1. lege: *ſi ita virgines caeſum capillum decere mentitur, quemadmodum pueros promiſſum.*

P. 177. lin. 17: *cum Deo aſſiſtens,* hoc eſt, in eccleſiaſtico conventu præſens.

P. 187. lin. 16. lege *praeceptum ſibi a Deo.*

P. 189. lin. 5. ſcribo *trans Cyrenen habitantes.* Lin. 19. lege *potitus eſt* pro *potius eſt.*

P. 219. lin. 12. ſcribit Rigaltius: *Stylus certe non abſimilis videtur ſtylo Tertulliani.* Ego vero iudico, eum eſſe diſſimillimum. In *verbis Agobardi* lin. 11. pro *a daemone ſe oberrante, quid eſſet ſapientia, deſcendiſſe quaerendum apud Iudaeos,* lego: *ad homines aberrantes, &, quid eſſet ſapientia, quaerentes, deſcendiſſe apud Iudaeos.*

P. 224. in libro *de baptiſmo* lin. 2. *digeſtum iſtud,* id eſt, liber hic. Lin. 4. *intentatam,* hoc eſt, non tentatam. Hoc verbum etiam infra cap. 20. lin. 24. occurrit. Male Rigaltius reſcribit *In tentatum.* Lin. 10. pro *integre* ſcribo *integrae,* id eſt, ſine hæreſi Chriſtianæ.

P. 227.

Digitized by Google

P. 227. lin. 6. pro *Chriſtum deformantes* ſcribe *crucem deformantes*, id eſt, *formantes*, uti ſupra p. 13. lin. 6.

P. 233. in libro *adverſus Hermogenem* lin. 8: *Nubit aſſidue*, hoc eſt, nuptias ſecundas approbat, & tertias, & plures. Vide libri *de monogamia* caput 16.

P. 250. lin. 1. pro *quia plurimum* ſcribo *quia, ut plurimi*. Lin. 2: *& diſciplina non terretur*. Hæc infra cap. 30. p. 261. lin. 16. ita interpretatur: *Nulla diſciplinae munia obſervant*. Lin. 4. pro *cuſtodiae officium* (id eſt, *ſilentii officium*, ut paulo poſt explicatur,) *conſcientiae officium eſt*, ſcribo *Cuſtodiae officium conſcientiae vitium eſt*, hoc eſt, qui putant, ſe ſuas doctrinas occultare debere, hoc ipſo produnt, ſe conſcios eſſe ſibi doctrinæ malæ. Poteſt & pro *vitium* legi *indicium*. Lin. 5. pro *Confuſio* (id eſt, pudor,) *praedicatur, dum religio adſeveratur*, ſcribo: *Confuſio praedicatur, dum religio obſcuratur*, hoc eſt, tacite prædicant, ſe erubeſcenda docere, qui religionem ſuam occultant. Lin. 6. pro *aditum prius cruciant* lego *aditurum prius cruciant*. Lin. 15. pro *caritate* lege *curioſitate*. In eadem linea pro *ſuccedere eſt* ſcribo *ſuccidere eſt*. *Eſt* ponitur pro *licet*. Sic & infra loquitur p. 255. lin. 15. & p. 292. lin. 5. & p. 298. lin. 9. & p. 327. lin. 8. Lin. 16: *Valentiniani fecerunt*. Deleo *Valentiniani*. Lin. 17. pro *concreto vultu* ſcribo *contracto vultu*. Lin. 18: *Negant, quicquid agnoſcunt*, hoc eſt, omnia negant, quæ revera ſentiunt. Lin. 19. pro *fatuam ſimplicitatem ſua caede diſpergunt*, ſcribo *tuam ſimplicitatem facete diſpergunt*. Lin. 22. pro *ut hoc tantum* lege *at hoc tantum*.

P. 251. lin. 6. pro *Repueraſcere nos & apoſtolos*, ſcribo *Repueraſcere nos vult apoſtolus*. Lin. 35. pro *de eccleſia authenticae regulae*, lege *de eccleſiae authentica regula*.

P. 251. pro *Colarbaſo* ſcribo *Colarba ſuo*. Ex *Irenaei* loco quodam vitioſe ſcripto *libri primi*, & quidem *cap.* 10. editionis Eraſmi, *cap.* 14. editionis Maſſueti, ſcriptores hiſtoriæ eccleſiaſticæ fecerunt hæreticum, *Colarbaſum*. Alii *Colorbaſum*, alii *Colobarſum* nominant. Irenæum ſcri-

Digitized by Google

ſcripſiſſe *col arba*, vel potius כָּל־אַרְבַּע, clariſſime demonſtravi in Tomo primo *der Hamburgiſchen vermiſchten Bibliotheck*, p. 152. ſqq.

P. 251. lin. 42. pro *qui per Valentinum*, ſcribo *quia per Valentinum*.

P. 252. lin. 14. pro *virginis ſenectae & Chriſtianae eloquentiae dignitas*, ſcribo *virginali ſenecta & Chriſtiana eloquentia dignatus*. *Dignatus* paſſive. Lin. 19. pro *calido ſuffundat*, ſcribo *caligo ſuffundat*. Lin. 27. pro *non erit delibatione transfunctoria*, lego *non erit velitatio transfunctoria*, id eſt, perfunctoria. Verbum *expugnatio* deleo. Lin. 31. pro *ne riſus eius rideatur*, ſcribo *ne riſus ullus rideatur*. Lin. 37. pro *ſunt forma* ſcribo *ſunt formam*.

P. 253. lin. penult. lege *numerorum* pro *humerorum*.

P. 256. lin. 5. Quid ſit *Neſtoris cocetum*, docet Caſaubonus in notis ad caput quartum Theophraſti *Characterum*, non longe ab initio.

P. 257. lin. penult. *ſubavit*. Recte. Male pro vitioſo habet Priorius.

P. 258. lin. 34. *dicibulorum*, id eſt, dicteriorum.

P. 265. lin. 9. pro *quod a Deo habeat*, ſcribo *quod a Deo habet*.

P. 266. lin. 12: *totum eſt*, id eſt, ſufficit. Sic ſupra p. 85. in libro *de idololatria* lin. 1. *tota cauſa*, id eſt, cauſa ſufficiens.

P. 267. lin. 37. *parent*, hoc eſt, apparent. De hoc uſu verbi *parere* vide Parei *Lexicon criticum*.

P. 275. lin. 29: *animam enim non opinari*. Deleo *non*.

P. 280. lin. 19. pro *Saturnius* ſcribendum *Saturninus*, vel *Saturnilus*. Lin. 33. pro *circumgelaverint* male reſcribit *circumcaelaverint* Thirlbius, in notis ad Iuſtini Martyris *Dialogum cum Tryphone*, p. 270.

P. 281. lin. 1. pro *non cedam* ſcribo *non concedam*.

Analyſis mea Libri de praeſcriptionibus, accuratior Pameliana.

Cap. I. docet, non eſſe mirandum, eſſe hæreſes. Cum enim prænuntiatæ ſint, non poſſe non eas eſſe.

Cap. II. Abominandas eas eſſe & præcavendas, quia mortem afferant æternam. Nihil virium eas habere ex veritate, ſed ex eo, quod quidam in fide infirmi ſint.

Cap. III. Neque offendi nos oportere, ſi Epiſcopus, ſi Diaconus, ſi vidua, ſi virgo, ſi doctor, ſi etiam martyr, lapſus a regula fuerit: quia 1. ex perſona non probatur fides, ſed perſona ex fide, 2. interdum aliquis extrinſecus videtur vir magnus, qui in oculis Dei non eſt verus Chriſtianus, 3. etiam a Chriſto & Apoſtolis quidam defecerunt.

Cap. IV. Quin potius memores ſimus ſacrarum literarum, quæ, futuras eſſe hæreſes, prænuntiarunt, &, fugiendas eſſe, præfinierunt.

Cap. V. ex dicto Pauli 1 *Cor.* XI. 18. 19. probat, hæreſes eſſe malas.

Cap. VI. pergit probare verbis Pauli, hæreſes eſſe malas, adeoque fugiendas.

Cap. VII. Idem probat inde, quod hæreſes ortæ ſint ex philoſophia, a qua cavere iubeat Paulus.

Cap. VIII. Nihil obſtare illud: *Quaerite, & invenietis:* nam dictum id eſſe ad Iudæos, nondum agnoſcentes Chriſtum.

Cap. IX. & X. Licet concedatur, illud: *Quaerite, & invenietis,* ad omnes pertinere, tamen deſinendum eſt quærere, poſtquam veritatem ſive veram religionem iam ininvenimus.

Cap. XI. Qui enim quærit veram religionem, eam aut non habet, aut perdidit.

Cap. XII. Si tamen adhuc quærendum eſt, non apud hæreticos eſt quærendum, ad quos vetamur accedere, ſed apud noſtros: & quidem illud duntaxat, quod non exſtat in *Symbolo fidei.*

Cap.

Cap. XIII. *Regula* enim ſeu *Symbolum fidei*, quod hoc loco recitatur, ea continet, quæ iam credimus, quæque adeo in diſputationem vocanda non ſunt.

Cap. XIV. Dubitare licet de iis, & veritatem quærere in iis, quæ non exſtant in *Symbolo fidei.* Hæretici vero, qui, & in his quærendum eſſe, dicunt, non ſunt Chriſtiani. Qui enim quærit, nondum habet id, quod quærit.

Cap. XV. Iam ad propoſitum veniens Tertullianus, præſcribit, non eſſe admittendos hæreticos ad illam ex Scripturis diſputationem.

Cap. XVI. Primum, quod Paulus Apoſtolus diſputationes cum hæreticis diſerte prohibet.

Cap. XVII. Deinde, quod nihil proficit diſputatio ex Scripturis inſtituta, cum hæretici libros quosdam non recipiant: &, quos recipiunt, adiectionibus ac detractionibus corrumpant: &, quos non corrumpunt, ſed integros ſervant, prava interpretatione pervertant.

Cap. XVIII. Etiam propterea nihil proficitur tali diſputatione, quod & hæretici nobis obiiciunt corruptiones, & ψευδερμενείας ſacræ Scripturæ.

Cap. XIX. Illud itaque ſolum diſputandum, quinam habeant veram religionem, & veram Scripturam. Hinc enim elucebit, orthodoxos habere veram Scripturam, eamque recte interpretari.

Cap. XX. Illa eſt vera religio, quam Chriſtus inſtituit, & Apoſtoli propagarunt: & illa eſt vera Eccleſia, quæ eſt Apoſtolica.

Cap. XXI. Illa vero Eccleſia eſt Apoſtolica, quæ condita eſt ab Apoſtolis. Ergo quicquid tales Eccleſiæ docent, id verbum Dei eſt: diverſæ autem doctrinæ ſunt falſæ.

Cap. XXII. Apoſtolos omnia & ſciviſſe & tradidiſſe, ex ratione & ex Scriptura ſacra demonſtratur.

Cap. XXIII. Reſpondet ad obiectionem hæreticorum, ex eo, quod Petrus reprehenſus ſit a Paulo, probantium, Petrum quædam ignoraſſe.

Cap. XXIV. Continuat illam reſponſionem, ſimul reſutans

 hæ-

Digitized by Google

hæreticos, ex Pauli in tertium coelum raptu probantes, Paulum cæteris Apoſtolis fuiſſe doctiorem.

Cap. XXV. & XXVI. Probat, Apoſtolos omnia omnibus tradidiſſe, nihilque ſecretum habuiſſe.

Cap. XXVII. Reſpondet hæreticis, obiicientibus, eccleſias & religionem, licet optime ab Apoſtolis inſtitutam, depravari poſtea potuiſſe, & erroribus contaminari.

Cap. XXVIII. Argumentatur contra eosdem ab abſurdo conſequenti, quod ſcilicet fieri non poſſit, ut omnes eccleſiæ in eosdem incidant errores: adeoque hinc concludit, ex eccleſiarum in doctrinis conſenſu apparere, eas adhuc tenere doctrinas primitus traditas.

Cap. XXIX. Hæreticos in errore verſari, inde probat, quod eorum doctrinæ doctrinis Eccleſiæ ſunt poſteriores.

Cap. XXX. Marcionem enim & Valentinum, hæreſiarchas, eſſe omnino poſteriores doctoribus Eccleſiæ. Porro hæreſiarchas nullis miraculis probare poſſe, ſe novos eſſe Apoſtolos.

Cap. XXXI. probat e ſacra Scriptura, quod a poſterioritate doctrinæ liceat argumentari ad eius falſitatem.

Cap. XXXII. provocat hæreticos, ut probent ex ordine Epiſcoporum ſuorum, ſe originem ab Apoſtolis trahere. Addit: Si vel maxime id confingerent, id tamen nihil ipſis prodeſſe, quia doctrinas foveant Apoſtolorum doctrinis contrarias.

Cap. XXXIII. oſtendit, dogmata quædam hæreticorum iam diſerte damnatas legi in codice ſacro.

Cap. XXXIV. pergit, hæreſes, ab Apoſtolis non notatas, ex hoc ipſo cognoſci eſſe poſteriores, adeoque doctrinas falſas.

Cap. XXXV. docet, nullam dictarum præſcriptionum competere adverſus noſtram diſciplinam, ſed noſtras doctrinas eſſe primas vetuſtate, & Apoſtolis conſentaneas.

Cap. XXXVI. probat, Eccleſias orthodoxas originem habere ab Apoſtolis ipſis, adeoque veram tradere religionem.

Cap. XXXVII. probat, hæreticos non eſſe Chriſtianos, adeo-

Digitized by Google

adeoque non eſſe admittendos ad diſputationem • Scriptura inſtituendam.

Cap. XXXVIII. docet, nos integram habere Scripturam: hæreticos eam corrumpere vel detractione, vel falſa interpretatione;

Cap. XXXIX. in eo comparandos illis, qui Virgiliocentonas & Homerocentonas compoſuerint.

Cap. XL. docet, fieri hæc ab hæreticis inſtinctu Diaboli, qui & in ethnicorum religionibus & in hæreſibus æmuletur Eccleſiam Dei.

Cap. XLI. Hæreticos falſam habere Eccleſiam, etiam ex eo probat, quod apud ipſos nulla vigeat diſciplina eccleſiaſtica, nullus ordo.

Cap. XLII. Idem ex eo probat, quod negotium illis ſit, non ethnicos convertendi, ſed noſtros pervertendi: nec ſuis præſidibus reverentiam præſtent: & in doctrinis inter ſe ipſos varient, nec certas eccleſias habeant:

Cap. XLIII. item ex eo, quod commercia cum magis, circulatoribus, aſtrologis, & philoſophis habeant, nec ulla ſit inter eos diſciplina.

Cap. XLIV. Si his præſcriptionibus non moveantur hæretici, ad futurum iudicium eos provocat, ubi ſua quisque fidei ſit redditurus rationem.

Cap. XLV. Concluſio.

IOHANNIS CHRISTIANI DANIELIS SCHREBERI Lithographia Halenſis, exhibens Lapides circa Halam Saxonum reperiundos, ſyſtematice digeſtos ſecundum Claſſes & Ordines, Genera & Species, cum Synonymis ſelectis, & deſcriptionibus Specierum. Praefatus eſt IOH. IOACH. LANGIUS, Math. P. P. O. Acad. Imp. Nat. Cur. & Reg. Boruſſ. Scient. Collega; cum figuris aeneis.

Halæ 1759. impreſſ. Ioh. Iac. Curt, pl. 6. chart. octuplicat.

Sequitur Auctor in enarrandis deſcribendisque, qui in regione Halenſi reperti ſunt, lapidibus, ordinem, quem Ill. *Linnaeus* in *Syſtemate Naturae* propoſuit. Præmonuit primum quædam de inſtituti ſui ratione, de iis, qui de lapidibus Halenſibus ſcripſere, ut Val. Cordo, Carolo Schæffero, Buttnero, Langio, aliis; de finibus, quibus Lithographia hæc contineatur; deinde omnem rem in tria capita deſcripſit. quorum primum de *Petris*, alterum de *Mineris*, tertium de *Foſſilibus* exponit. Lapides, quorum mentionem facit, præter paucos, ſe oculis vidiſſe & tractaſſe manibus teſtatur, neque eorum ſolum naturam, colorem, pondus & figuram commemorat, ſed Synonyma quoque addit, auctores, qui copioſius de re ſcripſerint, laudat, loca, in quibus reperiatur hic vel ille lapis, indicat, & quibus uſibus plurimi inſerviant lapides, paucis attingit. Memorabilia præ cæteris nobis viſa ſunt hæc, p. 44. Mentionem facit Auctor ſilicis in quo cornu ammonis tribus flexibus conſpicitur. P. 52. ubi de Ichthyolitho exponitur, *in muſeo cel. Dn. Prof. Langii*, ait, *eſt piſcis malacopterygius, marmori albido ſubfiſſili immerſus, ad dimidium corporis diffractus. Pinnae dorſales nullae, ventrales hic tres conſpicuae, 1. ad caput non in eodem plano cum corpore, ſed ad latus flexa, 2. & 3. ad duas tertias partes longitudinis corporis, ambae ad latus flexae. Corporis pars tecta ſquamis rhombeo-ovatis, laevibus, fuſcis, quibus inhaerent nonnullae bracteae nigrae, laeves, ſplendentes. Caput non diſcernendum, praeter veſtigium aliquod branchiae. Latitudo maxima ultra* $1\frac{3}{4}$ *poll. Lapis alias albido cinereus, ubi corpus replet, gaudet colore griſeo luteſcente.* P. 54. enarratur mirabilis petrefactio maxillæ, *quae ſubſtantiae eſt oſſeae, fuſca, in ſuperficie ſtriata; ramus alter ſecundum totam longitudinem, quae eſt ultra 5. poll. rhen. patet. fiſſuras habet multas marmore repletas. Dentes 14. conſpicui ſunt — omnes medio diffracti; intus materia lutea repleti. — Matrix eſt marmor, conchyliis repletum Ophuſanum.* Accedit etiam diſputatiuncula de *Creta terreſtri Teſtaceorum.* Eſt enim ad viam, quæ *Hala Islebiam* ducit, piſcina quædam, aggere mediocri incluſa, qui ter-

terram calcariam ex teſtis zoophytorum comminutis ortam in ſinu ſovet. Hæc vero terra, leviſſima, & quæ aquæ innatat, particulis farinaceo-aceroſis non cohærentibus impalpabilibus albis, inquinantibus conſtat. Amplo ſi vitro hanc terram iniicias, & aliquot guttas aquæfortis vulgaris inſtilles, ſubito aqua effervet, grandes bullæ naſcuntur, & orificium vitri ſuperant. Hæ ſunt tenaces, & paſtam unguinoſam habent reſiduam. Iniicias alterum tantum aquæ puræ, quantum inieciſti fortis, ſolutionem videbis flavam, pellucidam, amaram, & in fundo ſabulum exigua copia. Vitrum ſi cauſticum Tſchirnhuſianum admoveas, nihil efficies. Calcinata fit terra, & copioſum fumum empyreumatici odoris efflat. Hæc terra, lente viſa, particulas ſubpellucidas, difformes, ex teſtaceis diffractis ortas ſiſtit. Neque tamen divinabit quisquam, quomodo ſint teſtacea & comminuta, & huc delata. Teſtacea, quæ integra terra condit, ſunt *cochleae lacuſtres* plurimæ, *tubuli dentaliformes*, mirabili ſtructura & ſingulari compoſiti, & quos Ill. *Roſelius de Roſenhof* pro phryganearum domiciliis, Auctor vero pro zoophyti alicuius teſta habet, *tubuli ſimplices*, cavi, recti aut incurvi, longitudinaliter coadunati, modo petiolati, modo apice conniventes, & denique *corpuſcula minima ovi figuram referentia, oblique ſtriata*. Hæc hactenus. In præfatione Cel. *Langius* de differentia inter Lithographiam & Oryctographiam, de ſcriptoribus quibusdam, hanc rem qui illuſtraverint, & de novis verbis & terminis non male ab Auctore adhibitis, quædam diſſerit.

OBSERVATIONS SUR LES ANTIQUITES D' HERculanum, avec quelques Reflexions ſur la Peinture & la Sculpture des Anciens; & une courte deſcription de pluſieurs Antiquités des environs de Naples.

i. e.

ANTIQUA HERCULANEI MONUMENTA, Litteris lineisque ex aere ductis deſcripta, cum Obſervationi-

Digitized by Google

tionibus de veterum Pictura & Sculptura nonnullis; & brevis Antiquitatum, quae in Neapolis confinio reperiuntur, Deſcriptio. Auctoribus COCHINO & BELLICARDO. Editio altera, apud Iombertum, typographum & librarium Regis. 1755. plag. 15. Octonis. Tabulae inſunt lineis pictae omnino XL.

Treviri huic, fauſtum omen, conficiendo extitere libro; *Cochinus* nempe, qui de tabulis pictis ac ſculpturæ monumentis, Herculanei ſunt reperta, utiliter egit, quod ſit ſatis, ſi modo item modeſte: *Bellicardo* autem debetur, quicquid de ædificiorum reliquiis exponitur in hoc opuſculo: ſupereſt tertius, nomine ignotus, qui Herculanei hiſtoriam contexuit brevem. Nos more utemur noſtro, Lector, & ſecundum ordinem libri enarrabimus argumenta paucis, ſimul iudicium de ſcriptorum opera edemus, hoc certius, quod Antiquitates Herculanenſes, quas Neapolis Rex inclutus erudito orbi propoſuit, ipſi vidimus, pulchre delineatas & deſcriptas.

Contigit bona ſane fortuna Cochino & Bellicardo, ut comites in Italiam eſſent itineris Domino de *Marigny;* illuſtri hic genere natus, regique Gallorum a conſiliis eſt. Optandum eſſet omnino, ut principes viri atque beati vellent Marigini modo laudati exemplum ſequi, eligerentque ſibi, ſi comparandi elegantiam uſumque rerum artiumque bonarum cauſſa inſtituerent iter, in Italiam præcipue, ubi docta, ex antiquo ævo quæ ſuperſunt, monumenta, vere domicilium habent, eligerent, inquam, eos comites, qui lineis pingere ſcirent, atque eſſent architecturæ periti, ut vere de iſtis prædicari poteſt duumviris. Id modo crimini dari poteſt Cochino, quod non ſatis æquus earum rerum extiterit iudex, quibus exteri iure gloriari poſſunt, quemadmodum infra docebimus pluribus.

Brevis iſta Herculanei oppidi hiſtoria primam omnis libri partem occupat, ſi exceperis litteras, quibus Cochinus &

& Bellicardus opus ſuum Marigino, illuſtri genere nato, dedicaverint, atque id genus alia, quæ ad rem primariam pertineant minus. Inibi narratur primo, qua occaſione inventa ſint rudera oppidi miſere olim cineribus atque igneo flumine, ex Veſuvio monte erumpunt, obruti, diuque quaſi ſepulti. Deinde quomodo de nomine inventi oppidi certaverunt eruditi; alii Pompeii nomen oppido fuiſſe; Retinæ putant alii: ſed errant utraque pars; illud enim ad Sarni ripam erat ſitum; Retinæ vero nomen a *Plinio* minore villæ tantum tribuitur. Tum de diverſis eiusdem oppidi agitur nominibus, quæ varie ab utriuſque linguæ ſcriptoribus feruntur. Latinorum enim Herculanum alii; pars Herculanium; plurimi Herculaneum, & quidem ſemper penultima longa, appellant: a poetis Herculea dicitur urbs, ſive Salinæ Herculeæ. Græci autem ſcribunt nomen eius Heracleion, Heraclanon & Herculaneion.

Herculaneum vero oppidum, quod ad originem eius attinet, inter antiquiſſima Italiæ referri poteſt, atque, ut fabula eſt, *Dionyſio* quidem *Halicarnaſſeo* auctore, Herculi debet originem. Fabulam dices falſam? per nos licet: ſed ne propterea accuſes Noſtrum, quiſquis eſt, quod Dionyſii ſententiam adduxerit; cauſſa & ratione id feciſſe puta, reddet tibi, ſi legas. Quæ tandem in ſcriptoribus Græcis ac Latinis de Herculaneo invenit monumenta, collegit, ediditque iſte ignotus: ſed ea enarrare pro noſtro inſtituto nimis eſſet longum.

Ad librum Cochini & Bellicardi ipſum convertimur, qui eſt tributus in Sectiones tres, quarum prima & ultima ex Bellicardi, Architecti Academiarum, quæ Florentiæ ac Bononiæ habentur, obſervatione provenerunt; ſecundam autem Cochinus, qui a Gallorum Rege ad pingendas aerique incidendas lineas alitur, operi addidit. Nos argumenta, ſecundum tabulas lineis ex aere ductis enarrabimus pictas.

Prima tabula Veſuvii montis deſcriptio datur, Cochini filius lineam duxit, quam Gallimardus cælo expreſſit in aere. Diligenter ſatis facta ſunt omnia, multoque labore; difficilem

lem tamen cognoſces manum, ut igitur gratia & venuſtas deſiderari videantur. Quæ Bellicardus de Veſuvio mandavit litteris, nihil habent præcipui, præter quam quod anni a. C. n. CIↃIↃCCXLIX. & inſequentis hiſtoriam continent montis.

Secunda tabula Theatrum, Herculanei quod erat, exhibet, lacerum ac corruptum; neque alia eius facies pictura exprimi potuit, ſi vera ſpectare velis, quoniam illud per partes, diverſisque temporibus, effoſſum eſt; ut prætereamus, quod vetuſtate, ac montis Veſuvii rabie, magnum damnum fecerit. Sed dolendum eſt ſane, quod iſtud theatrum non integrum adhuc exiſtat; ex ornatus enim cultusque reliquiis, in marmoribus conſiſtunt pulcerrimis, ſtatuis, columnis, picturis, & quæ id genus ſunt alia, ſplendidiſſimum fuiſſe, magnique ſumtus ædificium, intelligi poteſt.

Quæ de Marcelli theatro, quod ſub Auguſto conditum eſt, adhuc ſuperant Romæ, tertia oſtenduntur tabula. Rudera eius tot fere habent admiratores, quot ſpectare contigerit ea.

Quarta exhibetur tabula theatri, Olympicum vocatur, area, quod Vincentiæ a Palladio, architecto celebri, ad imitationem veterum ædificatum eſt. In eo differt tamen ab antiquis, quod iſtud tecto inſtructum eſt, quo illis opus non fuit; nec forma convenit: Palladii enim theatrum dimidiati circuli oblongi habet formam, antiquorum contra abſoluti rotundi.

Tabula quinta ædificii alicuius, ut apparet, publici, quod fori ſpeciem præbet, cum duobus templis continuis lineis ex aere ductis area fertur. De nomine non conveniunt eius rei intelligentes; alii chalcidicam veluti χαλκȣ̃ δίκην, quod ibi de re monetaria cognoſceretur, dicunt; forum alii.

Quæ tabula ſexta, reliquiſque, uſque ad decimam quartam picturæ lineares continentur, hic indicabimus una: iis nempe exhibentur ſepulcra cum urnis, pavimentorum partes, quæ ſtrata erant tabulis marmoreis varii generis atque colo-

coloris, ſupellectilis tandem antiquæ copia, cuius inprimis fuit uſus in ſacris faciendis. Sic omnis prima pars libri, quam Bellicardus ſymbolam dedit, abſolvitur. Hic quidem, quantum intelligere potuimus, ſatis æquus harum rerum exſtitit præco, neque malevolentiæ aut invidiæ corruptus vitio, ad hos commentarios condendos acceſſiſſe videtur. Atque erat hoc tali viro, tam præclaro artifice, omnino dignum; quod in vulgus notum eſt, recentiorum opera, imitando veteres, qui ſumma diligentia præiverint, atque adeo deſpiciendi non ſint, ſummam laudem mereri.

At iſte alter, quam velimus eandem ut inierit viam, neque male adfectus peſſimo invidiæ morbo, quæ veſtigia picturæ veterum Herculanei cineribus ſepulta, atque litterarum artiumque bono magno ac vere regio conatu ſumtuque quæſita ſunt, hæc fere ſpreverit omnia, contemſerit, ac flocci nihilque præ hodieque adeo tabulis pictis fecerit. Dabimus id quidem facile, neque Romani ipſi, quamvis magnifice de ſuis ſentiebant, id confiteri erubeſcerent, Græcos pinxiſſe doctius. Sed, inquies, *Horatius* (Lib. II. ep. 1. v. 32.) adfirmavit contra, ſe ſuosque, arte pingendi, aliisque artibus, ſuperare omnino Græcos. Minime. Falleris: tam impudentem, tamque duro fronte Horatium noli exiſtimare. Eius ſententia, ſi quidem ceperimus veram, longe eſt alia: abſurdiſſimam nempe futuram eſſe opinionem ſuorum, ſi palmam in his artibus ſe præripuiſſe putarent Græcis, hoc potius innuit verbis, quæ ſcribemus infra:

Nil intra eſt oleam, nil extra eſt in nuce duri:
Venimus ad ſummum fortunae; pingimus atque
Pſallimus, & luctamur Achivis doctius unctis.

Sed recte hic poteſt quæri, quare apud Romanos pictura non in tantum proceſſerit faſtigium, in quo apud Græcos eam fuiſſe comperimus. Fortaſſis illi caruerunt elegantia ſpectandi diiudicandique picturas? Id quidem non adfirmaverimus: ſed culpam potius habuiſſe putamus, quod nullam pæne gloriam, laudem, atque honorem hac arte conſecutus

ſit quamvis eius peritus. *Honos alit artes: omneſque accenduntur ad ſtudia gloria; iacentque ea ſemper, quae apud quosque improbantur.* Teſtem eius rei dabimus Ciceronem, qui Tuſculanarum primo: *an cenſemus,* inquit, *ſi Fabio, nobiliſſimo homini, laudi datum eſſet, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos & Parrhaſios fuiſſe?* Sed, bone Cicero, quantum poſt te immutata ſunt tempora, moresque hominum atque inſtituta, ut ſpeciem tantum inanem rerum, uti in ceteris rebus, ita in litteris artibusque diſcendis & exercendis, ſectarentur; quantum a natura duce ſanaque aberraverunt ratione, ut fere nulla pictura, nullaque alia ars, in omni terrarum orbe appareret, ſi quidem cum antiquioribus eas comparare velimus.

Verum enim vero his non amplius illudendi illas, quæ nuper repertæ ſunt Herculanei picturas, materiam tibi ſubminiſtravero, Cochine, largiorem, aut te purgandi denique. Dignæ illæ omnino ſunt, quæ ſuſpiciantur a nobis, laudentur, & ad imitationem proponantur. Tempus quidem latet, quo factæ ſint: ſed quid intereſt? nihil moramur; veſtigia artis pingendi in iis apparent præclara, argumenta docta, nec præter rationem facta. Tu eas reprehendis tamen atque incuſas: ſed quare? leves admodum, libere dicam, cauſſas affers. Formæ non ſunt rotundæ, deſideras umbram lumenque, ac colorum ſplendorem: ſed quibus eius rei culpam dabis? Pictoribus fortaſſis? erras: iniuriæ temporis potius, atque iniquæ fortunæ. Sed de hoc ſatis; poſteaquam nuper admodum, recenſendo Tomo I. Herculanenſium antiquitatum, ſuper iſta re plura diximus.

Argumenta deinceps enarrabimus paucis, ſecundum tabulas, ut antea fecimus, lineis pictas.

Tabula itaque decima quinta Theſeus refertur, Minotauri victor; decima ſexta mulier magnifica forma ſedens, Flora habetur, poſt eam Faunus organon tenens tibiis ſex, ante eam Hercules; decima ſeptima Chiron centaurus, qui Achillem cythara canere docet; duodeviceſima iudicium Appii Claudii, quod putatur; undevigeſima apparent mulie-

res

res tres dimidiatæ, poſtilla vir in aqua uſque ad pectus accedens cum lituo, iudicium Paridis habetur; viceſima, & inſequenti, ſacrificia oſtenduntur, ea Aegyptiorum eſſe Noſter putat; viceſima ſecunda & tertia minutæ exhibentur tabulæ varii ac diverſi argumenti; viceſima quarta, & quinta, bis una eademque oſtenditur ſtatua equeſtris Nonnii Balbi. Sic ea quoque, quam Cochinus addidit, pars, abſoluta eſt.

Reſtat igitur pars libri tertia, quæ ex Bellicardi denuo profecta eſt obſervatione. In ea quidem non Herculanei quæ reperta ſunt monumenta exponuntur antiqua, ſed in confinio Neapolis quæ ſpectantur hodieque, item antiqua. Multi iam ea dederunt litteris ac lineis deſcripta, ſed non tanta diligentia, quantam Bellicardus de ſe prædicat. Tabulæ, quibus ea exhibentur, numero omnino ſunt quindecim, quarum enarrandis argumentis nos ſuperſedere poſſumus, quod iam alii eorum fecere copiam. Ceterum, utiliter quidem ſatis ſtilum adcommodavere uterque, ſed tamen ubivis eius deſideres operam, litteris qui Græcis Latinisque bene ſit imbutus; amice enim veluti conſpirant litteræ taliaque monumenta, ſibique invicem, niſi idoneo deſtituta ſint interprete, opem ferunt. Sed hæc ſufficiant.

CONRADI GESNERI, PHILOSOPHI ET MEDICI celeberrimi, Hiſtoriae Plantarum Faſciculus, quem ex Bibliotheca D. CHRISTOPHORI IACOBI TREW, Sac. Caeſ. Mai. Conſil. & Archiatri, Marggr. Brand. Onolzbac. Conſiliarii & Archiatri, Reipublicae Norimbergenſis Phyſici ordin. Senioris, Comitis Palat. S. R. I. Nobilis, Societ. Imper. Nat. Cur. Directoris, Societat. Regiar. Londinenſ. & Berolinenſ. Sodalis, edidit & illuſtravit D. CASIMIRUS CHRISTOPHORUS SCHMIDEL.

Norimbergæ 1759. impenſis Ioh. Michaelis Seligmanni, typis Fleiſchmannianis, Alph. ½. tabul. æn. 14. fol. mai.

 Iam

Digitized by Google

Iam ante aliquot annos *Schmidelius* V. Cl. edendis Conradi Geſneri, viri ſummi, reliquiis botanicis, de litteris bene mereri coepit. Atque tum quidem conſilium ceperat, totum opus in Centurias diſtributum edendi, quod vero deinde, ob certas rationes mutavit. Hoc igitur volumen, & pulchritudine figurarum, a *Seligmanno* atque etiam ipſo *Schmidelio*, affabre ſculptarum, vivisque coloribus pulchre exornatarum, & nitore chartarum ſplendidum, quinquaginta plantas exhibet. Quo in negotio ita verſatur vir doctus, ut primum nomina & appellationes ponat, a Geſnero plantis inditas, & cum hæ, (nam, ut quodque in mentem venit, a Geſnero poſitum eſſe videtur,) plerumque vagæ nec accuratæ ſatis ſint, tam priſcos quam recentiores auctores conſulat, &, quæ memoratu digna videantur, nomina adſcribat. Sic Penneium, Aretium, Hallerum, Cluſium, Dalechampium, Bauhinium, Linnæum, alios complures diligenter laudat, eorumque auctoritates vel ad confirmandas, vel ad illuſtrandas Geſneri ſententias adducit. In annotationibus Geſnerus, qui maximam fiduciam in figuris poſuit, non ſatis diligentem curam adhibuit, breviſſimisque plantas deſcripſit. Quare & addidit Schmidelius, quæ ad illuſtrandas icones pertinere putavit, & orationis Geſnerianæ partes divulſas, nec bene ſæpe cohærentes, continuatione quadam coniunxit. Accedunt denique eiusdem adnotationes non contemnendæ, quæ plantarum figuras deſcribunt & illuſtrant. Non iniucundum, opinamur, erit harum litterarum ſtudioſis, hoc quæ volumine contineantur, cognoſcere. Quare adſcribemus nomina plantarum Geſneriana. 1) Saxifraga montana, radice ſquamis ſeu nodis denticulatis inſignis, 2) Saxifraga montana floribus pallidis, 3) Dentaria, ſeu Coralloides Cordi. 4) Coralloides triphyllos, cognata Saxifragæ montanæ. 5) Urtica mortua, ſeu Lamium Plinii. 6) Thymelæa minor, vel Daphnoides alpinum, 7) Daphnoides rarum, foliis ſupinis hirſutis, 8) Phacoides Oribaſii vel Empetrum, 9) Daphnoides verum, vel Laureola circa Lemanum lacum, 10) Daphnoides vulgare, 11) Hepatica alba,

alba, 12) Iuncus ramuloſus, 13) Iunci genus aliud, 14) Gramen piloſum, Luciola ab Italis dicta, 16) Iſchæmon aliud, 16) Iuncus idæus vel petræus, Petroſchoenos, vel ὀρεόχοινος, 17) Aceris genus oxyphyllum, Lynbaum, 18) Acer maior, 19) Maſsholder Tragi, 20) Orminum luteum, Klibkraut, 21) Orminum verum Matthioli, 22) Horminum rarum Rauwolffii, 23) Salvia Cretica cum Gallis, 24) Salvia peregrina Rauwolffii, 25) Sanicula alpina, Wildſchellkraut, 26) Sedi (alias Phylli) genus montanum, 27) Sedum aliud montanum, cuius flores albi punctis ſanguineis adſperguntur, 28) Sedum ſeu ſempervivum, ſive potius Cotyledon alpinus, 29) Cotyledon alter alpinus minor, 30) Sedi aut Phylli ſpecies minima alpina, 31) Sedulum, quod Moſchatella alpina lutea vocari poteſt, 32) Sedulis Alpinis cognata: Schoen blaue Bergblumle, 33) Herniaria petræa, 34) Naſturtiolum petræum, 35) Sedulum tertium, id eſt, ſedum parvum ex Taſans. 36) Sedulum alpinum quartum. 37) Cotyledonis aut ſedi ſpecies quædam, 38) Sedula montana pulchra, 1 Maſ. 2.) Foemina, 39) Sedi minoris ſpecies in ſaxis montis Pilati, 40) Saxifraga alba, 41) Anonymos Matth. 152. Wolph. 42) Taxus, 43) Chamæceraſus, Bergkrieſſe, 44) Chamæceraſus alpina maior, 45) Chamæceraſo alpinæ & Periclymeno recto cognata, 46) Periclymeni montani ſpecies, 47) Periclymenum rectum ſylveſtre, 48) Periclymenum alpinum nigrum, 49) Periclymenum hortenſe, 50) Periclymenum perfoliatum. De his omnibus non ſolum eleganter & copioſe diſputatur, ſed ipſæ quoque plantæ tanto cum artificio ſunt expreſſæ, ut illas vivere, ſeque tibi ad decerpendum offerre credas. Cæterum ut, quem inchoavit, laborem & iucundum & utilem, abſolvat vir doctus, artis medicæ cauſa optabile eſt.

ENCOMIA COELITUUM, DIGESTA PER SINGULOS anni dies, una cum veterum faſtis, recenſentibus victorias, triumphos, ſacrificia, ceteraſque res inſignes Romanorum imprimis atque Graecorum, quibus Chri-

ſtianae

Digitized by Google

ſtianae religionis praeponuntur faſti. Auctore IOH. BAPTISTA MASCULO, Neapolitano, e Societate Ieſu, ob raritatem & elegantiam recuſa, ornata tabulis aeneis, cura & impenſis AA. LL. Societatis.

Viennæ & Auguſtæ Vind. P. I. 1753. P. II. P. III. 1754. P. IV. 1755. Alph. 2. fig. æn. 366.

Si ſplendori & elegantiæ, quem hic liber præ ſe fert, reliqua, quæ bonum librum perficiunt, reſponderent, næ, qui illum laudibus ſuis defraudare vellet, iniuſte ageret, nec eſſet ferendus. Tantum vero abeſt, ut, quæ a nitore chartarum, & pulchritudine imaginum habet ornamenta, ſervent & augeant reliqua, ut extinguant potius, certe deprimant. Quod cuivis, qui hunc librum inſpiciat, & ſine partium ſtudio iudicare velit, facile apparebit. Totus quidem liber ita deſcriptus eſt, ut ſingulis anni diebus vita ſancti cuiusdam viri aut feminæ, atque martyris, brevi oratione enarretur, eiusdemque laudes celebrentur. Iam cum *Maſculo,* viro alias non indocto, ſed qui temperare magis quam indulgere ingenio, neque argutiolis hiſce captandis eruditionis gloriam aucupari debebat, illi igitur cum ſe non quævis materia benignam præberet, quæ niteſcere poſſe deſperavit, reliquit, & ex multis coelitibus, quorum memoria eodem faſtorum die coli ſolet, eos elegit, puerili huic & ineptæ eloquentiæ amplum qui exſpatiandi exſultandique campum aperirent. In faſtis, cum ex Græcis Latinisque antiquitatibus res maxime inſignes paucis attinguntur, tum quæ ad Martyres & coelites pertineant, paullo copioſius exponuntur.

Iam quid ſibi propoſitum habuerit his vitis enarrandis Maſculus, nemo ignorat. Omnis vero hic labor quam fruſtra ſuſcipiatur, & quantum detrimenti afferat, quam vehementer ſuperſtitionem & inſpiret, & alat, dudum alii docuerunt. Age, afferamus quædam ex hoc libro, quæ non pietatis ſenſum inſpirent animis, non ad virtutem lectores con-

for-

forment, ſed vel Heracliteæ ſeveritatis homini riſum excutiant. Neque enim ſolum multa falſa & ridicula narrantur; ſed ita quoque narrantur, ut, quæ mala antea, nunc peſſima videantur. Totus vero hic liber ineptiis ſcatet, quæ a verbis, a nominibus petitæ ſunt, & iam olim omnem veræ eloquentiæ ſplendorem extinxere. Sic p. 40. „Superavit Priſca veteris exempla conſtantiæ; — ſed recens ſemper eſt eius facti gloria, ideo accepit ab antiquitate nomen, ut impios antiquaret ritus: p. 43. maluit Agnes vellere cruento eſſe, quam aureo: p. 50. Chryſoſtomi oratio perennis funditur inſtar fluminis, niſi quod ſonanti ſæpe abit in fulmina, auro ſuo detinebat aliorum aures: p. 84. non eſt dedignatus apud ſocios panificium facere, panifex ante quam pontifex: p. 88. Meletii nomen tam dulce Antiochenis fuit, — nullum accidebat auribus ſuavius melos. — Arianis tantum viſus eſt amarior: p. 79. nullum in virtute paſſus eſt iſthmon, qui non patitur ægros vexari pariſthmiis: p. 138. Oblivifci ſui videretur ars bene dicendi, ſi ſine elogio præteriret Eulogium —; carcerem ipſum fecit literarium Muſeum, alligatus vinculis geſta martyrum alligavit metro, niſi quod menſuris uſus in immenſa laude: p. 154. nulla firmior rupes, quam tua, Ruperte, conſtantia: p. 188. Ades huc — Aedeſi: p. 236. Feliciter in te, Pelagia, velificata religio eſt, ſolus fecit Cupido in hoc pelago naufragium: p. 322. de Petro: oratorio maior eſt calamo, qui piſcatorio excepit regna: p. 531. Rhemenſis gubernator navis, remis uti maluiſti, Remigi, quam velis, quia nihil a te tam alienum, quam tumor: p. 533. Arnulphum — laborantem calculo pie ſanaſti, nihil videlicet in homine volebas eſſe lapideum —; didicit Arnulphus beneficia — ad calculos revocare liber a calculo.“ At ohe! iam ſatis eſt! Atque iſtiusmodi ſalibus, Alpina nive frigidioribus, totus liber repletus eſt. Neque in ipſis Faſtis hæ deliciæ, a politulo limatuloque Maſculi ingenio profectæ, deſunt. En tibi, quæ p. 161. leguntur: „Menſem hunc — (Aprilem) Nero ſibi depopoſcit, iuſſitque appellari Neroneum: nondum conſtat, quid Nero invenerit ſibi

Digitized by Google

cum hoc menſe commune, præter hoc unum, quod ſicut Aprilis dictus eſt, quod tunc ſe tellus communis mater aperiat ad foetum, ita ipſe ſuæ viſcera matris aperuerit ferro." Macte virtute eſto! nihil, hercle! audivimus unquam acutius. Sed lubet, ut appareat, quam parum maſcula ſit Maſculi eloquentia, (ludere enim licet, quoniam luſus in manibus habemus,) lubet igitur locum adſcribere, in quo ſe ipſum ſuperavit homo ab ipſis Gratiarum manibus ad facetias compoſitus. Eſt vero ille p. 556. de Criſpino & Criſpiniano, martyribus. *Non puduit vos, nobili ortos genere, artem exercere ſutoriam, digne calcatis ſidera, qui calceis conficiendis ideo dediti, ut ad pietatis iter incitati alii, veſtra opera conficerent curſum: perforaſtis animantium pelles ſubula, perforandi vos ſudibus; immanior fuit iudex ipſo Caligula, cum inaudito ſupplicio extractam veſtri corporis pellem incidi & aptari iuſſit in caligas, artis commodum non modo vertit in probrum, ſed in exitium vitae; at offecit ſibi hoſtis, cum effecit, ne deeſſent in religionis caſtris caligati milites: acutae digitis adactae ſunt ſudes, ſed mire reſilierunt in hoſtem, vulneratus eſt hic telis ſuis: hoc tantum acutis accepiſtis a ſudibus, quod manus acuerunt ad pugnam; ſutrina vobis ceſſit in campum, acus in haſtam,* &c. Ad hæc vel rideat quis, vel lacrymetur, nobis perinde eſt. Fatemur tamen, nos vix illuſtriora ſtyli frigidi ſpecimina noſſe, quam toto hoc libro ſunt. Si tamen cuiusdam ad palatum hæ deliciæ ſint, per nos illis fruatur, ea lege, ne ad coenam promittere cogamur. Sentes eſitent, quibus volupe eſt. Nos vix laborem, quem in evolvendo libro poſuimus, licet exiguum, ferre potuiſſemus, niſi ſubinde recreatus eſſet animus pulcherrimarum imaginum adſpectu. Miramur denique, quomodo factum, ut hic liber tot mendis foediſſime deformatus ſit. Non otium nobis eſt, plura indagare: ſed quot non in imaginibus, de encomiis nihil dicamus, menſis Ianuarii invenimus! ut: d. 1. hoc nomen ipſi *impoſitam* fuiſſe, quod anno eſſet *ornamenta:* d. 4. cum *dyneſtis:* d. 9. *fama* pro fana: d. 18. leonibus *familicis:* d. 20. *fontior* dux: d. 21. *alluditas:* d. 22. *vingelis* ferreis: d. 23. ut barbaris

baris *ſtupore* eſſet: d. 26. hæreticos eſt *inſedatur:* d. 30. *fulnere.* Sed in his longiores vel ſagaciores eſſe nolumus, ne putidiuſcula ſit diligentia noſtra, aut quærere in muſtaceo laureolam videamur.

RITUALE ROMANUM, CAEREMONIALE EPISCOporum, ac Pontificale Romanum, Sanctiſſimi Domini noſtri Benedicti Papae XIV. iuſſu edita & aucta.

Romæ 1752. excud. Generoſus Salomoni. P. I. pl. 12. P. II. pl. 12. P. III. pl. 18. octon.

Serius, quam noſtra fert conſuetudo, huius libri mentionem facimus, quem ideo non ſilentio prætereundum eſſe arbitramur, quoniam, tanquam in tabula, quæcunque ad Romanæ eccleſiæ ritus pertineant, exhibet. Iam complures pontifices, quorum litteræ ea de re ſcriptæ in præfatione leguntur, multum in hoc operæ & ſtudii poſuerunt, ut eiusmodi liber exſtaret, ad quem, quaſi normam & regulam, dirigerent omnia in ſacris huic eccleſiæ addicti ſacerdotes. Pius V. Breviarium primum, & deinde Miſſale Romanum: Paulus V. Rituale Romanum, & Clemens VIII. Cæremoniale Epiſcoporum, ſtudio & opera eorum, quorum maxima erat cum dignitas, tum auctoritas, collectum, edendum curavit. Quos vero in libros cum & temporis, & typographorum vitio, plurimi errores irrepſiſſent, operæ ſe facturum pretium eſſe putavit Innocentius X. ſi Cæremoniale Epiſcoporum emendaret. Quod cum Benedicto XIII. nondum omnibus numeris abſolutum videretur, illud rurſus ſic edidit, ut obſcura quædam in eo & ambigua illuſtrarentur, (ipſius Pontificis verbis utimur,) corrupta alia & depravata emendarentur, nonnulla præterea inter ſe pugnantia & contraria conciliarentur, aliaque demum hactenus prætermiſſa ſuis locis opportune adderentur. Mirum eſt, hoſce tres Pontifices in litteris ſuis hæc poſuiſſe: *Per praeſentes autem antiqua Caeremonialia, in his, quae praefato Caeremo-*

remoniali emendato ſunt conformia, minime aboleri aut abrogata cenſeri volumus, ſed illorum etiam uſum (ſalva emendatione praedicta) permittimus. Hoc enim quid aliud eſt, quam erraſſe quidem priores, ſe meliora inveniſſe, ſuaque eccleſiæ probata eſſe velle, ſed dicendum non eſſe, humanæ naturæ imbecillitatem ab erroribus omnino immunem & liberam in pontificum perſonas cadere? Sed hæc obiter. Redeamus ad hiſtoriam libri. Clemens VIII. Pontificale Romanum correxit; ſed Urbano VIII. quædam corrigenda reliquit. Cum vero plura adhuc addenda eſſent, collegit tandem omnia Benedictus XIV. & his libris propoſuit. Præmiſſa eſt libro Methodus, in ſchola ſacrorum rituum in Gregoriano Collegio Romano ſervanda. Libri prima pars in Titulos X. deſcripta eſt. I. De ſacramentorum adminiſtratione in univerſum. II. de Sacramento baptiſmi. III. de Sacramento Poenitentiæ. IV. de Euchariſtia. V. de iis, quæ circa morientes obſervanda ſint. VI. de exequiis. VII. de matrimonio. VIII. qui eſt copioſiſſimus, & valde lepidus, de benedictionibus variis, ut panis, thalami, ovorum, navis. IX. de proceſſionibus. X. de ratione referendi in libros baptizatos, defunctos, coniugatos &c. exponit. Pars ſecunda in tres libros diviſa eſt, & quæ ad Epiſcopos pertinent complectitur. Tertia pars in tres partes diſpeſcitur, & copioſe enarrat, quæ a Pontificibus agenda & obſervanda ſunt. Cæterum de iis, hoc libro quæ continentur, non multa dici poſſunt. Hoc dicimus, non ſolum preces, veſtes, cæremonias, geſtus, alia deſcribi; ſed numeros quoque & modos carminum appoſitos, totum vero librum ſic ſcriptum eſſe, ut, cui illum perlegendi neceſſitas imponatur, ille non parum puniri videatur.

COMMENTARII SOCIETATIS REGIAE SCIENtiarum Goettingenſis TOMUS I. ad Annum MDCCLI.

Goettingæ 1752. apud viduam Abrah. Vandenhoeck, Alph. 2. pl. 3. quaternis.

Debere

Digitized by Google

Debere ſe hoc credidit Regia Scientiarum Societas Goettingenſis, & reipublicæ eruditæ, & munificentiæ Georgii Regis, cuius ſub auſpiciis floret, quem non illa ſolum, ſed totus, qua patet, qua humanitati pretium ſtatuit, orbis, tanquam ad litteras ornandas fovendâsque natum veneratur, ut ſuorum laborum rationem redderet. Iam hic liber apte in duas partes dividi poteſt, quarum prior habet hiſtoriam legesque Societatis, litteras regias, orationem *Halleri*, die natali Georgii dictam, & argumentum breve diſſertationum, in conventu Societatis recitatarum; altera ipſas diſſertationes exhibet. Nos de ſingulis breviter exponemus. Sunt igitur —

I. ALBERTI *von* HALLER *Commentatio, de Hermaphroditis, & an dentur?* Adductus eſt ad hanc quæſtionem, ob inſignem fructum, qui inde in artem medicam, in iurisprudentiam, atque adeo totam vitam redundat, ſæpius iam agitatam, denuo inquirendam, ariete, quem aliquid vulvæ ſimile in perinæo una cum ſcroto habere, atque, quia alii arietes in illum, non ſecus ac ovem, libidinoſe ruebant, hermaphroditum eſſe vulgo dicebant. Eum cum Hallerus cultro anatomico curioſe diſſecuiſſet, famæ & erroris cauſam facile invenit. Apparuit enim in perinæo rima longa, eaque rubra, quaſi cruenta, tenera, mollitudinem pudendi foeminini habens, ab imo pene ad anum ducta, & in ſinum profundiorem verſus extremum inteſtinum terminata. In cuius receſſum inſerta patuit urethra, quæ, non proxime penem, in vicinia ani aperiebatur. Varia deinde afferuntur exempla eorum, quorum de ſexu, ob rimam aliquam patentem in perinæum urethræ, falſo dubitatum eſt. Inſtituit quoque hæduli anatomen, in quo verus penis clitoridis ſpeciem præ ſe tulit, & cuius teſtes, quos veros fuiſſe ex epididymide apparuit, in abdomine, ubi ovaria ſolent, inventi ſunt. Hæc de genere primo eorum, qui, falſo pro hermaphroditis habiti, veri mares ſunt. Alterum genus conſtituunt foeminæ, quarum longior clitoris virilis ſexus ſpeciem habet. Non magis his, quam illis, copioſe & diligenter expoſitis,

varia, quæ ad androgynos pertinent, Hallerus explicat. Diſputat porro de ſumma difficultate, qua duorum ſexuum organa in unum corpus ſtipari poſſint, &, ſumma cogitationum facta, pleroſque homines arbitratur, quos androgynos crediderunt, ad genus hypoſpadiæorum referendos eſſe, quosdam ad foeminas longiori clitoride inſtructas, de aliis nihil certi dici poſſe; raro accidere, ut in quibusdam utrumque probabile ſit, primaria utriusque ſexus organa commiſta fuiſſe. Addit denique A. varia de ſignis, ex quibus androgyni invicem a ſe diſtinguantur, quæ in maribus ſunt facies hirſuta, barba robuſta, ani piloſus ambitus, ſemen, teſtes &c. in foeminis, glabritas, mollities corporis, leves genæ, levisque ani ambitus, cupido veneris, quæ foeminino ſexui convenit, &c. & nihil atrocius de eiusmodi homine ſtatuendum eſſe, (nota eſt enim crudelitas veterum, cuius nobile exemplum eſt apud *Livium* in L. 31.) niſi quæ in morbos ægre tollendos ſtatui poſſint, fas eſſe, ut eum, quem natura tribuit, & medici indicarunt, ſexum, hi infelices tueantur, punire vero illos immaniſſimum eſſe arbitratur.

II. IO. ANDREAE SEGNERI *diſputatio de extendendo campo micrometri.* Huius enim uſus etſi tantus eſt, ut vix reliqua inſtrumenta Aſtronomorum illum præſtent, exiguum tamen coeli ſpatium complectitur, & ea de cauſa paucis obſervationibus inſervire poteſt. Iſtud incommodum, ſi maiorem rerum viſibilium campum comprehenderet, tolleretur. Illud Segnerus, adhibitis duabus lentibus ocularibus, tuboque, qua parte oculum ſpectat, ampliato, fieri poſſe demonſtrat. Hac ratione cum micrometrum ſolito maius fiat, gradusque octo decemve comprehendat, radiorum quidem aberrationes quasdam evitari non poſſe intellexit, ſed eas non tanti momenti eſſe iudicat, ut inſtrumenti uſum tollant.

III. SAM. CHRISTIANI HOLLMANNI, *de exiguo, qui adhuc appareat, obſervationum meteorologicarum uſu,* Commentatio. Intelligit V. Cl. per obſervationes meteorologicas, omnia, quæ ad aëris nos ambientis mutationes quomodocunque ſpectent; illa vero utilia eſſe cenſet, quæ vel ad ſcientiarum

tiarum

Digitized by Google

tiarum incrementa, vel ad vitæ communis bona & commoda promovenda, pertineant. Hinc quærit, quæ ſit utilitas obſervationum, quæ in ſingulas aeris mutationes, ſive ſenſibus, ſive inſtrumentorum ope deprehenſas, nullo interrupto ordine ſic inſtituuntur, ut quaſi annales phænomenorum dici poſſint? Pleraſque quidem fructu carere ait, cum neque certo tempore aut orbe quaſi eodem mutationes redeant, nec poſterorum interſit ſcire, quo die pluvia fuerit, quo ſerena tempeſtas. Eſſe tamen harum obſervationum aliquem uſum, ſeque ipſum inde intellexiſſe, falſo ob inclementiam coeli, & Hercyniorum montium vicinitatem, Goettingæ regiones accuſari; ubi ſæpe clementius coelum riſerit, blandiusque aer ſpiraverit, quam in Germaniæ Galliæque auſtralioribus, aut Italiæ ſuperioris partibus. Evagatur quoque longius V. Cl., varia de baroſcopio, de hyetometris & de Mariotti opinione diſputat, qui multitudinem aquæ pluviæ, ac ſi ſtagnaret in terra, altitudinemque metiendo, fontium fluminumque omnium originem ab iſtis aquis pluviatilibus repetendam eſſe docuit, ſed Hollmanno non ſatisfecit.

IV. IOH. MATTHIAE GESNERI, *de animabus Heracliti & Hippocratis, ex huius L. I. de diaeta,* diſputatio. Multus in hoc eſt Geſnerus, ut demonſtret, Heraclitum iam & Hippocratem, ſola coniectura adductos, credidiſſe, eſſe animas ſpermaticas, Leuwenhoeckianis ſimillimas, ex aere hauſtas, easque in hominis corpore per aliquod temporis ſpatium ſervari, ali, atque cum ſemine ſimul emitti. Deinde, ut librum de Diæta Hippocratis eſſe, certe eius temporis æqualis, vel antiquioris, & Heracliteas ſententias complecti, demonſtret, agit. Denique, quæ Heraclitus & Hippocrates de animabus ac de generatione ſenſerint, in unum quaſi corpus colligit, & tanquam in tabula exhibet. Quare partem libri, cuius Græcum textum cum variis lectionibus addit, latine interpretatus eſt, & doctis notis illuſtravit. Nos nulla alia de cauſa breviores ſumus, quam ut invitemus homines doctos, & neceſſitatem quaſi illis imponamus, ipſum librum evolvendi & perlegendi.

V. IOH.

Digitized by Google

EV. IOH. DAV. MICHAELIS, commentatio *de Cherubis*. Sunt huius libelli, cuius in prooemio variæ variorum de Cherubis ſententiæ enarrantur, tria capita. Primum Cherubos Iſraelitis idem fuiſſe, quod Latinis equi tonantes fuerint, docet: alterum, quo iure hac equorum tonantium forma & angeli & homines conveſtiri poſſint: tertium de figura illorum, exponit. Locus claſſicus de Cherubis eſt Ezechielis, in vaticiniorum principio. Ibi V. Cl. ſibi eandem poeticam fictionem reperire videtur, qua Latini in deſcribendis Iovis imbricitoris & fulminatoris equis tonantibus uſi ſunt; ut *Virg.* Aeneid. L. VI. v. 587. ſeq. & *Horat.* L. I. od. 34. Qua opinione pro vera habita, & aſſumta, plura S. S. loca explicat. Sic per Cherubos & flammam gladii ancipitis ante hortum Edenis, fulminis telum, ac perpetuas intelligit tempeſtates, quas Deus paradiſo iuſſerit incumbere. Quod ne durius videatur, Moſen oſtendit, carminibus veterum hiſtoricis uſum, ſæpe eorum verba ſervaſſe, ut Gen. c. IV, 23. 24. &, ne audacius orientales poetæ ceciniſſe videantur, ῥῆσιν illam Latinis verſibus exprimit:

Fulminis hic telum omnipotens, currumque tonantem
Conſtituit, ſcelus effrenum rutilante coercens
Flamma: mortales ſacrum ne invadere pomum
Auſi immortales fierent, innoxiaque eſſent
Crimine furta novo.

Sic verba Pſalmi 99. *Iehova rex factus eſt, commoventur terrore gentes, ſedet in Cherubo, nutat terra:* per *Iehova tonat* interpretatur. Atque inde etiam intelligi poſſe exiſtimat, cur in adyto templi Moſes Cherubos collocaverit. Neque enim Dei numen melius oculis ſubiici poterat, quam poſito curru tonante, cui Deum inſidere hoc magis Iſraelitis credendum erat, quoniam inde fulmina in profanos ſubinde vibrabantur. Cherubos vero arcæ foederis impoſitos ea de cauſa currus potuiſſe dici arbitratur, quoniam ipſi מרכבה dici poſſunt, ſive illud per vecturam Dei, ſive per currum equis iunctum interpretari velis. Non negat Auctor, Cherubos quoque hominum & angelorum perſonæ ſubiici poſſe.

Sic

Sic verba Pſ. 104. *ponens nubes currum ſuum, & ambulans in alis venti, faciens angelos ſuos ventos, & miniſtros ſuos ignem flammarum:* ita interpretatur, *nubibus tanquam curru, angelisque qui ventos tempeſtatesque cient equis tonantibus utitur.* Sic per quatuor illa Ezechielis animalia, electos atque conſummatos iuſtos ex Iſraelitis intelligit, & fundamentum interpretationis ex Apocalypſi V. 9. repetit. De figura Cheruborum Auctor hæc ſentit: erectam fuiſſe illorum atque humanam ſtaturam, os plerumque quadrupedis, aut alius etiam animalis, nec tamen pronum, quanquam verecunde deiectum, alas ſingulis quaternas. Formam hanc ad ſimilitudinem ſphingum accedere, ſed ab Aegyptiis vix petitam eſſe, ait. His diſputatis, tranſit Auctor ad fabulam de aſino aureo, quem a Iudæis cultum, & cuius caput ab Antiocho Epiphane & Pompeio M. in ſacrario viſum eſſe, notum eſt. Quæ ſit Michaelis V. Cl. tota de re ſententia; breviter dicemus. In adyto aureum primum, & deinde ſubaureum aſini caput, idque ab Antiocho & Pompeio viſum, minime tamen a Iudæis cultum, ſed Cherubicum fuiſſe, ſibi perſuadet. Fuiſſe in adyto non illos ſolum, qui arcæ foederis imminerent, ſed in interioribus quoque tabernaculi tapetibus a Moſe textos, & a Salomone in parietibus templi ſculptos Cherubos. Ab Ezechiele & Ieſaia deſcriptos Cherubos, facies atque vultus a quinque animalium generibus habuiſſe; non eſſe igitur dubitandum, etiam ad aliorum animalium, atque adeo aſini, (quem minime Hebræis vilem viſum fuiſſe multis demonſtratur,) ſimilitudinem Cherubos Hebræos efformaſſe. Valde ingenioſe, acute, & eleganter omnia hæc diſputantur: ſed, neſcimus quomodo nobis idem, quod Ciceroni, acciderit. Legentibus nobis hanc diſſertationem, omnia probantur, paullatim vero, quando a lectione receſſimus, illa aſſenſio elabitur.

VI. *De aberrationibus lentium ſphaericarum*, diſſertatio ABRAH. GOTTH. KAESTNERI. Non ſolum quantitas aberrationis in lente quavis ſphærica definitur, ſed docetur quoque, quomodo eiusmodi lentem invenire poſſimus, in quam incidentes radii minimæ aberrationi obnoxiæ ſint.

VII. *Theorema Arithmeticum demonſtratum*, ab eodem. Hoc a Cel. *Kraſtio* Prof. Tub. propoſitum, ſingularem numerorum triangularium proprietatem continet.

VIII. ALBERTI *von* HALLER *obſervationes botanicae*, *ex horto & agro Goettingenſi.*

IX. *De Mercurii in barometris diverſis, eodem tempore, eodemque in loco, diverſa altitudine, repetitae obſervationes* SAM. CHR. HOLLMANNI.

X. IOH. MATTHIAE GESNERI *γραμματικὰ θεολογέμενα, de Dei laude per ſeptem vocales, & VII. ſpiritibus Apocalypticis.* Eſt in libro *περὶ ἑρμηνείας*, quem Demetrio Phalereo vulgo tribuunt, locus ſubobſcurus hic: *ἐν Αἰγύπτῳ καὶ τοὺς θεοὺς ὑμνοῦσι διὰ τῶν ἑπτὰ φωνηέντων οἱ ἱερεῖς, ἐφεξῆς ἠχοῦντες αὐτά, καὶ ἀντὶ αὐλοῦ καὶ ἀντὶ κιθάρας τῶν γραμμάτων τούτων ὁ ἦχος ἀκούεται ὑπ' εὐφωνίας. ὥστε ὁ ἐξαίρων τὴν σύγκρουσιν οὐδὲν ἄλλο ἢ μέλος ἀτεχνῶς ἐξαίρει τοῦ λόγου καὶ μοῦσαν.* Hunc locum docto commentario Geſnerus illuſtrat, & explicat. Primum docet, huius libelli ætatem non male circa M. Antonini tempora conſtitui; Aegyptum hic eſſe talem intelligendam, qualis ſeculo ſecundo Chriſtianorum fuerit; ex quo Pſammetichus Græcos invitaverit, hoſpitium omnium fuiſſe cuicunque religioni addictorum; Alexandreæ ſcholam habuiſſe Iudæos; in una civitate eccleſiaque Chriſtianam & Iudaicam religionem cum idolorum cultu coaluiſſe; fuiſſe tum ſacerdotes, qui recepta certe inter Iudæos & Chriſtianos Aegyptum habitantes ratione Deum laudare potuerint. Deinde monet, non alias quam Græcas litteras hic intelligendas; Demetrii verba ad nomen divinum ſeptem vocalibus conſtans referendum eſſe; ſacerdotes, qui *ἐφεξῆς* hoc pronuntiaverint, horum ſonorum compoſitione myſticum dei nomen contineri putaſſe; lectionem nominis יהוה, ex utriusque linguæ legibus, ΙΕΗΩΟΥΑ eſſe oportere. Hac ſententia lucem aliquam Iohanneæ Apocalypſi affundere A. conatur. Obſervat primum, comparaſſe olim Hebræos cum anima & ſpiritu vocales, quarum corpus reliquæ litteræ ſint, atque vocales

tales eſſe h. e. vocari ſpiritus; & deinde coniicit, Iohannem cum Deo ἑπτὰ πνέυματα tribuit, nomen heptagrammaton Græcis, idemque Hebræis tetragrammaton, ſimulque divinam maieſtatem & nomen indicare. Salutem igitur Iohannes eccleſiis a VII. ſpiritibus, i. e. a nomine Iehovæ, a Iehova ipſo, annunciare, Geſnero videtur. Eadem ratione alia loca, Apoc. 3, 1. 5, 6. explicat.

XI. ALBERTI *von* HALLER *experimenta de cordis motu a ſtimulo nato;* quibus ſententiam illorum, qui motum cordis ex tactu ſanguinis oriri, dum ex venis in cor influens illud irritet, ut vi, animalibus corporibus propria, contrahatur, illuſtrat & confirmat.

XII. IO. DAVIDIS MICHAELIS diſſertatio, *de Iehova ab Aegyptiis culto, ac pro Cnuphi ſeu Demiurgo, Numine Aegyptiorum, habito.* Fuit cultus Iehovæ antiquiſſimus, ac Babylonico exſilio ſuperior apud Aegyptios. Pharao Necho, cum Eliacimum bello ſuperatæ a ſe Iudeæ regem imponeret, nomen illius Eliacim, i. e. Deus ſtabiliet, mutavit in Ioiacim, i. e. Io, ſeu Iehova, ſtabiliet. Quod nec valde mirum. Edidit Moſes Iehovæ nomine maxima miracula, immo magi ipſi veritatem miraculorum & intellexerunt, & profeſſi ſunt. Hunc vero Moſaicum Deum, cur Demiurgum, ſua lingua Cnuph, dixerunt Aegyptii? Deum ſuum mundum creaſſe Moſes prædicabat, idem Aegyptii de Demiurgo ſuo: Moſes deinde ipſum ovipari Dei ſymbolum, quod eſt apud *Euſebium* præp. Ev. III. 11. in libri ſui exordio expreſſit. Verba enim Moſis, *halitus Dei fovebat ſuperficiem aquae,* i. e. terra aqua tecta halitu quaſi & aura Dei vitali incaluit, atque ovi inſtar vivificata eſt; hæc igitur proxime accedunt ad Aegyptiorum ſententiam, Deum ex ore ovum effudiſſe, ovum autem mundum eſſe. Quam phraſin Moſes, Philoſophia Aegyptia bene inſtructus, ex ea repetiiſſe videtur. Denique Iſraelitæ, Aharone auctore, ſub vitulo nullum alium quam Iehovam ſuum venerabantur; quod deinde a tribubus X. ſub Ieroboamo etiam accidit. Notum enim eſt, Aegyptiorum aliquos, pro Cnuph ſeu Demiurgo bovem adoraſſe.

Digitized by Google

Obiter in hac diſſertatione diſputantur quædam *de magis Aegyptiorum.* Confirmatur *Dav. Millii* coniectura, maxime verbo חרטם, quod idem eſt ac Græcum *ἱερογραμματεύς.* Qui a Moſe Chartummim, vulgo magi dicantur, eſſe *ἱερογραμματεῖς*, i. e. qui hieroglyphicam & arcanam ſcripturam bene callerent. Negatur deinde, magos ulla dæmonum ope, ſi quam profanis iactabant etiam, uſos eſſe, etiam tum, cum Moſi reſtitiſſent. Hoc tantum affirmabant magi, quæcunque faceret Moſes, ad percellendum Pharaonem, arte humana effici poſſe; & quibus nunc utatur, eos naturæ receſſus Moſen in ſcholis magorum didiciſſe. Inde & hoc apparet, quod verbis hiſce, *Dei hoc opus ſive digitus* eſt, indicarint nihil aliud, quam, quæ antea feciſſent, non Dei opus, ſed humanas artes fuiſſe. Quomodo rem illam de baculis efficere potuerint, & Michaelis & Hallerus oſtendunt. Hic, earum Serpentum, quæ vivos catulos pariant, adeo rigida & immobilia corpora eſſe obſervavit, ut cauda prehenſa nequeant ſe ad manum advolvere, ſed pendulis capitibus, rectoque tractu corporis, baculi recti imaginem repræſentent. Ille, vel ſerpentes pro baculis ſubſtitutos eſſe furtim, vel, cum ſerpentes quidam baculorum colorem & formam habeant, narcotio veneno magos uſos eſſe arbitratur, quo ſerpentes verſare, atque ut lignum manu tractare potuerint.

XIII. IOH. AUG. ERNESTI *de Vexillariis* diſſertatio. Sunt tres de vexillariis doctorum hominum opiniones, quarum nulla Erneſtio probatur. Diſſenſus igitur cauſis expoſitis, quid ipſe ſentiat commemorat. Ait vero, vexillarios fuiſſe peculiare genus militum, qui certo numero, & cuique legioni attributi, ſub propriis vexillis militarent; qui milites legionarii eſſent; qui denique tirones in legionibus, iidemque qui olim haſtati.

XIV. Eiusdem, *de Navibus διπρώροις & διπρύμνοις.* Locus de hac re nobilis eſt apud *Athenaeum* L. V, ubi magnificæ Ptolemaicæ navis mentio fit. Invenerunt olim, quod maximopere opportunum erat, ut una eademque navis duo guber-

Digitized by Google

gubernacula haberet, alterum in puppi, in prora alterum. In talis igitur navi prora interdum puppis, & puppis proræ vices habuiſſe, uſumque obtinuiſſe apparet. Unde δίπρωρος & δίπρυμνος cum videbatur, tum dicebatur.

XV. IO. ANDR. SEGNERUS, *de figuris ſuperficierum fluidarum.* Multa hic de fluidorum natura & indole, illa præcipue vi, qua quævis liquoris particula in contiguas, ſive attrahendo, ſive cohærendo, agit, afferuntur, non contemnenda.

XVI. TOB. MAYERI *Latitudo urbis Norimbergae, e novis obſervationibus deducta.*

XVII. Eiusdem *obſervationes quaedam Aſtronomicae,* Norimbergæ a. 1749 & 1750 habitæ.

Ex his primi Obſervationum Tomi Excerptis, quæ ſit celeberrimorum Regiæ Societatis Sodalium, amplificando bonarum litterarum ſtudio, aſſiduitas, quam exquiſitus omnis eruditionis apparatus, etiam nobis non monentibus Lectores noſtri intelligent, optabuntque, una nobiſcum, tam præclaro inſtituto, incrementa atque perpetuitatem. Nos, & de reliquis Tomis Obſervationum, ſuo tempore referemus.

ELOGIUM
IO. FRIDER. CHRISTII
POESEOS PROFESS. PVBL. ORDIN. COLL. MIN. PRINC. COLLEGIATI, NATION. BAVAR. SENIORIS.

Magnam habet antiquitas commendationem ſuavitatis: ſive natura ipſa eo ſenſu imbuit animos noſtros, ſive opinio quædam hanc ei gratiam temere adiunxit. Sed nihil iucundius eſt antiquitate illa erudita, Græca atque Romana, cuius vel veſtigia per literarum græcarum latinarumque priſca monumenta curioſe indagamus, vel reliquias ipſas in operibus artis cum magna admiratione ſpectamus. In quo ſi nihil aliud eſſet, quod probari poſſet, animus certe de-

Digitized by Google

deberet laudari gratus adverſus eos, a quibus omnium bonarum artium præcepta egregia, &, quod multo maius eſt, exempla perfecta, accepimus. Sed vehementer falluntur, qui in antiquitate illa cognoſcenda nihil præter aliquam voluptatem, liberalem illam quidem, ſed inanem tamen, ineſſe arbitrantur. Illi ipſi, qui omnem antiquitatis ſcientiam ad veterum ſcriptorum divinorum humanorumque intelligentiam, & hiſtoriam antiquam referunt, etſi honorificentius & verius iudicant: eſt enim ea res permagna: tamen longe anguſtius utilitatem eius circumſcribunt, quam res & uſus patiuntur. Itaque recte iudicat intelligentiſſimus ille, & elegantiſſimus operum antiquorum ſpectator & interpres, *Caylus*, Comes, non optime feciſſe antiquorum monumentorum interpretes, cum aut nihil aliud, aut maxime id egerint, ut per reliquias antiquitatis græcæ atque latinæ, lucis aliquid ſcriptoribus antiquis hiſtoriæque adferrent: ſapienterque ipſe in operibus antiquis, quæ mirifica artis elegantia expreſſit, hoc maxime & videndum præcipit, & ipſe videt, ut artium elegantium incrementa & perfectio, artificumque ingenia cognoſcantur, eaque intelligentia ad imitationem artificum, h. e. ad uſum perfectionemque artium conferatur. Sed quod *Caylus* interpretibus antiquorum operum agendum cenſet, ipſe autem in interpretatione eorum nuper eleganter, & cum magna peritorum laude, egit, hoc dudum fecerunt artifices ſummi in omni artium genere, quod habet aliquam cum Græcæ Romanæque vetuſtatis monimentis coniunctionem. Nam ſi verum volimus fateri, quicquid recentioris ætatis pictura, ſtatuaria, ſculptura, cælatura, architectura denique, habet admirabile, venuſtum, & exquiſitum, id omne ductum eſt ab antiquorum operum imitatione, ad quam omnem artem retulerunt, quicunque primi in aliquo tali genere excelluerunt, & inſignes eſſe voluerunt. Picturæ apud Græcos quæ perfectio fuerit, quam ipſam propemodum naturam æquarit, ſciunt omnes, qui veterum teſtimoniis credere didicerunt. Nec Italica ingenia, ad eam artem vel intelligendam dura, vel conſequen-

dam

dam tarda & invenuſta fuere, præſertim poſteaquam Græcorum opera Romæ publicata, & in imitationem vocata ſunt. Itaque Italia plena fuit pulcherrimis picturæ operibus, ut quæ etiam in ſepulchra deſcendere, & ea exornare iuſſa eſt: ita machinante fortuna quadam artibus favente, ut in eorum tenebris perfugium haberet ars pulcherrima, unde aliquando, liberata a barbaris Italia, & literarum luce terris reddita, & ipſa revocari in lucem poſſet. Quod ita accidiſſe ſatis conſtat. Etenim cum bonarum literarum amor & ſtudium occupaſſet hominum animos, depulſaque Philoſophiæ ſcholaſticæ barbarie, coepiſſent homines ſapientiam petere e ſcriptoribus græcis atque latinis, requiri coeptæ ſunt reliquiæ veteris Romæ, & omnium antiquarum artium. Ita dum eæ ubique e terra protrahuntur ab antiquitatis ſtudioſis, e ſepulchris etiam in lucem ac pæne vitam revocata eſt pictura: quæ tum etiam non aliter pingebat, quam olim in iſtis ſepulchris pinxerat, hoc eſt, in tectorio camerarum atque parietum, & ſine oleo. Sed multo magis ea res clara eſt in ceteris generibus, e quibus maiores & meliores reliquias antiquitatis elegantis habemus. Contemnimus hodie opera Gothici & Langobardici ingenii, & ridemus, quicquid ab eo eſt profectum: adeo in omnibus barbaries eius, hoc eſt, valde abhorrens a natura, & ſimplicitate, & pulchritudine, ratio apparet: nec quisquam eſt, qui vel imitari ea ullo in genere velit, ac pulchra ducat, vel qui fieri quicquam ad eum modum, ædes, ſigna, vel in ſaxo, vel in aere, vel in gemmis, velit. Omnes aliquid elegantius requirimus, & venuſtius. Sed quibus vel hunc meliorem in omnibus talibus rebus guſtum, quem nemo ingenuus ac politus habere nolit, quibus huius artium elegantiſſimarum emendationis initia debemus, niſi iis, qui antiqua earum opera undecunque conquiſivere, ut vel in locis publicis muſeisque propoſita, vel in libris pictura lineari per æneas laminas expreſſa, ſpectarentur?

Enimvero id quantum, & quam multiplex, & amabile beneficium ſit, quis adeo parum humanus eſt, atque invenuſtus,

nuſtus, quin facile intelligat? Atque non ignoramus, in iis rebus omnibus nullam eſſe partem neceſſariam vitæ humanæ, quæ etiam ſine ædificandi illa elegantia, & ceteris iſtis deliciis agi poteſt, & a multis gentibus per multa ſecula acta eſt. Neque tamen propterea audiendus eſt, ſi quis eas res omnes, ut non neceſſarias, contemnat ac repudiet. Omnes alias vitæ humanæ oblectationes ac delicias in veſtitu, in victu, in reliquo vitæ cultu, in hortis, expellamus licet, ſi ad neceſſitatem vitæ revocare omnia velimus. Sed nemo ita eſt inhumanus, ut hanc neceſſitatem tantopere amplectatur, nemo ita ab omnibus vitæ ſuavitatibus alienus, ut iis nihil in ullo genere artium tribuendum ducat. Carere poteſt iſtis omnibus vita humana: ſed ægre careat, ſed doleat negatis atque ademtis: quod ei hoc ignoſcendum ſit magis, quo liberalior ea oblectatio debet iudicari, quæ non ad corpoream voluptatem ſolam, ut in cibo, potu, aliisque talibus rebus, refertur, ſed ad oculorum ſenſum, & quidem eum, qui ſine ratione, & ſine ingenii quadam elegantia, vel naturæ beneficio inſita, vel artium ſtudio & iudicio aucta, contingere non poteſt. Quodſi qua in talibus rebus vanitas accuſanda ſit, ea profecto magis reprehendi debeat in iis, qui talium rerum poſſidendarum immoderata cupiditate incenſi ſint, quam in his, qui earum adſpectu iudicioque & paſcere oculos pariter atque animum, & acuere ingenium ad ſenſum pulcritudinis omnis, & vitam ipſam elegantiorem reddere velint: qui eſt fructus talium rerum præſtantiſſimus, maximeque liberalis. Etenim non eſt tacendum id, quo videntur ea artis vel antiqua, vel recentia opera, eorumque ſpectandorum & intelligendorum ſtudium, maxime commendari.

Maxima pars humanitatis, & decus prope omne vitæ humanæ, quo diſtamus a beſtiis, ineſt primum in ſenſu quodam ordinis, decoris, & pulchritudinis; deinde in dictis factisque omnibus, & partibus vitæ humanæ externis, ad illius ſenſus legem & normam componendis fingendisque. Hunc ſenſum obruit atque exſtinguit barbaries, inimica re-

bus

bus pulchris omnibus: eo autem exſtincto, totius vitæ in omnibus rebus deformitas, aberrans longiſſime a naturæ humanæ lege ac dignitate, conſequitur. Sed ubi ille ſenſus viget, aliturque ſuis nutrimentis, & acuitur artibus idoneis, ibi vero omnes accipiunt ſuum ornatum ac decus, conſentaneum naturæ humanæ dignitati, exiſtitque elegantia quædam, per omnes vitæ humanæ partes fuſa & explicata. Hinc naſcitur vera eloquentia, non modo popularis illa & libera, ſed etiam altera exquiſitior, & adſtricta numeris certis: hinc morum facilitas, elegantia, venuſtas: hinc in operibus artis omnibus pulchritudo & lepos. Sed hæc omnia genera habent coniunctionem inter ſe talem, ut ſuam ſibi invicem communicent vim, & iisdem ſemper in locis habitent, ſitque iis quaſi commune domicilium. Neque enim ignorat quisquam, quibus temporibus eloquentia, poëſis, & aliæ artes liberales, in Græcia & Italia maxime floruerint, iisdem perfectiſſimam ibidem fuiſſe picturam, ſtatuariam, architecturam, ceterasque tales artes, certe elegantiſſime tum de talibus rebus homines iudicaſſe. Quare, quemadmodum ii, qui libros veteres græcos & latinos, vel in lucem protraxere, vel emendare ingenio, & explicare doctrina inſtituerunt, & cum maxime inſtituunt, adducuntque homines non modo ad eorum intelligentiam, ſed etiam guſtu pulchritudinis eius imbuunt, qua ibi ſunt oblita omnia, hi igitur, ut præclare merentur de genere & vita hominum, propterea, quod ex iis libris omnis vera ſapientia humana, dicendique elegantia & ſuavitas, venit: ſic & ii plurimum proſunt vitæ humanæ, eiusque iucunditatem adiuvant, qui vel reliqua vetuſtatis Græcæ & Romanæ opera e viſceribus terræ eruenda curant, quod multi non modo eruditiſſimi homines, ſed etiam Principes fecere, facitque cum maxime CAROLVS, utriusque Siciliæ Rex, magno & regio ſumtu protrahens Herculani reliquias in lucem, in eoque ſe ad omnem poſteritatem victuro beneficio literas artesque elegantes adficere exiſtimans; vel eorum artem & venuſtatem demonſtrando, acuunt homines, ad pulchritudinis eius,

Digitized by Google

quæ talibus rebus attributa eſt, ſenſum, non modo ad illas ipſas artes iudicandas exercendasque profuturum, ad quas ea proprie pertinent, ſed etiam ad reliquas, in quibus elegantiæ ratio habetur, vitamque univerſam.

Atque non ignoramus, eos, qui in aliis ſua rident vitia, quædam antiquitatis interpretibus obiicere, quibus eorum ſtudia in contemtum adducere conentur, in his quædam eppido frigida: qualia ſunt in iis, quæ, ſub *Sectani* nomine, in eos effudit *Lagomarſinus;* cetera aut communia, aut levia, aut omnino nulla. Nam quod minutias conſectari dicuntur, ea non eſt, niſi maioris diligentiæ reprehenſio, quæ eſt valde lubrica & fallax. Neque enim cuiusvis eſt, iudicare, quid ſit, in illis præſertim generibus artium elegantiorum, & quas ipſe ignorare ſe fateatur, minutum ac contemnendum: nec ullius artis perfectio, ſine multis parvis rebus conſtat: denique nulla pars doctrinæ reperitur, cuius profeſſoribus non minutiæ ſoleant obiici. At vident ſæpe, velut in numis ac gemmis, quæ nemo alius videt, nec omnino inſunt. Primum, non mirum ſit, ſi oculus, in aliquo genere exercitatus, videat, quod alii non cernant, qui ſe non in eodem genere exercuerint: cum etiam aures, exercitatæ audiendis muſicis concentibus, audiant, quæ aliæ non aſſequuntur. Enimvero, an in ceteris artibus ac diſciplinis nemo videt, niſi quod eſt ante oculos, poſitumque in re ac natura? Immo vero quam multi vident in ſacris libris, quorum nullum ibi veſtigium impreſſum eſt divinitus? in legibus, quorum nihil in mentem legislatori venerat? Phyſici ii, qui arcana naturæ perſpicere, per microſcopiorum auxilia, tentarunt, quam ſæpe irriſi ſunt, quod viderent ea, quæ per eadem microſcopia nemo alius poſſet aſſequi? Metaphyſici autem, quod in verbis inanibus viderent notiones rerum? Quid? quod gravius eſt, quotus quisque non in ſe atque in animo ſuo videt res maximas, ſapientiam, doctrinam, virtutem, etiam cum ab eo longiſſime abſunt? quam multa in liberis parentes, in amaſiis amantes, bona vident, quorum alii nihil admodum agnoſcunt?

ſcunt? quam multa porro vitia atque peccata in aliis vident male acuti homines, a quibus eos facile liberent æqui aliorum oculi? Non igitur tolerabilis erit in Antiquariis error innoxius oculi, cum alii plerique haud paullo graviori animi errore peccent? Immo condonabitur ceteris magnis bonis, quæ eorum diligentiæ debentur: eruntque ipſi in tanto maiori honore, quanto pauciores ſunt, qui in eo genere vel elaborare ſuſcipiant, vel efficere probabile aliquid poſſint.

Neque enim facile eſt, aut cuivis datum, in antiquitatis iſtis reliquiis cum laude verſari: adeo multa requiruntur vel ingenii, doctrinæ, artiumque præſidia; vel ſtudii, laboris, exercitationisque adiumenta! Opus eſt primum ingenii ac prope oculorum ipſorum quadam elegantia, quæ ſentire & agnoſcere talium operum pulchritudinem, & manuum artificia poſſit, ſine qua nihil in toto iſto genere quævis cura effecerit. Doctrinæ porro antiquæ copia inſignis requiritur, quæ gemmarum, numorum, arcuum, columnarum, figuris antiquis refertarum, aliorumque talium operum erudita argumenta aſſequatur, & apte interpretari doceat. Oportet etiam artes ipſas, quæ talia opera effecerunt, non prorſus ignorare, tenere ſaltem linearis picturæ artificium, in quo inſunt fundamenta & principia omnium illarum artium, & ſine quo nullum certum eſt de ullo tali opere iudicium. Quanta denique diligentia eſſe debet vel in iisdem operibus ſæpe tractandis, inſpiciendisque, vel in comparandis ſimilibus; ne coniecturis uti neceſſe ſit, ne ſuſpicionibus acquieſcere cogare, aut videre videare, quod non inſit: quod eſt unum certum genus antiquitatis talis bene cognoſcendæ; ſicut accurati Phyſici, in operibus eventisque naturalibus inſpiciendis obſervandisque, faciunt. In quibus rebus quanta difficultas, quam paucis ſuperanda oſtendatur, quis non ſua ſponte intelligit?

Sed talem nos, proh! habuiſſe IO. FRID. CHRISTIVM, harum rerum vel mediocriter intelligens nemo negaverit. Primum, quanta doctrinæ veteris, cum univerſæ, tum maxime

Digitized by Google

xime eius, quæ ad hanc rationem pertineret, copia fuerit Viro, & ſcripta eius loquuntur, & cognoverunt, quicunque eum vel diſputantem de talibus rebus diſcendi cauſſa audivere, vel cum eo ſermones ſuper talibus argumentis familiariter contulerunt. Omnia cognorat latinorum ſcriptorum monimenta, in primis ea, in quibus eſſet veluti domicilium antiquariæ illius ſcientiæ, ut *Plinii* maioris libros poſtremos, & poetarum carmina, quæ etiam proprio quodam rei poeticæ ſtudio adamarat, & accurate magnoque cum iudicio tractabat, in his etiam, quæ alii præterire ſolent, hiſtoriæ denique auctores univerſos. Sed in omnibus omnia antiquitatis veſtigia, etiam leviter impreſſa, & ab aliis vix animadverſa, curioſe indagarat, & vel ſcriptoribus ipſis e numis gemmisque ſuis aliquid lucis affundere, vel his ex illis accendere tentarat. His adiunxerat reliquias antiquitatis, quas docti ubique terrarum viri per lineares in æneis lamnis figuras expreſſas edidiſſent, quorum operum librorumque magnam & lautam copiam haud parva pecunia compararat, non ut haberet, & per eam ſe imperitis iactaret, ſed ut perſpiceret, excuteret, & inde cum ſuam in hoc genere ſcientiam augeret, tum intelligentibus prodeſſet. Quid? quod etiam quibusdam ſupellectilis antiquariæ generibus non parvam pecuniam impenderat, ut numis gemmisque antiquis, quarum non parvum ille numerum reliquit, in his quasdam exquiſiti artificii, & non vulgaris raritatis. Viderat denique in peregrinatione, quam per Germaniam & Italiæ partem fecerat, permulta eius generis, non obiter, ut peregrinantium plerique ſolent, ſed quemadmodum periti & artifices ſuæ artis opera ſolent ſpectare. Et erat tanto melior & ſpectator operum ipſorum, & exemplorum inde ductorum in libris iudex, quod non modo a natura ſenſum quendam talis elegantiæ habebat, ſed eum etiam omni ratione acuerat. Nam linearem illam in charta pingendi rationem tenebat, & radium in æneis lamnis ducere didicerat: non ille quidem, ut artificum venuſtatem & ſubtilitatem aſſequeretur, at, ut artem ſe callere oſtenderet. Acceſſerat exercitatio operum artis inſpiciendorum com-

comparandorumque aſſidua & ſcita: ut qui etiam pictorum omnium recentiorum tabulas, de quibus & ipſis eleganter iudicabat, ita accurate, ita ſæpe inſpexerat, ita propriis quibusdam notis diſcernere didicerat, ut, cuius artificis quælibet eſſet, facile diceret: in quo genere ille tantum diligentiæ poſuerat, ut etiam ſigna omnium pictorum, quibus opera ſua notare conſueviſſent, collegerit, & perite interpretatus ſit proprio libro, (*de Monogrammatis Pictorum,*) qui nuper e germanico francicus factus eſt Pariſiis. Itaque, quicunque apud nos in tali aliqua re hærerent, aut intelligere aliquid cuperent, CHRISTIVM conſulebant, a quo ſe putarent optime, quæ vellent, cognoſcere poſſe. Quibus ille ita plerumque e veſtigio reſpondebat, ut, ſibi ab eo ſatisfactum egregie, faterentur. Neque vel alium, quam ipſum, interpretem adhibebant, qui antiquitatis partem aliquam, ut gemmarum argumenta, explicari vellent, ut in Richteriano Muſeo publicando factum eſt; vel alius iudex facile adhibebatur, cum in Actorum iſtorum noſtris Commentariis, de libris antiquariis iudicandum eſſet. Quo maius in eo ſe ornamentum habere Academia noſtra putabat: quo amiſſo, merito, ut in graviſſima iactura, non modo communi literarum nomine, ſed etiam ſua cauſſa proprie dolet: præſertim cum etiam alia, vel a literis, vel a virtute & ſapientia, permagna in eo bona fuerint, quibus ægre ſibi carendum poſthæc videt.

Eum debuimus *Coburgo* Francorum: quo in oppido natus erat anno huius ipſius ſeculi primo, e gente antiquæ in Franconia claritatis: patre *Io. Sebaſtiano,* in Aula Ducum Saxoniæ e Coburgenſi Domo Erneſtina Conſiliario, & Gymnaſii Curatore, avo paterno *Georgio Iulio,* Marchionis Baruthini in Fiſci procuratione Conſiliario, materno *Io. Adamo Drechſelio,* in eadem Aula Conſiliario. Pater, cum & filium amaret, præſertim in quo præclari ingenii ſigna comparerent, & literas, quas ipſe calleret egregie: primum domeſticos præceptores aluit, quos optimos nanciſci poſſet, deinde ab his bene præparatum publicis Gymnaſii magiſtris erudiendum tradidit. Horum doctrina, & vero etiam Pa-

 rentis

rentis domeſtica diſciplina, conformatus, miſſus eſt in Academiam Ienenſem: unde perceptis, trium annorum ſpatio, philoſophiæ, matheſeos, iurisque partibus omnibus, itemque hiſtoria Imperii Germanici, redux in patriam, rector datus eſt nobiliſſimis Iuvenibus, primum *Volzogiis* tribus, uni, quocum profectus in eandem Academiam, & ſcientiam earum diſciplinarum & amorem ſibi auxit, duobus eiusdem fratribus, *Halas* in Saxonibus ituris, denique *Rud. Bunavio*, Comiti, magni illius *Henrici* fratri, in Lipſienſi Academia, quæ ei, per viciniam, dum *Halis* commoratur, cognita, plurimum omnium placebat. Inter hæc ei in Aula Meinungenſi, Volzogiana ſuffragatione, datus fuerat locus inter ſcribas Principis, etiam ſpe maiorum honorum propoſita. Sed ille literas, latinas inprimis, & elegantiores artes, ita adamarat, ut Academicam in literis vitam aulicæ præferret, nihilque magis optaret, quam ut docere, quas didiciſſet, literas, in Academia, in primis Lipſienſi, poſſet. Cuius voti compotem fecit Bunavia Domus, impetrata ei Profeſſione hiſtorica extraordinaria: ad quam ſibi, Magiſtri Philoſophiæ honoribus capiendis, & diſputationibus legitimis, inprimisque doctrinæ & virtutis opinione, viam munierat. Neque tamen ea res ipſum impedivit, quo minus comes iret *Bunavio*, primum per Germaniam inferiorem, Belgas, Batavosque, in Britanniam, poſt per Bohemiam, Moraviam, Auſtriam, in Venetos: unde per Suevos, Bavaros, Francos & Bohemos, rediit Lipſiam. Nam Italiam reliquam, quod maxime cupierat, & Francogalliam viſere, bellicæ turbæ non ſiverant.

Reverſus Lipſiam, totum ſe dat erudiendæ iuventuti bonarum literarum ſtudioſæ, auctus mox Profeſſione Poëtica ordinaria, quam ad finem usque vitæ ornavit, & ſcholis hiſtoricis, poeticis, literariis, antiquariis, aſſidue habendis, & ſcribendo multa, quibus literis communibus prodeſſet, & dignitatem bonarum artium omni ope aſſerendo. Pleraque ſcripſit per occaſiones Academicas, Proluſiones, Diſputationes, Carmina, quosdam etiam alios libros, ut *Noctes, de Monogram-*

Digitized by Google

nogrammatis Pictorum, Fabulas Aeſopicas, exquiſitæ eruditionis plenos: nec ulla eſt pars elegantis doctrinæ, cui non aliquid lucis adfuderit ſcriptis ſuis: quorum prope omnium titulos & argumenta uno loco ipſe prodenda curavit *). Et reliquit quædam affecta, quæ dolendum eſt perfici ab ipſo & publicari non potuiſſe. Genus orationis erat, in diſſerendo purum, perſpicuum, copioſum & profluens; in ſcribendo exquiſitius ab delectu verborum, & ſtructura curioſiori, & latine doctioribus magis, quam qui leviter tincti latinis literis eſſent, aptum ac probatum. Docendi rationem non modo ad ſcientiam referebat, ſed etiam ad virtutem & bonam mentem, digredi ſæpe ſolitus ad præcepta ſapientiæ & virtutis, commendationemque elegantis in vita humanitatis: cuius tanto melior & præceptor & commendator erat, quanto ipſe in omni vita erat elegantior & urbanior, domeſtica Patris diſciplina olim in prima ætate imbutus humanitatis & elegantiæ ſenſu, & ad eam plane conformatus conſuetudine cum viris magnis, cuius ei copiam & nobilium iuvenum rectura, & peregrinationes fecerant. Vitæ genus ſequebatur, quale literis maxime convenit, tranquillum, ſine ignavia ac ſolitudine, neque aſſidua & promiſcua cum aliis conſuetudine occupatum & diſtractum, neque nimia literarum aviditate ſolitarium & obſcurum: nunquam ſe minus ſolum exiſtimans, quam cum inter libros ſuos ageret, nunquam magis, quam cum inter homines, quibuſcum nihil loqui liceret de communibus literis, aut quod in diem poſterum iuvare ingenium animumque poſſet. Bonarum literarum tantus amor erat, tantum ſtudium, ut in earum laude ac dignitate tuenda modum excedere mallet, ſi tamen in tali re modus excedi poteſt, quam non ſatis acer defenſor videri.

Sed illa ipſa vita, domi maxime & in literis acta, ſicci corporis

*) In Vitis Eruditorum noſtræ ætatis P. IV. Index ſcriptorum ibi editus deſinit in Proluſione & Panegyrico a. 1749. editis. Acceſſere his Proluſiones atque Exercitationes: *Magiſteria Veterum in poculis: de poetica recte intelligenda: de poetarum imaginibus: de Carminibus Saturniis:* Panegyrici: *Studiorum conſtantia: Scriptionis labor: Scriptionis bona & ratio: Corrigenda rerum inanium ſtudia: Urbis Lipſiae bona.*

poris virum, nec nimis a nervis robuſti, quamquam ſatis proſpera valetudine a pueris uſum, tamen paullatim debilitaverat. Cuius imbecillitatis vis primum erumpere ante paucos annos coepit ſputi copioſiori fluxu, per intervalla recurrente, qui interdum etiam vomendi conatum ciebat. Hunc etſi repreſſerat aliquoties, & primarum viarum debilitatem roborare tentarat, *Ludovicus* noſter, cuius excellente ſcientia, & fideli conſilio utebatur *Chriſtius:* tamen tanta mali vis fuit, ut plane tolli nulla arte poſſet. Nam ſecuta hieme ita aucta eſt imbecillitas, ut de ſalute viri dubitare medicus inciperet, poſt breve autem a vernalis temporis benignitate levamentum, etiam deſperaret, cum adpropinquante autumno ita vires frangerentur, corpusque totum contabeſceret lentæ febris acceſſione, ut ad extremum ſuccumberet malo, & leniter exſpiraret.

In tanta imbecillitate corporis, tamen ad extremum animus conſervavit cogitandi vigorem: qui & amicis, & ipſi, ſpem quandam recuperandæ valetudinis relinquebat. Itaque ei licebat, ſermonibus cum familiaribus, qui viſendi cauſa veniſſent, habendis, libris inſpiciendis legendisque, ſed maxime rerum divinarum cogitatione, mali ſenſum ſubinde vel minuere, vel obruere: videbaturque ipſa cogitandi contentione recreari potius, quam defatigari. Quo magis etiam corroboratus eſt animus, accepto de *Chriſtophori Wollii*, Viri S. Rev. manibus corporis & ſanguinis Chriſti viatico, auditisque ſermonibus, ad contemnendam huius tam fragilis vitæ miſeriam, & melioris ſpem atque cupiditatem confirmandam alendamque, accommodatis. Neque vero aut impatientia ſe opprimi ſinebat in tam longo malo, aut querelis moleſtus cuiquam erat, ſed diſſimulabat potius magnam mali partem, & in melius verbis vertebat, quæ timor etiam augere ſolet. Una re gravius eſt commotus, cum bello repentino oppreſſam patriam audiſſet. Sed ille dolor admodum ei brevis fuit, tertio die poſt, II. Sept. 1756. ex huius vitæ miſeria & turbis, ad coeleſtia gaudia & æternam tranquillitatem translato. Nos vero, quicunque bonas literas amamus, memoriam Viri de iis præclare meriti conſervabimus, eamque iuſtis laudibus ad poſteritatem propagare, ſed maxime inſigne eius ſtudium in iis tuendis, imitari conabimur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCLIX.

Pars .II.

DICTIONAIRE HISTORIQUE, OU MEMOIRES Critiques & Litteraires, &c. par PROSPER MARCHAND. TOME SECOND. K-W.

i. e.

LEXICON HISTORICUM, SIVE COMMENTARII Critici & Litterarii de vita & operibus hominum illuſtrium, quorum pars maior doctrina laudem meruit. Scripſit PROSPER MERCATOR. TOMUS ALTER.

Hagæ Comitum 1759. apud Petr. Hondium, Alphab. quatuor, forma folii.

De Parte priori Operis, iucunda utilitate ſpectabilis, ita diximus, (in Act. Erud. A. 1758. pag. 673. ſqq.) ut nihil fere, quod ad efformandam illius in animis Lectorum imaginem quandam pertineat, prætermiſiſſe videamur. Iam igitur, accepta Parte poſteriori, non curabimus communes illius cum priore dotes, ſed paullo ampliorem potius eorum, quæ *Mercator* noſter de viris claris, certe memorandis, hac Parte tradidit, repetitionem ſuſcipiemus. Sequemur autem eundem, quem ille tenuit, litterarum ordinem, neminem tacituri eorum, quos ille memoria dignos iudicavit.

Kiranides. Liber, artis magicæ futilia præcepta nonnulla complexus, quem alii Mercurio Triſmegiſto, alii Zoroaſtri, plurimi denique *Kirano* aut *Kiranidi,* (aiunt Regem Perſarum fuiſſe,) tribuunt. Vero autem proxima eſt ſuſpicio Reineſii, qui illum exiſtimat fragmenta habere earum opinionum, quas olim Aegyptii, Perſæ, atque Arabes amplexi fuerint. Nec *Κόιρανις* Auctoris nomen eſt, ſed libri, in quatuor *Κοιρανίδες* diſtincti. Ex Græco, an Arabico? ſermone latine vertit Gerardus Cremonenſis. Superſunt in Bibliothecis duo libelli, hoc propemodum argumento & indice, qui ſæpius inter ſe miſcentur. Alter Græcus eſt MSCtus, inſcribiturque, *Cyrani & Harpocrationis περὶ Φυσικῶν δυνάμεων*: alter latine editus exſtat. *Kirani Kiranides,* & *Liber Phyſico-Medicus Kiranidum Kirani*, quem Lipſiæ A. 1638. edidit Andreas Rivinus, cuius etiam Codicis Autographon ſervat Bibliotheca Academiæ Lipſienſis *).

Iohannes Lannelius, (de Lannel.) Huius nomine prodiit Lutetiæ A. 1622. Hiſtoria Iohannis Secundi, Regis Caſtiliæ, vero Auctore libri Cardinale Richelio, qui eo impetebat Connetabulum de Luynes. Hoc eodem loco eidem Richelio vindicatur *Teſtamentum politicum,* quod negarunt nonnulli ab eo ſcriptum fuiſſe.

Leonardus Utinenſis, Dominicanus Seculi XV. ſermonibus ſacris habendis claruit. Oſtendit Auctor, erraſſe ſine dubio Ioh. Gotfr. Olearium, in Abaco Patrologico, qui omnium librorum typis deſcriptorum primum reputet editionem Sermonum Leonardi de Sanctis anni 1446, quam teneat Bibliotheca templi Mariani Halenſis. Erraſſe autem, ita, ut tempus ſcripti operis, cum tempore editi, commutaverit. Adparere enim in prima horum Sermonum editione anni 1473, annum illum 1446. huius rei documentum.

Iohan-

*) Scribentibus iſta ad manus eſt *Defenſio Variarum Lectionum Tho. Reineſii,* (qui & ipſe Auctor libri eſt,) *contra iniquam cenſuram Poetae L.* Roſtoch. 1653. 4. liber rarior, qui non ſolum totus eſt in lacerando miſere Rivino, ſed inprimis hanc eius Kuranidon editionem a pag. 150 - 168. exagitat.

Iohannes Licaragus, (de Licarrague.) Hic Novi Foederis libros in linguam Vaſconum ſeu Cantabricam tranſtulit, inductus iuſſu, & ſubſidiis a Iohanna Albretana, Regina Navarræ, miniſtratis. Eius verſionis perquam raræ index hic eſt: *Ieſus Chriſt Iaunaren Teſtamentu Berria,* &c. *Rochellan Pierre Hautin imprimicale,* 1571. 8. Obiter de Henrici IV. R. Galliæ, ad ſacra Pontificia tranſitu, diſputat Mercator: obſervat item, in Antonii Bibliotheca Hiſpana Nova non eſſe, quod multi putant, omiſſam Mich. Serveti mentionem; legi enim de eo nonnulla Tom. I. p. 69. ſub alius nomine, *Andreas Servetus de Aninon.*

Vaſcus Lobeira. Primus Auctor fabuloſæ Hiſtoriæ de *Amadis de Gaula,* ex qua, velut ex equo Troiano, innumeræ fabulæ Romanenſes progreſſæ ſunt.

Iulianus Macho, Auguſtinianæ familiæ monachus exeunte Seculo XVI. Lugduni Gallorum. Complures libros latinos Francogallice vertit.

Mandevillus, qui & *Mondevillus, Mundevillus,* imo *Amondevillus* ſcribitur. Medicus & Chirurgus Philippi Pulchri, Gall. Reg. ipſis Gallorum plerisque ignotus.

Colardus ſeu *Nicolaus Manſion,* typographus Brugenſis, ſub exitum Sec. XIV. Metamorphoſes Ovidii Gallice vertit.

Theodorus Martinus, (Martens & Mertens). Vir doctus, Eraſmi amicus, qui primus artem typographicam in Belgio exercuit, Aloſti quidem, Lovanii, & Antwerpiæ. Non eſt nobis ſilendum monumentum viri ſepulchrale, quod Aloſti ſpectatur, ubi octogenario maior A. 1534. deceſſit. In eo quippe diſertis verbis perhibetur, Martinum artem typorum, beneficio ſcribendi, ex *Germania* & *Gallia* in *Belgium* intuliſſe.

David Martinus. Clarus Reformati coetus Miniſter Sacrorum, primum in Galliis, deinde in Belgio. Quas ad viros doctos dedit epiſtolas, merito eas ſingulari Volumine comprehenſas edi optat Noſter. Kettnerus autem, quem Superintendentem *Fridlinburgenſem,* mox *Queidlimburgenſem* ad-

 pel-

pellat, *Quedlinburgi* Eccleſiam rexit, quam urbem Abbatia ſatis nobilem facit.

Maſutius, (Maſuccio). Ineunte Seculo XV. fabellas L. *(Cinquanta Novelle)* contexuit, quibus minus dextre imitatus eſt Bocatium, & impietatis ſimul notam contraxit. Longior digreſſio Auctoris, de fabuloſis Hiſtoriis, quas Galli, adſcitis nominibus veris, finxerunt.

Ludovicus Maius, (Louis du May), Scriptor Sec. XVII. Celebratur inprimis illius *Scientia principis,* ſeu in Naudæum, de callidis Principum adminiſtrandi regni rationibus, (ſur les coups d' état,) commentarius, in quo tamen pluſculos errores notat *Mercator.* Accuſat etiam in tranſcurſu inſignem plagiarium, qui, editis A. 1739. Lugd. Bat. *Reflexions hiſtoriques & politiques ſur les moyens, dont les plus grands Princes & habiles Miniſtres ſe ſont ſervis pour gouverner & augmenter leurs Etats,* Naudæi librum, paullulum mutatum, pro ſuo venditavit.

Silveſter Mazolinus, vulgo *Prierias.* Satis ille quidem vel publicatis adverſus Lutherum ſcriptis notus, quem tamen non primus, ut multorum fert ſententia, ſed inter primos, ſtylo petiit. Ceterum iure Noſter ridet eos, qui Silveſtro tribuunt *Modum ſolennem & authenticum ad inquirendum & inveniendum & convincendum Lutheranos,* cet. editum A. 1519. 4. quum ſit potius liber facetus, qui Inquiſitorum ſtultitiam

— *naſo ſuſpendit adunco.*

Numi, (Medailles). Dicit primum de duobus Operibus ſane victuris, Antonii Auguſtini altero, altero Ez. Spanhemii. Tum Bibliothecas numarias præcipuas indicat. Adiicit exempla numorum plura, quæ doceant, non eſſe his monumentis plus iuſto tribuendum, quippe quæ verum ſæpius corrumpant. In his eſt numus Iulii Cæſaris, quo nomen ſuum & dignitatem tecte deſignavit. Illuſtrius exemplum præbet ſplendida collectio, *Hiſtoria Ludovici XIV. in numis.* Sed curioſius tractatur, atque adeo aere expreſſus proponitur (p. 51.) numus infamis, male adſcriptus Beuningio, Batavorum Conſuli, cuſus ille potius & conditus Norimbergæ aut

Digitized by Google

aut Auguſtæ Vindelicorum, hac epigraphe: Stetit ſol in medio coeli. Succedit numus, cuius item ſpecies exhibetur p. 54. quo minus honeſta, ſed ridicula traditur imago foederis, cum Anglorum tyranno Cromwellio, a Gallis & Hiſpanis pari ardore expetiti. Alia poſtea numorum exempla proferuntur, quorum errores, Hiſtoriæ ope, emendandi ſint. Denique eos impugnat Auctor, qui præferre Numis Inſcriptiones ſtudeant, additis Inſcriptionibus nonnullis, quæ manifeſto falſa perhibeant, ut illa in Arcu Triumphali Titi verba: *Urbem Hieroſolymam, omnibus ante ſe ducibus, regibus, gentibusque, aut fruſtra petitam, aut omnino intentatam.* Obſervat etiam, nec numos, nec inſcriptiones, quamvis utrumque genus coniungas, ad perfectam hiſtoriam ſufficere.

Petrus Merlinus. Hic, cum celeberrimo Navarcho Catiloni (Chatillon) a ſacris eſſet, ea ratione effugit funeſtæ diei Bartholomeanæ cædes, quam poſſis miraculoſam dicere. Quod calumniati ſunt nonnulli, hunc Merlinum, præfectum deinde eccleſiæ Reformatæ in Britannia minore, & inſignis apud ſuos auctoritatis virum, verum eſſe Henrici IV. ſeu Magni patrem, id nullo negotio refellitur.

Iohannes Myſenus, (Meyſſens). Idem picturæ artem, & lardi vendendi mercaturam ignobilem, exercuit Antverpiæ. Ibi edidit A. 1649. librum infrequentiorem: *Images de divers Hommes d' Eſprit ſublime,* &c. fol.

Ioh. Monelarius, (Montlyard). Dubium eſt, an Reformati cuiusdam coetus antiſtitem egerit; illud certum, fuiſſe ab epiſtolis Condæo Principi, ſub initia ſeculi ſuperioris. Multa Gallice convertit, ut Natalis Comitis Mythologiam, Apuleii Aſinum Aureum, alia. Legas hic enumerationem verſionum omnium libri Apuleiani Gallicarum; & de Iac. Clemente, qui ſicarias manus Henrico III. admovit; de diebus item fatalibus, ſingularia.

Ioh. Morellus, Frater Guil. Morelli, quem norunt omnes typographum Regis in Græcis excellentem fuiſſe. Iohannes autem, veriora ſacra ſequutus, inhumanas ob ea ipſa vexationes, mortem denique pertulit, egregium conſtantiæ

exemplum præbens, cum vix annos viginti natus eſſet. De aliis Morellis eiusdem ætatis A. multa. —

Muſetus, (Mouſſet). Seculi XVI. Scriptor, qui primus poeſin Francogallicam ad leges Græcæ Romanæque ſeveras adſtringere conatus eſt, adſcita in illam menſura pedum, hexametris item & pentametris. Verterat ad hunc modum utrumque opus Homericum; ſed hic labor interiit, ſi a primo Iliadis verſu diſcedas:

Chante Déeſſe le coeur furieux & l' Ire d' Achilles,
Pernicieuſe qui fut, &c.

Eum imitatus eſt Bonaventura Pererius *(des Periers).* Mox Iodellus, Deniſotus, & Paſchalis *(Paſquier)*, ſimiles verſus compoſuere. Quibus acceſſit Claud. Butetus, qui rhytmum huic generi addidit. Clarior eodem ſtudio Anton. Bavius *(de Baïf)* fuit, adeo ut a multis auctor inventi crederetur. Apponamus lepidum ingenii Baviani fructum:

Iȣr natal marké de Baif ki leſſa
Ses ꞓemins fraïés, é premier déȣȣrit
Un nȣveo ſantier, à la France monſtra
L' antike ꞓanſon.

Idem Academiam, ſeu Societatem Poeſeos & Muſices inſtituit, concedente ſolennibus litteris Carolo IX Rege. Omittimus reliquos, qui parem operam ſuſceperunt, in quibus eſt & illuſtris Albinæus *(d' Aubigné)*, a quo obſervatum legimus, verſus eiuſmodi ad veterum numeros efſictos, mirifice cantui inſervire. Eorum exempla ex lingua Luſitana, Germanica, Suecica, aliis, depromta, cum adiecerit Mercator, mirum eſt, eum prorſus neglexiſſe ingentes labores & rixas, quas inter ab annis inde decem Germanicam Poeſin Hexametri invaſerunt.

Matthias de Moya, Ieſuita Hiſpanus celebris, non tam hoc proprio ſibi nomine, quam adſumto *Amadaei Guimenii*, quod præfixit *Opuſculo, ſingularia univerſae fere Theol. Moralis complectenti, adverſus quorundam expoſtulationes, contra nonnullas Ieſuitarum opiniones morales.* Huius libri hiſtoriam primum texit Auctor; deinde in univerſum de morali Ieſuitarum

Digitized by Google

tarum doctrina, & de lubrica Caſuiſtarum opera, quædam obſervata tradit. Exemplo ſunt recentiſſima Luſitanica *Malagridae.* —

Thomas Murnerus. Pugnax ille Franciſcani Ordinis ſodalis, Seculo ineunte XVI. In non paucis illius ſcriptis, quæ hodie a blattis tineisque roduntur, eſt & *Chartiludium Logices*, quod auctorem ſuum in magiæ ſuſpicionem adduxit, peperitque alios libellos non minus nugatorios, ex quibus, ſi placet, pictarum chartarum ope, plures eruditionis partes ludendo poſſis perdiſcere. Eorum hic cenſum inſtituit *Mercator*. Nos quidem ſimilis artificii exemplum ante paucos annos ſpectavimus, quod vir bonus quidam Hebraicæ linguæ ſtudioſorum cauſſa ex ſtruxerat.

Iohannes Niger, (le Noir). Sacerdos in Normandia, mortuus A. 1692. in vinculis, quæ ille pertinaciori adverſus primarios eccleſiaſticæ dignitatis viros animo incurrerat.

de *Nulliis.* Les *Nully.* Familia clara, turbulentorum hominum ferax. Eorum præcipui producuntur.

Seraphinus Olivarius, Illuſtris Eccleſiæ Rom. Purpuratus. Multi eum, & in his Thuanus, ſed iniuria, filium naturalem dicunt Cancellarii Olivarii fuiſſe. Excelluit doctrina & virtutibus. Multum inprimis laboravit, ut pro Henrico IV. Galliarum Rege, abſolutionem Pontificis impetraret.

Ortlof, ſeu *Ortloff,* Bavarus, Medicinæ Doctor, ſeculo ut videtur XV. ignotus Bibliographis omnibus, ſi ab uno Seguierio diſcedas. Adfert *Mercator* alium, non diſſimili nomine, *Ioh. Frid. Ortlobium:* ſed magis etiam ei memorandus fuerat *Ioh. Chriſtoph. Ortlobius,* qui ludo urbis noſtræ litterario ad d. Nicolai regendo præfectus, doctrinæ & diligentiæ laudem non tenuem, mortuus annis abhinc paucis, reliquit.

Gad de Ouciu, Dominicanus Scriptor Seculi XIV. Eum Quetiſus & Echardus (in Scriptt. Ord. Prædic.) miro errore Polonum gente faciunt, quod legerant eum ſcripſiſſe *à Pouloignie,* corrupte videlicet pro *à Poligny,* quod eſt oppidum Comitatus Burgundiæ. Vertit Gallice Boëthii libros de conſolatione philoſophiæ. Hoc loco verſiones Gallicas omnes ope-

Digitized by Google

operis Boëthiani recenſet Auctor, incipiendo ab antiquiſſima, quam Seculo XIII. perfecit *Iean de Meun,* cognomine *Clopinel,* h. e. claudus.

Iacobus Palladinus, vulgo *Iacobus de Teramo,* quod eſt nomen patriæ, cum illud prius familiam viri deſignet; utroque tamen nomine, velut diverſorum hominum, deſcriptus a Toppio in Biblioth. Neapol. Iuriſconſultus celebris Sec. XIV. fuit. De eius *Proceſſu Luciferi contra Ieſum, coram iudice Salomone,* qui liber ſtultitiam illius ætatis ſatis manifeſto prodit, curioſius diſputatur; inſtituta etiam iniquiore comparatione cum eo libro poematis Miltoniani, aliorumque, qui res ſacras fictionibus exornarunt. Per occaſionem Ioh. Huſſi vaticinia examinantur, reiiciunturque, de cuius & numis legas quædam p. 124. 125.

Ferrantes Pallavicinus, Ingenio & ſcriptis nobilis, ſed idem maledicus. Qua ſtyli intemperantia quum inprimis adverſus Barberinos, gentem illuſtrem, & Urbano VIII. Pontifice præpotentem, graſſaretur, ab his interceptus Avenione ſupplicio adfectus eſt, A. 1644. menſe Martio. Fruſtra ſunt, qui negant, ſcriptum eſſe ab eo *Divortium Coeleſte,* Satyram in Eccleſiam Romanam, quæ legatur non indignam.

Pantalion ſeu *Panthaleon,* Medicus Seculi XV. Italus, an Gallus? Raræ ſunt eius *Vitae Sanctorum,* A. 1475. *in Caſellarum oppido* impreſſa, hoc eſt Caſellis in Hibernia, ut putat Mercator.

Paulus Middelburgenſis. Scriptis Aſtronomicis & Chronologicis famam adeptus eſt, primusque adeo fundamenta iecit corrigendorum a Gregorio XIII. Pontifice faſtorum.

A. S. ſive *Andreas Peregrinus.* Nomen fictum, quo inſignita prodiit *Hiſpaniae Bibliotheca,* Francof. 1608. tribus Voll. quaternis. Huius auctor, communi eruditorum ſententia, creditur *Andreas Schottus,* Ieſuita celebris. Negat Noſter, motus gravitate errorum, quibus hoc opus laboret, præcipue ea pars, quæ de Mariana tradit. Itaque ſibi perſuaſit, verum Bibliothecæ huius Auctorem eſſe Vale-

Digitized by Google

Valerium Andream, qui triennium integrum in diſciplina & domo Schotti egerit, & uti illius Collectaneis potuerit. Addidit Auctor narrationem criticam Operis Marianæ clariſſimi, de rebus Hiſpaniæ, perſequendo Editiones illius, Verſiones, & Apologias pleraſque omnes.

Iacobus Petitus, ſive *Parvus*, Monachus Auguſtinianus Sec. XV. gente Gallus, addictus Principibus Burgundiæ. Dubitatur, an eius Hiſtoria Caroli VI. R. Gall. typorum opera vulgata fuerit.

Picatrix, Arabs, qui medio Seculo XIII. vixit, & magicarum ſuperſtitionum collectionem compilavit, numquam typis deſcriptam.

Caſpar Pilleterius, ſive *Pelleterius*, Medicus ſub exordium Sec. XVII. in patria, Middelburgi Selandiæ. Scripſit: Plantarum, tam patriarum, quam exoticarum, in Walachria, Zeelandiæ inſula, naſcentium, Synonymia, Middelb. 1610. 4.

Chriſtiana, ſeu *Chriſtina Pizan*, Femina docta in Galliis, Seculo XV. Patre nata Aſtrologo Caroli V. Regis. Multa ſcripſit, & verſibus & proſa, quæ ineunte anno ſolebat familiæ regiæ & proceribus offerre. De his tamen omnibus opuſculis nonniſi duo typis expreſſa leguntur. Nupſerat Stephano Caſtello cuidam, reliquitque filium Ioh. Caſtellum, Hiſtoricum diligentem.

Iohannes Meraeus Poltrotus, Gallus, nobili genere natus, & Reformati coetus ſectator, qui fanatico oeſtro percitus, Guiſium Ducem, præcipuum religionis ſuæ hoſtem, trucidavit. Notat Auctor eos, qui impium hominis factum non veriti ſunt heroicum dicere, ſcriptisque celebrare: ſupereſt in eundem laudatorium Adr. Turnebi carmen, quod tamen vix videtur a viro tam humano profectum eſſe.

Guilielmus Rancinus, (Ranchin), in Academia Montiſpeſſulana Anteceſſor, ineunte Sec. XVII. vir egregie doctus. Præſtantiſſimum eius opus cenſetur quod ſic inſcripſit: Reviſion du Concile de Trente, conténant les Nullitez d'iceluy, &c. 1600. 8. Dignum, quod iteratis curis publicetur.

V *Erh.*

Erh. Ratdolt, Auguſta Vindelicorum oriundus, clarus Venetiis typographus, cui multum ars ſua debet. Docuit enim primus, figuras mathematicas, ligno inſculptas, eadem facilitate, qua litterarum elementa, chartæ imprimere. Alia item ornamenta typis adiungere, ut videtur, inſtituit, quæ dicunt les Lettres griſes, les Fleurons, les Vignettes. Forte & inſcribendorum librorum rationes, ſeu Titulos, primus hoc ordine digeſſit, quo adhuc uſurpantur. Rediit tandem Auguſtam, ubi libris porro edendis ad A. 1505. operam dedit. (Meminimus, nos in Annotationibus ad Catalogum Bibliothecæ Smithianæ, qui prodiit Venetiis A. 1755. 4. pag. 217. legere, Ratdoltum noſtrum *deridiculae ruſticitatis* adcuſari hoc nomine, quod in epiſtola dedicatoria, qua librum quendam ſummo Venetorum Duci inſcripſerat, ſuum nomen primo loco poſuerit. Sed ſi hoc eſt ruſticum agere, quot, quæſo, antiquitatis eruditæ ſcriptores, omnem urbanitatis laudem amittent?)

Guilielm. Rebolus, (de Reboul), ſcriptor malignus & dicax, a Reformatis in Gallia communione excluſus, ſtylum in eos vehementiſſime exacuit, facta ad Pontificiorum ſacra tranſitione. Romam deinde migravit, uſus Patrocinio Baronii Cardinalis. Sed cum Pontificem ipſum, qui hominem paupertate attritum ſublevare nollet, ſcripto laceſſeret, eius iuſſu capite truncatus eſt A. 1611.

Gui de Roye, mortuus Præſul Rhemenſis, A. 1409. Scripſit librum nugacem & ridiculum: Le Doctrinal de Sapience.

Iohannes de Sancto Iuſto, (de St. Iuſte). Huius diarium itineris Philippi IV. Regis Francorum, in tabulis fagineis ceratis ſcriptum, ſingulari libello A. 1746. Florentiæ edito, deſcripſit Ant. Cocchius.

L'Abbé de Saint-Réal. Scriptor ingenioſus, qui vivere deſiit A. 1692. Multorum ille operum poeta, de quibus longam narrationem compoſuit Noſter, a pag. 164-181. Sed ſatis habemus, Lectores eo ablegaſſe. Commendatur inprimis eius methodus diſcendæ hiſtoriæ, & Deſcriptio coniurationis Hiſpanæ contra Rempublicam Venetam. *Sa-*

Digitized by Google

Salignac. Septem hac familia prognatos laudat Mercator, quorum primus Sec. XIII. ſecundus XIV. ceteri XVI. vixerint, indignatus Gabrieli de Lurbe, qui nullum eorum, in libello de illuſtribus Aquitaniæ viris, produxerit. Octavus additur, qui reliquos omnes celebritate & meritis vincit, Franc. de Sal. de la Mothe Fenelon.

Rodericus Sancius, Rodrigue Sancio, ſeu *Sanchez,* Epiſcopus Hiſpanus Sec. XV. quem complures ab Epiſcopatibus quos geſſit varie cognominatum, male a ſe ipſo diſtinxerunt. Noſtri illum in Teſtibus veritatis collocant: num recte? dubitat Mercator.

Henricus Schorus, ſeu *Schorius,* Scriptor Belga Seculi XVI. de quo perpauca memoriæ ſunt prodita. Obiter Auctor dolet Lexicorum Geographicorum vitia, adiungens ſeriem omnium huius generis librorum, in quibus extremum eſt voluminoſum opus: Le grand Dictionaire Geographique & Critique par M. Bruzen la Martiniére, quod acriter reprehendit.

Iohannes Serranus, (de Serres). De hoc ampliorem tradit Mercator relationem a pag. 197-213. Merito certe eius. Nam & eximia verſione Operum Platonis, & Commentariis de Statu Religionis & Reipublicæ in Regno Galliæ, quas *ἀνωνύμως* edidit, & Inventario Hiſtoriæ Gallicæ, lingua patria ſcripto, inſignem laudem adeptus eſt. Sed cum poſtremo libro nomen gentilitium *(de Serres)* adponeret, factum eſt, ut multi eum crederent eſſe diverſum a *Serrano* illo, quo nomine dialecti Francogallicæ aſperitatem emolliverat. Exceſſerat patria, ut libere religioni Reformatæ ſatisfacere poſſet, Lauſannam. Tandem in Galliam rediit, rexitque eccleſiam primum Nemauſi, dein Arauſii, ubi A. 1598. obiit. Aiunt non pauci, eum Henrico IV, ad ſacra Pontificia tranſituro, ſuaſorem exſtitiſſe, imo magis aulæ quam coetui ſuo faviſſe, & ſupremo vitæ tempore omnino ab hoc deſciviſſe. Verum hæc ſingula ſuſpicioſa magis, quam vera eſſe, exiſtimat Mercator.

Wilhelmus Iacobus ſ' Graveſande, a pag. 214-241. De hoc

hoc illuſtri Philoſopho non Mercator ipſe, ſed Editor operis, Cl. *Alamanus*, commentatus eſt. Interceſſerat enim ei cum Graveſando coniunctiſſima familiaritas, ut adeo vera atque certa omnia de eo referre in litteras potuerit. Nos potiora delibabimus. Natus erat Delphis A. 1688. familia patricia. Cum nondum annum ætatis XIX. attigiſſet, operamque daret ſtudiis academicis, primum opus ſuum, Eſſay de Perſpective, compoſuit. Mox Lugduni Batavorum Doctoris Iuris dignitatem, una cum fratribus duobus, obtinuit. Cum his Hagam Comitum converſus, præcipuas partes egit in conſcribendo Diario Erudito, *le Iournal litteraire*, quod in optimis ponitur. Inſeruit eidem Diſſertationes varias, quarum maxime memoranda eſt, Periculum novæ theoriæ colliſionis corporum; qua pro Menſura Virium Leibnitiana pugnat. A. 1715. in Angliam miſſus eſt, ut legatis Batavorum ab epiſtolis eſſet. Id muneris annum unum geſſit. Sed A. 1717. a Curatoribus Academiæ Lugdunenſis Profeſſor Ordinarius Matheſeos & Aſtronomiæ conſtitutus eſt. Tum primus ibi Phyſicam per experimenta docere coepit. A. 1721. invitatus a Landgravio Haſſiæ, ut ſe conveniret, iudicaretque de machinis nonnullis, quas conſtrui faciebat Princeps hic Mechanices non ſolum amans, ſed etiam gnarus, venit Caſſelas. Ibi oblata oculis ipſius eſt celebris machina Orffyrei, qua is *perpetuum mobile*, quod vocant, effeciſſe ſe exiſtimabat, multisque perſuaſerat. Contemplatur Graveſandus, & examinat, præſente Landgravio; neque invenit quidquam, quod ſuſpicionem fraudis in artifice argueret. Qua de re ad ſummum Newtonum litteras dedit, deſcriptas & hoc loco pag. 223. Omnino Graveſandus eam opinionem fovebat, *perpetuum mobile* non eſſe ex ἀδυνάτοις. Imo tentabat etiam illius poſſibilitatem, ſi quidem ita loqui liceat, docere. Edidit enim brevem commentationem, Remarques touchant le Mouvement perpetuel, quæ cum rarior hodie appareat, recte in hos commentarios translata ab Alamano eſt, p. 225-228. A. 1734. Profeſſoris Philoſophiæ munus accepit, hoc eſt, facultatem, omnes Philoſophiæ

phiæ

phiæ partes publice profitendi. Auditorum cauſſa A. 1720. & 1721. primum edidit Phyſices Elementa Mathematica, experimentis confirmata; cuius libri hiſtoria omnis hic panditur, adiungiturque doctiſſimi viri, Iohannis Bernullii, de eo iudicium. Poſtea dicitur de Graveſandii Introductione ad Philoſophiam, quæ ei non merenti graves accuſationes peperit. Statuerat idem telam Philoſophici Syſtematis, adiungenda morum doctrina perficere, ſed non præſtitit. Aliorum quoque operibus edendis ſæpius præfuit, ut Hugenii, Keillii, Newtoni, aliorumque ſcriptis. Deceſſit A. 1742, poſtquam triennio ante utrumque filium amiſerat; deceſſit autem animo, Chriſtiano homine digno, quidquid calumniati ſint nonnulli. Ceterum utilem operam non eruditis ſolum, ſed patriæ etiam reipublicæ, navavit, adiuvando publica commoda variis ingenii viribus. Quam patriam adeo dilexit, ut nec vocanti Petropolin Petro I. nec Boruſſorum Regi Berolinum invitanti, ut adſcriberetur Socius Academiæ in illa urbe regiæ, paruerit.

Simon Genuenſis: alii *Ianuenſem* dicunt. Medicus Nicolai IV. Pontificis Seculo XIII. ſed idem & Canonicus Rothomagenſis. Laudant eum impenſe populares, velut Arabice Latineque egregie doctum; alii rectius verſiones ab eo perfectas contemnunt. Fuerunt, qui ex uno homine duos facerent, *Sim. Genuenſem, & Sim. a Cordo,* ut Wolfg. Juſtus in Chronologia Medicorum apud Lindenium renovatum; imo tres, ut Oldoinus in Athenæo Liguſt. p. 499. & 500. atque adeo quatuor, quem inſignem errorem erravit Mangetus in Biblioth. Script. Medic. T. I. p. 115. II. p. 455. III. p. 21. IV. p. 266.

Simon Tornacenſis, (de Tournai). Male eum ab Anglis patria Cornubienſem, & cognomine Thervaium dici, iam Oudinus in Commentariis ſuis docuit. Floruit ineunte Sec. XIII. ſed, quod addunt, Oxonii, id valde dubium eſt. Certius illo eſt, fuiſſe Canonicum Tornaci, & Doctorem Theologum Pariſiis. Hic annos decem ſtudia humanitatis, philoſophiam inprimis, ſummo audientium concurſu, docuit;

poſtea non minore gloria Theologiam. Cum eſſet ſtudioſiſſimus Ariſtotelis, accuſatus eſt hæreſeos, videturque eius in diſputando ſubtilitas inimicos ipſi conciliaſſe. Hos veroſimile eſt finxiſſe voces blasphemas, quæ ei tribuuntur, poenas item, quas dederit, miraculoſas. Quem Balæus, Scriptor. Britann. Centur. XII. p. 96. commemorat, *Simonem Thornaye*, is a Tornacenſi noſtro fortaſſis non differt.

Soveranus, (Souverain). Iſtius ſcripta, quam vita, notiora ſunt. Deiectus munere præfecti ſacrorum apud Reformatos, in provincia Pictavienſi, ob ſtudium Arminianiſmi, paucis ante ſublatum Edictum Nannetenſe annis, ad Batavos profugit, ubi Synodi Dordracenæ præcepta recipere recuſavit. Tum in Angliam tranſiit, cum aliis quinque ſacrorum miniſtris ὁμοψήφοις. Ibi in gravem Socinianiſmi ſuſpicionem incurrit, mortuusque eſt ſupremorum ſeculi ſuperioris anno quodam. Magnorum motuum auctor exſtitit liber eius, *le Platoniſme dévoilé,* quo aperte Socinianis acceſſit. Scripſit etiam in Evangelium Iohannis diſſertationem, quæ nondum lucem vidit. Ex quinque illis Theologis, qui cum ipſo & Colomeſio Londini familiariter vixerunt, *Carolum le Cene,* clarum verſione Script. S. Francogallica, producit Mercator, eiusque vitam & ſcripta enarrat.

Iacob. Paulus Spiſamius. Supplementum hic editur eorum, quæ Bælius de hoc homine celebri prodiderat, petitum illud e *Valteri (Gautier)* Adnotationibus ad *Sponii* Hiſtoriam Genevenſem.

Henrica Colinaea, Comes Suſae, (Henriette de Coligni, Comteſſe de la Suze). Femina illuſtris, & forma & ingenio. Dicitur de impio eius conſilio, Orationem Dominicam ioculari ſtylo exprimendi; item de laudibus in eam cumulatis; & per occaſionem de Menagio, in plagiariis cenſendo.

Guilielm. Tardivus (Tardif), Profeſſor Rhetorices Pariſienſis exeunte Sec. XV. Cum in ſcriptis eius ſit Anti-Balbica, ſeu Recriminatio Tardiviana in Balbum; de hoc *Hier. Balbo,* qui ſimile munus in eadem Academia gerebat, pluribus exponitur, ſed & de alio *Hier. Balbo,* Epiſc. Gurçenſi Sec. XVI. & de Fauſto Andrelino.

Ta-

Digitized by Google

Taxae Sacrae Cancellariae & Poenitentiariae Romanae & Apoſtolicae. In eo eſt in primis Auctor, ut Editiones libri huius, qui profecto ſplendorem Eccleſiæ Romanæ nihil auget, recenſeat, quoad eius fieri poteſt, omnes. Indicat autem XLIII, numerando & illas, cum liber maioribus Operibus inſertus fuit. Prima editio eſt anni 1471. procurata a Sixto IV. P. M. Poſtrema hoc titulo publicata eſt: Taxe de la Chancellerie Romaine, ou la Banque du Pape, à Rome, à la Tiare, chez Pierre la Clef, 1744. 8. Ampliſſima eſt, & apud Gallos excuſa. Tradit porro nonnulla Mercator de Auctore Taxarum Apoſt. Iohanne XXII. P. M. & inſtitutum ipſum non immerito caſtigat, adducta etiam longa ſerie *librorum poenitentialium.*

Hermannus Torrentinus, Grammaticus eximius Sec. XVI. Memorandus, præ ceteris eius ſcriptis, eſt Commentarius in Doctrinale, ſeu Grammaticam Alexandri de Villa Dei. *Elucidarius* vero *Carminum & Hiſtoriarum* quem ſcripſit, edititque A. 1510, primam oſtendit originem Operum immenſorum, quæ Lexica hiſtorica adpellant, quibus obruta pæne ætas noſtra eſt. Enumerat illa diligenter Noſter, & quo loco quodque habendum ſit, indicat. Prodeunt hic Stephani, Hoffmanni, Morerii Opera.

Ioh. Veldenerus, ſeu *Veldenarus.* Ex primis Belgii Typographis fuit. Indicantur libri, quos formis ſuis deſcripſit. Ad eos pertinet Chronica, quæ Faſciculus temporum dicitur, cuius multi Veldenerum Auctorem faciunt; cum tamen compoſita ſit a *Wernero Roleſinck de Laer,* Cartuſienſi Monacho.

Angelus Vergetius. Male Bælio *Vergerius.* Candia prognatus, a Franciſco I. Galliarum Rege ad pingendas Græcarum litterarum formas, quæ poſtea in typographia regia cuderentur, adhibitus eſt. Vertit etiam ex Græco librum de fluviorum & montium appellationibus, ſive cognominibus. Filius quoque eius, *Nicolaus*, litterarum ſtudioſus fuit.

Raemondus Viſſenius, (Raymond de Vieuſſens). Medicus illuſtris fuit, cui multum præcipue Anatomia debet. Mortuus

tuus eſt A. 1715. in Academia Montiſpeſſulana, quam ſolus fere exornavit.

Franciſc. Villon, helluo, impoſtor, & ſcriptor ludicrus Sec. XV. En epitaphium, quod ſibi ipſe ponebat, cum eſſet ſuſpendio necandus:

Ie ſuis François, dont ce me poiſe,
Né de Paris emprès Pontoiſe,
Or d'une corde d'une toiſe
Scaura mon col que mon cul poiſe.

Philip. Vitriacus (de Vitry), Epiſc. Meldenſis, medio Sec. XIV. Legas hic exempla carminum illius Gallicorum, cum interpretatione latina *Nicol. de Clamengis*, non *Clemangis*, ut vulgo dicitur.

Matthaeus Voſſius, *Gerardi Iohannis* filius, ſcripſit Annales Hollandiæ Zeelandiæque, quos frater *Iſaacus* ad maturitatem perduxit.

Ioh. Segerus Weidenfeld, auctor libri de ſecretis adeptorum, Londini A. 1684. 4. & mox Hamburgi A. 1685. 12. editi, pſeudonymus videtur eſſe noſtro.

Wigandus Wirt, ſeu *Caupo*, Dominicanus ſub exitum Sec. XV. & initia XVI. Noſcas ingenium hominis violentum ex ſcriptis contra Iohannem de Weſalia, Trithemium, Brandtium, & Capnionem; fraudulentum vero ex infami tragoedia Bernenſi, acta A. 1507, cuius ille princeps auctor habendus eſt.

Subiungitur Appendix duplex; altera, quæ Commentarios Balletianos de libris in *Anti* ſuppleat; altera Epiſtolas Reginæ Navarrenſis, *Iohannae Albretanae*, nonnullas complexa, quæ Licarragi & Spifamii hiſtoriam illuſtrant. Claudunt librum indices, ſic ſatis utiles. Multa legiſſe, & ſagaciter indagaſſe Mercatorem, abunde hi Commentarii teſtantur, diligenter lectitandi ab illis, qui hiſtoriam, litterarum inprimis, colunt. In quibus ſi paullo plus a conſectandis rebus minutis abſtinuiſſet, ſtylique acerbitatem coercuiſſet ſeverius, multo maiorem apud omnes gratiam initurus erat. Sed nos grati proſequentes Cl. Alamani edentis hoc amici opus ſtu-

ſtudium, memores promiſſi eius in præfatione Tomi I, de publicando iterum utiliſſimo libro Mercatoris, *Hiſtoire de l' Imprimérie*, ut illud impleat propediem, optamus.

DE RECONDITA FEBRIUM INTERMITTENtium, tum remittentium, natura, & de earum curatione, variis experimentis & obſervationibus illuſtrata, LIBRI DUO.

Amſtelodami 1759. ſumptibus Fratrum de Tournes, plag. 18. in 8.

Reconditam febrium intermittentium remittentiumque naturam perſcrutare, earumque medelam rationi & experientiæ congruam tradere, quo magis arduum opus eſt, hoc eſt optandum magis, ut medici, & uſu & doctrina præſtantes, pro viribus quique ſuis, difficili huic artis parti, eidemque non minimæ, lucem clariorem accendant. Laude igitur ſua minime fraudandus eſt ſcripti huius Auctor Anonymus, quod ea, quæ ipſum librorum lectio & uſus docuit, cum iunioribus medicis communicare voluit. Diviſit autem ſcriptum ſuum in libros duos, quos deinceps in plura capita digeſſit. Et L. I. quidem *Cap. I.* varias febrium intermittentium ſpecies enumerans, quintanam facile admittit, de ſextana vero & ſeptana nonanaque dubitationes movet: nec quotidianam ad intermittentes referendam eſſe putat. *Cap. II.* medicorum quorundam placita, de variis febrium intermittentium cauſis, enarrat, ac minus quidem probat. Quare *Cap. III.* alia, quæ ipſi propius a vero abeſſe videntur, ponit, ſcilicet, bilem acriorem, aut materiam quandam putridam, in corporis receſſu quodam latitantem. *Cap. IV.* cauſas remotas & occaſionales recenſet, tempeſtatum locorumque indolem nocentem, decubitum in locis humidis, exercitium nimium laboremque, animi pathemata, vigilias protractas, excalefacientium medicamentorum abuſum. *Cap. V.* & *VI.* frigus febrile, eiusque antecedentia & conſequentia, conſiderantur. Frigus quidem illud tribuit

Digitized by Google

nervis, cauſa occulta quadam in motum actis, ſententiamque ſuam illuſtrat frigore, quod calculus biliaris in ductum choledochum actus, aut catheter veſicam urinariam attingens, excitat. Frigus ipſum oppido varium eſt, modo breve, modo longum; alias vehemens, alias mediocre, utplurimum univerſum corpus concutiens, interdum unam vel alteram corporis partem conſtringens. Rarius locum frigoris explet dolor, parti cuidam infenſus. Effecta frigoris ſunt vaſculorum contractio, pallor, fluidorum ſtagnatio circa cor & pulmones, ſecretiones perturbatæ, tranſpirationis defectus. *Cap. VII.* de calore & ſudore febrili agitur. Et calor quidem partim frigori antegreſſo, partim aliis cauſis, quas tamen non adfert, tribuendus Auctori videtur. *Cap. VIII. IX. & X.* ſermo habetur de apyrexia eiusque cauſa, quæ medicorum ingenia mire exercuit. Auctor noſter, poſtquam variorum opiniones retulit, ex aliis morbis periodicis, v. c. hemicrania, tumoribus ſanguinem periodice fundere ſolitis, podagra, & epilepſia, infert, dari in febribus intermittentibus materiam quandam in corpore genitam, vel aliunde advectam, quæ in univerſas partes diffundatur; b) eam tamen præcipue hepati eſſe infeſtam, in hoc eam colligi, in illudque vires ſuas exerere; c) poſtquam ad certum gradum devenerit, ac certa vis ei addita ſit, ipſam veluti ſtimulo admoto viſceris illius textum nervosque vellicare, ſanguinis curſum retardare, acrimoniam pravasque dotes illi conciliare; eamque, d) facto veluti impetu in nervos agere, totumque corpus commovere, ac tandem ex loco primum affecto, & ex omnibus aliis partibus febre inſequenti excuti & difflari; e) denique remanere fomitem, qui ſenſim iterum auctus easdem turbas concitet. *Cap. XI.* num actio cauſæ febrilis varia ſit, diſquiritur: nulla vero notabilis reperitur diverſitas, quæ conſtans ſit, niſi earum febrium decurſum ſolutionemque & curationem reſpicias, qua fit, ut quartanæ longiores ſint, & ad annum, imo diutius aliquando, excurrant. *Cap. XII.* adducuntur febres quædam intermittentium naturam mentientes, v. c. catarrhales, item pleuriti-

riti-

Digitized by Google

ritidem aliquando inſequentes, feminis, quæ foetum excluſerunt, infenſæ, aliæque; ad quas & quotidianas refert. *Cap. XIII.* dicitur de affectibus, quos mentiuntur febres intermittentes a natura ſua degeneres, ut ſunt dolores acerrimi ſtatis temporibus revertentes, v. c. in orbitis oculorum, in oculis ipſis, in externa capitis ſuperficie, motus convulſivi, & tremor, frigoris calorisque ſenſus ſingularum partium periodice recurrentes. *Cap. XIV.* de febre intermittente maligna exponitur. Hanc vocat, quando materies febrilis convertitur ad partes ipſas nobiliores, veluti ad cerebrum, ubi lethargi, apoplexiæ, & paralyſeos cauſa fit; porro ad pulmones, aliasque partes reſpirationi inſervientes converſa, catarrhos ſuffocativos, aſthmata, aliaque reſpirationis vitia infert. Stomacho & inteſtinis dolores atroces excitat, nec non ſingultum, imo acres deiectiones. Aliquando obſervantur ſudores copioſi, ſudori Anglico non diſſimiles, dolores artuum, crurum maxime, anæſteſia, horrendum frigus, quod calor nullus ſubſequitur. *Cap. XV.* Auctor, febres intermittentes non ſolum alios morbos, v. c. pleuritidem comitari, ſed in continuos etiam abire ſolere, monet; & *Cap. XVI.* obſervationibus dicta comprobat. *Cap.* vero *XVII.* ſingularis conſtitutio epidemica, ex ſtagno latiſſimo, materia putrida referto, deſcribitur. Febres intermittentes comitabantur pectoris oppreſſio, delirium, apoplexiæ & lethargi ſpecies, aliaque gravia ſymptomata. *Cap. XVIII.* traduntur ſigna, quibus febris intermittens, ſub alia ſpecie morbi latens, detegitur, quæ quidem ſunt lucida intervalla inſignia inter duas quasque exacerbationes, periodicus recurſus exacerbationum, urina lateritia. *Cap. XIX.* quænam ex febrium intermittentium ſymptomatis metuenda ſint, enarratur. A frigore fit ſpiſſior ſanguis, obſtructiones viſcerum, hepatis maxime, palpitationes cordis, aliquando mors ipſa. Calor non ita valde terret, ut potius accenſo calore res ægri in tuto eſſe ſoleant. Tamen, ſi æſtus ægrum nimis extorret, ſi ſudores nimis profuſi ſunt, tum & ſanguis corrumpitur, & ſolidæ partes depravantur; unde multa

Digitized by Google

mala. *Cap. XX.* revertitur Auctor ad varios illos affectus, qui febribus intermittentibus iunguntur; ubi antea iam dicta minus commode repetuntur. *Cap. XXI.* febrium illarum curatarum reliquiæ exponuntur, quæ ſunt: ſudores nocturni, hepatis vitia, durities pancreatis, lien inflatus, tumores ædemotoſi, hydrops ipſe. Poſteaquam *Cap. XXII.* de vario relapſu in febres intermittentes A. dixit, *Cap. XXIII.* vitia, quæ in cadaveribus poſt febres intermittentes reperiuntur, enarrat. Reperiri, ait, cordis cava pulmonesque ſanguine atro turgida; ventriculum inflatum; hepar albidum ac veluti exſangue & maceratum, idem interdum valde turgidum, & glandulis flavis obſitum; pancreas ſcirrhoſum; lien in magnam molem diſtentum, aliquando a ſanguine copioſo, eoque atro, ruptum; meſenterii ſcirrhos & abſceſſus; inteſtina aliis locis tumida, aliis conſtricta. Sequitur Lib. II. qui febrium curationem complectitur. Et *Cap. I.* quidem de difficultate febribus intermittentibus medendi tractatur. *Cap. II.* diluuntur quæſtiones aliquot, ſcilicet: an omnes febres intermittentes iisdem curari debeant remediis? quod negatur; deinde, an febres illæ, ſibi relictæ, per ſe ipſas deſinant, vel criſin quandam moliantur? hoc in plerisque locum habere putat Auctor, ſi debito regimine excipiatur morbus; tandem, an curatio ſtatim ab initio inſtituenda ſit? diſquiritur, & ſic decernitur, ut curatio ea fere ſemper locum habere dicatur, niſi alius morbus febre intermittente expugnandus ſit. *Cap. III.* de ſanguinis miſſione agitur, eaque laudatur, ſi ſanguis turget, ſi intenſior ſit febrilis motus, ſi calore urente, aut acutiſſimo capitis dolore, vexentur ægri; reiicitur vero, ſi contraria omnia adſint. *Cap. IV.* emeſis commendatur, tanquam magnarum virium remedium. *Cap. V.* parum accurate de alvum ſubducentibus dicitur. Et *Cap. VI.* demum tranſitus fit ad aperientia, ubi multum tribuitur ſuccis herbarum, & iuſculis purgantibus ex Lapatho ſylveſtri, cichoreo, ſcolopendrio, addito Sale Glauberi, arcano duplicato, aut cryſtallo minerali. *Cap. VII.* docetur, remedia generoſiora, ut ſunt emetica & purgantia, ita

danda

Digitized by Google

danda eſſe, ut eorum operatio ante novam exacerbationem finita ſit. *Cap. VIII. & IX.* methodus, ſebres intermittentes per ſudoriſera tractandi, probatur, ſi calor per ea non nimis accendatur, ſi ſudoriferis miſceantur aperientia, ſi in hepatis aliorumque viſcerum læſionibus, atque in ſumma cachexia non exhibeantur, denique ſi ſanguis non turgeat, nec ventriculus ſcateat pravis ſuccis. *Cap. X. & XI.* ſpecifica antiſebrilia varia, ſatis cognita, enumerantur. *Cap. XII.* laudes corticis Peruviani celebrantur, moneturque, in cortice medio, eoque duriori & ponderoſiori, ſummam ineſſe vim, cavendumque omnino, ne hic ipſe cortex medius in tenuiſſimum alcohol reducatur, quia tritu nimio diacriſis vegetabilium, & ſumma virium iactura, fiat. Poſtea de variis formis, ſub quibus cortex exhiberi ſoleat, deque variis medicamentis ipſi admiſcendis, ſermo habetur. *Cap. XIII.* de corticis non innoxiis effectibus præmiſſo, A. deinceps *Cap. XIV. & XV.* methodum exhibendi corticem invenire ſtudet, docetque, per ſex vel octo dies poſt febris diſceſſum certam dandam eſſe corticis doſin, deinde eam ſenſim per idem circiter temporis ſpatium minuendam eſſe; porro citius ſeriusve remedii huius uſum omittendum eſſe, prout partium functiones melius aut deterius ſe habeant; tandem nunquam ſecurum eſſe debere Medicum, ſi quid deſit in bilis ſecretione, in alvi laxitate, in urinarum colore aut copia. *Cap. XVI.* ſeorſim de quartana quæritur, num peculiarem ſibi vendicet medendi methodum? negaturque, ſi recens ſit; affirmatur, ſi vetuſtate pertinacior reddita, & tunc quidem, poſt alia quædam, thermæ & acidulæ valde extolluntur. *Cap. XVII.* comprehendit impedimenta illa, quæ in certarum partium affectibus, aut in variis temperamentis occurrunt. *Cap. XVIII.* exponit impedimenta ex ipſa febre, ex vitiis, quæ in varias partes inferre ſolet, & ex perverſa medendi methodo ortum trahentia. *Cap. XIX.* curatio traditur febrium, quæ cum deſierunt, iterum exſurgunt. *Cap. XX.* febrium intermittentium, quæ mali augurii ſunt, curatio docetur: ea huc redit, ut ſymptomatum ferociæ, metho-

 dica

dica curatione, tempore paroxyſmi obviam eatur, tempore vero apyrexios cortex Peruvianus exhibeatur. *Cap. ultimum* doctrinam de febribus remittentibus, nimis breviter expoſitam, continet.

CL. CLAUDIANI, QUAE EXTANT, VARIEtate Lectionis, & perpetua adnotatione illuſtrata, a IO. MATTHIA GESNERO. Accedit index uberrimus

Lipſiæ 1759. in officina Fritſchia, Alph. 2. plag. 13. 8. mai.

Quod Ciceroni olim inter civilia arma maxime probatum fuit, ut, cum videret, inter arma nullum eſſe locum eloquentiæ, neque in foro, neque in curia, omnem ſuam curam & operam ad Philoſophiam conferret non ſolum, ſed aliis quoque, ut ad eas ſe referrent artes, & literas, quibus a primis ætatis temporibus ſtudium ſuum quisque dediſſet, optimum eſſe perſuaſit: id Cl. etiam Geſnero viſum eſt, qui inter arma, quibus Germania in ſua ſævit viſcera, ad Muſas totum ſe contulit, nobisque Claudianum ſuum dedit exoptatiſſimum, cuius virtutes & ornamenta, quibus ornatus prodit, in tabula quaſi exhibere animus eſt, ut videant exteri, in Germania quoque, inter ipſa arma, bonarum litterarum ſtudia vigere.

Iam ad Claudianum, cui chartarum typorumque nitor, eaque, quæ circa emendanda typothetarum vitia adhibita eſt cura, ſingulare inter reliquos, qui in Germania prodeunt, libros, addit ornamentum: nimia enim inter noſtros plerumque ſolet eſſe typographorum & librariorum feſtinatio, quo fit, ut iis, quibus corrigere has mendas datum eſt, non ſufficiat tempus: in hoc autem imprimendo Claudiano totum abſumtum pæne eſt triennium, quo factum, ut magna mendarum, ſollemni illo noſtrorum librorum vitio, mole, non deformis iam appareat.

Prolegomena, quæ Cl. Geſnerus præmiſit Claudiano, in XVIII. deſcripta ſunt Sectiones, quarum breviarium, ut ipſe vocat,

vocat, indices alias dixerimus, in tabula ſecundum numeros exhibuit.

Prima harum Sectionum occupatur circa deſcribendam patriam, ætatem, vitamque Claudiani, in quibus Auctor neque Voſſium, neque Gyraldum, neque Crinitum ſecutus eſt, ſed ea tantum diligenter collegit, quæ ex ipſis Poetæ carminibus de eius vita conſtant. Alexandrinum eum fuiſſe, colligit ex XXXIX, 20. ubi Alexandrum M. conditorem patriæ appellat; & ib. 457. ubi Nilum *ſuum* dicit. Non imæ ſortis hominem Claudianum fuiſſe, ſed cognatum forte Hadriani Præfecti, Geſnerus intelligit ex XXXIX, 55. Ex eo, quod in Stilichonis clientelam mox ſe contulit poeta, infeſtum eius in Rufinum & Eutropium animum, eiusque Orientis & Conſtantinopoleos odium, explicat. Tribunum eum fuiſſe nemo negat: ſed an Celerum, an Prætorii, an alius? omnes ignorant; ſicut neque de militia eius quidquam certi conſtitui poteſt. De calamitate ab Hadriano ipſi illata, de qua queritur epiſtola, itidem nihil adfirmari poteſt. Plura alia, ad favorem, quem in aula expertus eſt noſter, & ad matrimonium dives pertinentia, ſilentio præterimus.

II.) Secundo loco diſquiritur, an Claudianus Chriſtianus fuerit homo? quod Cl. Editor negat, ab aliis iam ſatis in dubium vocatum: illis autem, qui volunt noſtro inter Chriſtianos locum vindicare, non omnino adverſatur quidem, ſed inter eos tantum habendum putat, in quibus fuit Auſonius. vid. *Barth.* ad Stat. Tom. II. p. 921.

III.) Quæ ſequitur, tota verſatur in exponenda Claudiani eruditione, Sectio. Eam non vulgarem fuiſſe autumat Cl. Editor, & ex ipſis carminibus colligit, fuiſſe eum præclara quadam philoſophiæ Heracliteæ ſcientia imbutum; in ſiderum autem cognitione, in naturali ſcientia, quam phyſicam appellant, & in Mythologia denique, ad ſummum perveniſſe Claudianum, eiusdem Cl. Geſneri opinio eſt. Spem nobis eo loco facit Venerandus Senex, libri, ſi Deus vires dederit, adhuc a ſe edendi, quo clarum faciet, quæ nova vulgo ferun-

feruntur Philoſophorum inventa vel dogmata, ea non eſſe nova, ſed antiquis iam ſatis nota; qui liber ut prodeat, vehementer & ſerio precamur: certum enim eſt, multa novorum ſpecie noſtris hominibus obtrudi, quæ antiquis iam nota, a ſuperſtitione illa barbarieque omnibus literis olim interitum minitante ſuppreſſa, per tempus in oblivione iacuerunt. Sic ante paucos hos menſes, cum Mathematici Aſtronomique noſtri multa ſcriberent de cometa, ex calculi ab Anglis poſiti, ratione, redeunte ad nos; cuius de reditu vere facto multum gloriabantur, & nova ſe inveniſſe iactabant: cupido nos cepit recolendi ea, quæ de Cometis haberent veteres. Obtulit hic ſe nobis, præter alios, *Seneca,* in Natur. Quæſt. Libris, ubi permulta ſane, quæ noſtri tanta verborum copia a ſe inventa gloriantur, cognita ei fuiſſe apparet. Ex longa autem, quam per Septimum Quæſtionum ſuarum librum inſtituit integrum, de cometis diſputatione, in qua multa invenies iucunda & erudite diſputata, ea præſertim noſtris opponi poſſe videntur, quæ habet cap. XXII. „Non enim exiſtimo, Senecæ ſunt verba, Cometen ſubitaneum ignem, ſed inter æterna opera naturæ": item ea, quæ capite XXIII. de Cometarum natura & curſu diſſerit. Ait e. c. Cometas ſideribus adnumerandos eſſe, quia orbem ducant, quod ſiderum proprium ſit: docet porro, Cometas tenere iter ſuum, ex duobus ab ipſo obſervatis: Cometes, inquit, habet ſuam ſedem, & ideo non cito expellitur, ſed emetitur ſpatium ſuum, nec exſtinguitur, ſed excedit. A noſtri ævi Aſtronomis non poteſt pronuntiari accuratius; & tamen, Senecæ temporibus, quam raræ fuerunt Cometarum obſervationes, quam tumultuariæ? Et quam digna ſunt tanto Philoſopho, quæ Capite XXV. leguntur. „Quid ergo, ait, miramur, Cometas, tam rarum mundi ſpectaculum, nondum teneri legibus certis, nec initia illorum fineſque noteſcere, quorum ex ingentibus intervallis recurſus eſt? Nondum ſunt anni mille quingenti, ex quo Græcia

— *ſtellis numeros & nomina fecit.*

Ve-

Digitized by Google

Veniet tempus, quo iſta, quæ nunc latent, in lucem dies extrahet, & longioris ævi diligentia. Ad inquiſitionem tantorum ætas una non ſufficit, ut tota cælo vacet. Veniet tempus, quo poſteri noſtri, tam aperta nos neſciſſe, mirentur.“ Hæc Seneca: in quibus viri verbis habemus tam magnifice a noſtris, tanquam noviter inventa, iactata. Vides, Senecam non ignoraſſe, Cometas eſſe ſtellas; vides, Senecam non ignoraſſe, Cometas habere ſuum iter, quod abſolvant. Igitur Horatianum illud hic uſurpes —

Ne, ſi forte ſuas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula riſum
Furtivis nudata coloribus —

Quæ ſunt igitur nova noſtrorum Mathematicorum inventa? nil illis relinquitur, niſi annorum, inter quos abſolvit unus alterve ſuum ſpatium Cometa, ratio; exiguum ſane, ex longo temporis intervallo, inventum, quod Seneca, ſi illi tres aut quatuor Cometas adhuc obſervare datum fuiſſet, ſane non ignoraſſet. Sed pergimus.

IVta Prolegomenorum Sectione de ingenio Claudiani, eiusque facultate poetica, diſſeritur; quæ diſputatio Geſnero eſt digniſſima. Admiratur ille ſplendidas Claudiani poeticas virtutes, nec occultat eius vitia; adiecit etiam diſſertationi elenchum quendam locorum, quæ de Claudiani teſtantur poetica elegantia.

V.) Quamvis autem Poetæ non omnino negari poſſint vitia, eiusmodi tamen ſunt, ut multis eius bonis facile compenſentur: habet enim non ſolum multa eleganter dicta, ſed ſententias quoque non ſpernendas, ut adeo Claudianum pariter ob verba ac τὸ ἠθικὸν legendum G. putet. Adnotat quoque, Poetas, & poeticam dicendi rationem, non illico tantum ab antiqua elegantia defeciſſe, quam oratores; quod exemplis probat Auſonii, Martialis, Papinii, quorum carmina dicit longe elegantiora eſſe eorum proſaica oratione. Eius rei cauſſam imitationi poetarum, qui ſemper antiquos ſequebantur, & inde multum de antiqua elegantia retinebant ſibi, ineſſe non temere exiſtimat, immo obſervatum ſibi eſſe

 ait,

Digitized by Google

ait, poſt renatas quoque literas plures bonos poetas, quam oratores, extitiſſe.

VI.) Quæ Claudiani magna merita Geſnerum impulerunt, ut de eo edendo cogitaret; cui conſilio tamen nonniſi hoc bello præſenti otium ſuppetebat. Cum enim V. C. tempus audiendis legendisque fictis de proeliis, victoriis, cladibuſve narrationibus conſumere nollet, ad ſuum Claudianum ſe retulit, omnemque operam in eo exornando collocavit. Finem, quem in eo edendo ſibi propoſuit, ipſius malumus verbis proponere: „Redeo (ait) ad Clau-„dianum, & meum in illo in ſcenam quaſi reducendo „conſilium. Huius duo velut capita conſtitui, ut darem „verba Scriptoris, quantum eius mea opera fieri poſſet, „emendata, ac talia, qualia ab ipſo literis commendata „eſſe vero ſimile ſit; deinde ut ea adnotatione perpe-„tua explicarem, quo intelligi, & ad vitæ aliquem uſum „transferri etiam a mediocriter doctis vel occupatis, ſine „multo labore aut diſcurſu ad alios libros, poſſint." Hæc Geſnerus.

VII.) Priorem ad partem quod attinet, quæ verſatur in conſtituenda Claudiani lectione, dicit Cl. Editor ſe exprimendos dediſſe typographo verſus Claudiani ex exemplo prioris editionis Heinſianæ, mutatis modo illis locis, quæ ipſe in ſecundis curis mutari iuſſerat Heinſius, aut in quibus ab illo diſcedendi iuſtas ſe habere crederet, quas adnotare non neglexit, cauſas. Ex omni ab Heinſio notata vel obſervata aliunde varietate lectionis, quæ ſententiam mutaret, nullam omiſit. Sed cur ſingulorum, pro Heinſiano more, codicum nomina non addiderit Cl. Editor, aliaque, quæ huc ſpectant, Lectorem hæc ipſa docebit Sectio

VIIIva: quo loco demonſtrat Cl. Geſnerus originem varietatis, quæ in Claudiano ſat frequens eſt, lectionis; eamque non uni librariorum deberi ignorantiæ ſtuporique, ſed plerumque, quod alias ipſi de Catone & Palladio obſervatum fuit, olere emendatorem putat; variaque huius rei teſtimonia adfert & exempla. Silentio non prætereundam eſſe duci-

ducimus eruditam, quam profert, obſervationem: non duas, quæ omnino inter ſe convenirent, editiones ſibi repertas eſſe, quod quidem cauſæ ſit, cur editionum claſſes conſtituere haud potuerit.

IX.) Exhibet nonnulla, in quibus ab Heinſiana lectione receſſit, loca; ut eo facilius poſſint, qui volent, de ratione, quam ſecutus in conſtituenda lectione eſſet, eruditi iudicium ferre.

X.) De adnotationibus loquitur, quas Claudiano adiecit Cl. Editor, eorum in uſum ſcriptas, quorum aut ætas, aut educatio & ratio ſtudiorum, aut vitæ genus occupatioque, obſtare videntur, quo minus primo obtutu aſſequantur, quæ ab hiſtoria, vel ab alia parte eruditionis repetita præſto eſſe debent intellecturo Poetam. Noluit autem Auctor commentarios ſcribere collectos undique, aut locos communes; noluit dictionem poetæ, congeſtis aliorum formulis, illuſtrare, ſed efficere, poeta ut intelligatur, ſed iudicio ſuo iuvare iuniorum iudicium: quod ſi aliquando non feciſſe videatur, & lectorem deſtituiſſe, indicem adire hortatur, quem quidem magna cum cura confectum eſſe, ex ipſo quibus deſcriptus eſt paginarum numero ſatis apparet.

XI.) Catalogus ſiſtitur editionum Claudiani longe uberior, quam Fabricius olim dedit.

XII.) Illæ Claudiani enarrantur editiones, quarum exemplis uſus eſt vel ipſe; vel aliæ, de quibus non recte hucusque relatum fuiſſe videtur: quibus inſunt multa bona ad rem literariam ſpectantia, neque adeo ſpernenda.

XIII.) Docemur ordinem, quem Cel. Editor in conſtituendis carminibus ſecutus eſt; cui ſubiungitur

XIV.) Ordo in edendis Claudiani carminibus ab Heinſio ſecundum literarum ſeriem adhibitus, qui cum variis, quos alii in collocandis his carminibus obſervarunt, ordinibus, non ſine magno labore collatus ſiſtitur.

XV.) Antiquus Claudiano ab Arcadio & Honorio Impp. Augg. inſcriptus legitur lapis, cui ſaxo æneam Claudiani imaginem credunt olim fuiſſe ſuperimpoſitam.

XVI.) Diſputatur, an fuerit Claudianus Comes Orientis.

XVII.) Duos lapides honori Stilichonis poſitos: &

XVIII.) Genus Theodoſii M. Auguſti habet. In hoc deſinunt prolegomena Cl. Editoris, ad quæ legenda omnes eruditos amandamus. Multa inſunt bona, & digna tam gravi tantamque eruditionis laudem habente viro.

Iam progredimur ad ipſum Claudianum, Lectoribusque eruditis pauca ex annotationibus Cl. Geſneri exhibebimus. Dum hoc facere inſtituimus, copia facit nos inopes; atque neſcimus adeo, quæ ex tot bonis eligamus potiſſimum. Tam eſt, quicquid ineſt omni libro, dignum Geſnero. Igitur claſſes tantum, & doctrinæ partes, ad quas ſpectant adnotationes, indicabimus.

Prima, quam primi carminis inſcriptioni ſubiecit adnotatione, nos docet, quales eſſe voluerit adnotationes ſuas. (Primo autem loco Cl. Editor in Probini & Olybrii Fratrum Conſulatum Panegyrin exhibet, quod Lectoris cauſa monendum duximus.). „Noſtra, ait, adnotatio Poetæ ſervire „debet, maxime qua *poeta*, & *ingenioſus*, & *doctus*, & *philoſophus* eſt.“

Ad primum genus ſpectare nobis videntur: III, 123. (in *Rufinum* I, 123:) in qua adnotatione ingenium nos intelligere facit poetæ, qui Rufinum ut ab Acheronte excitet, ponit aditum illum ad inferos Homericum fuiſſe in extrema Gallia, patria Rufini; cui poetæ fictioni favet fabula de litoris Gallici incolis piſcatoribus, Francorum imperio ſubiectis, traiicere animas e Gallia in Britanniam ſolitis. Fabulam refert *Tzetzes* ad Lycophr. 200, quam ex eo integram deſcriptam legimus hoc loco.

Poetæ maxima eſt elegantia in adhibendis picturis, quas ſæpe ab eo, quanquam non ſemper felici conatu, adhibitas, nobis ante oculos ponit Cl. Editor. Sic III, 23. adnotat: eſt hic locus inter pulcherrimos, qui ad pictorem etiam formandum utilis eſſe poteſt. Ita pictorem ſe exhibet Claudianus V, 211. (in *Rufin.* lib. II, 211.) & VII, 76. (de III. Conſ. Honor. 76.) aliisque pluribus in locis.

De-

Doctrina autem & philoſophica Poetæ eruditio indicatur nobis a Cl. Sene v. c. X, 65. (de Nuptiis Hon. & Mar.) ubi ſentire nos facit, Poetæ antiquorum philoſophorum notas fuiſſe ſententias de plantarum ſexu: III, 9. de phaſibus lunæ: ib. 16, de atomis Epicureis: V, 222. de origine tonitruum: ib. 482. de corpore ex Pythagoraeorum ſententia animorum carcere; aliaque plura, ex ſanctiori Philoſophorum diſciplina deſumta, aliis non facile obſervata, ſiſtit Ven. Editor in adnotationibus.

Sunt inſuper alia, quæ indicio ſunt conſummatæ eius doctrinæ. Sic v. c. apud Claudianum XXI, 238. (de laudib. *Stilichonis* lib. I.) eſt: —

Quos dederis. acies —

Addamus & hoc (Geſnerus ibi adnotat), *poſt Heinſium, ultimam in verbo dederis produci etiam exemplo optimorum, id quod firmavit idem ad Ovid. Heroid. 7, 53.*

Evolvimus Heinſii commentarios, in quibus hæc leguntur ad locum *Ovidii* commemoratum:

Quid? ſi neſcieris, inſana quid aequora poſſint? —

ultima producta—ſimiliter in dederis, tuleris, *alibi produxit ultimam; ratio eſt, quod interdum quartam ſyllabam producebant, in* neſcieritis, *&* audieritis, *ſimilibusque:* quibus ſuis verbis Heinſius ſubiicit varia Ovidii loca, in quibus ultima *is* producta eſt. Heinſii tamen, quam profert, ratio, nobis minime probatur; aliam nos nobis videmur inveniſſe huius rei cauſam, quam in Romana patriæ linguæ pronuntiatione poſitam arbitramur. Poetis enim licitum fuiſſe, pro arbitrio ſyllabas producere, aut corripere, nemo ſanus ſibi perſuaſerit. Sunt quædam, quod non negamus, in quibus contra legem Paediam peccaſſe videntur; tunc autem cauſa non in eorum negligentia, ſed in noſtra linguæ ignorantia quærenda eſt. quod & hic factum opinamur. Producunt poetæ ſæpius ultimam ſyllabam in dederis, tentabis, neſcieris, aliisque huius generis, ſed numquam, quod quidem ſciamus, niſi in cæſura. Sic Noſter:

Quos dederis acie —
Ovidius Heroid. 7, 53.
Quid? ſi neſcieris, inſana —
Id. Metam. X, 560.
Forſitan audieris aliquam —

quibus adde reliqua ab Heinſio ad locum Ovidii commemorata exempla. Inde intelliges, noſtram obſervationem non omni deſtitui fundamento; neque unquam ultimam in his vocibus productam fuiſſe extra cæſuram. Nunquam leges:

Reddere tunc ſuperis tentabis aurea dona.

Cauſſa huius poeticæ, ut ita dicamus, licentiæ, facile intelligitur: in cæſura enim hæ ultimæ ſyllabæ aſperius quid ſonant, ac ſi ſcriptæ eſſent,

Quos dederisſ acie —
Quid? ſi neſcierisſ, inſana —
Forſitan audierisſ aliquam —

Inde fit, ut etiam voces in aliam exeuntes litteram conſonam, quæ facile geminari poteſt, in cæſura producantur. Sic apud *Virgil.* Eclog. X,

Omnia vincit amor, & nos —

ibi pronuntiatur vox *amor* fere ac ſi ſcripta eſſet *amorr.* Hanc, ad Græcos ſi recurras, noſtram ſententiam, tot innumeris ornare poteris exemplis, ut plane nullus dubitationi ſit locus. Confer, ſi lubet, quæ doctus obſervavit *Clarkius* ad Hom. Il. *α*. 51. A Græcis itaque ad latinos tranſiit poetas, ius eiuſmodi ſyllabas in cæſura producendi. Illa autem, cuius Heinſius mentionem facit, poetica licentia, ſyllabas penultimas, in *contigeritis, tranſieritis*, aliisque huius generis, producendi, itidem non omni deſtituitur ratione; quam tamen, ut temporis & Lectoris rationem habeamus, iam proferre ſuperſedemus. Alio forte loco ſuper ea re plura. Hoc unum hic addere liceat, ne temeritatis arguamur: commune Latinorum Græcos imitandi poetas ſtudium, & frequentiorem obſervationem, nobis perſuaſiſſe, hanc eſſe produ-

ctionis

ſtionis eiusmodi cauſſam. Sed ad Claudianum, in quo Cl. Editor nihil neglexit, quod faciat ad intelligendum poetam, redeamus. Explicat igitur & antiquos mores, ad quos reſpicit ſæpe Claudianus. Sic V, 112. deſcribit antiquum barbarorum morem, recens natos flumini immergendi: VIII, 174. (de IV. Conſ. Honorii) clamorem militum, Imperatorem novum levantium: ib. 497. tabulas, in quibus bona proſcriptorum pendebant venalia: ib. 573. ſolemne Aegyptiorum ſacerdotum, *linigeri* qui dicuntur, cognomen: aliaque innumera.

Mythologiam, quæ & ipſa multum facit ad explicandum Poetam, neutiquam neglexit G. quin potius ea, quæ lectorem poſſent in lectione offendere, bene, neque tamen nimiis verborum ambagibus, (quod antiquorum, Scholiaſtarum qui nomine veniunt, plerumque eſt vitium,) ſed breviter & docte, ex fabuloſa poetarum fictione exponit. Sic. III, 81. ſpicula Athamantheæ dextræ: 82. 85. ad Oreſtis quæ pertinent fabulam: ib. 254. Diomedis equorum pabulum: V, 418. Aonii montis hiſtoriam, pulchre narrat.

Earum porro, quæ ipſi probantur, lectionum, cauſſas, erudite & prolixe ſæpius tradit. Sic ad I, 4.

Blandius elato ſurgant temone iugales:

blandius, ait, neque ad elato, neque ad *ſurgant*, bene accommodatum eſt: itaque valde placet Baſileenſis lectio, (anno 1534. 8. apud Iſingrinium edit. impreſſa,) *blandius rubeant*. roſeus color ignis blandior eſt. Ib. v. 111. III, 39. V, 71. & 148. Et in his Vir Clariſſimus ſingularem ſæpe demonſtrat eruditionem. Tandem, ut nulla eruditionis pars in adnotationibus omiſſa ſit, varia attulit G. quibus ſingularem nonnullarum vocum in Claudiano uſum obſervat. Sic VIII, 140. *ululare* verbum medium eſſe monet: ib. 278 *τὸ ſuſpectus* a Claudiano docet active efferri: ib. 288. adnotat, vocem, *qui*, duplicem perſonam ſuſtinere; taliaque plura. Et quamvis V. Cl. in prolegomenis moneat, ſe non ex congeſtis undique aliorum claſſicorum locis poetam ſuum illuſtrare, & inde molem adnotationis augere, quod plerumque faciunt: non tamen adeo ab hac poetam illuſtrandi ratione abſtinuit, ut plane omitteret;

teret; quin ubi ſine aliqua negligentiæ ſpecie fieri non poterat, præſertim in indicandis, quæ imitanda ſibi propoſuerit Poeta, locis, diligenter ea addidit. Sic III, 56. 208. V, 473. VIII, 532. & alibi ſæpius.

Ne autem aliquid deſiderari poſſet in Cl. Editore, ingenuum quoque ut virum decet, vitia poetæ ſui, excuſari quæ nequeunt, rotundo profitetur ore: & quanquam multus eſt in demonſtrandis eius elegantiis & virtutibus, vitia tamen nullo modo reticet. Talia ſunt: VI, 2. (Præfat. de III. Conſ. Honor.) XXI, 193. (de laudibus Stilichonis lib. I.) ib. 218. 226. 254. Reprehendit in Poeta G. luxuriam ingenii non ſatis caſtigatam, VII, 129: nec ſatis obſervans temporum videtur noſtro ac Barthio, VIII, 154. abutitur etiam licentia in enarranda Honorii vita; & XXVIII, 48. (de VI. Conſ. Honor.) cum de roſtris navium loquitur, commemorat puppim, cum tamen roſtra in prora ſemper fuerint.

Vides ex his L. B. quæ delibavimus, adnotationes Viri Clar. multifaria doctrina repletas eſſe, & Claudianum, quod fatebitur quisquis attente inſpexerit, ſic faciliorem redditum eſſe legentibus, quam voluminoſo Barthii commentario. Et habet ſane Noſter, quæ eruditiſſimo cuique ſatisfaciant: alia, quæ tirones in legendo Claudiano multum iuvabunt.

Ut autem intelligatur, nos non fugitivo tantum oculo inſpexiſſe hunc Cl. Geſneri Claudianum, communicabimus cum Lectoribus, quæ inter legendum nobis nata dubitatio ſit; quam quidem eximi nobis vehementer cupimus, ortam forte ex nimio retinendarum, quæ in Codicibus ſunt, lectionum ſtudio. Non erimus pertinaces, ſi quis tueri Geſnerianam lectionem velit; quin in partes cl. viri, tot annorum & palmarum militis, lubentes tranſibimus. Eſt autem, de qua dubitamus, lectionis varietas, L 81. ubi edidit Cl. Geſnerus

— *hic ſub iuga ferrea mittit:*

in adnotatione autem ait, *cum primis editionibus malim legere nectit, ne quis,* mittit ſub iuga, *nimis proprie accipiat, quaſi de bubus*

bus ſermo ſit. Iuga ſunt tranſverſae regulae, ſub quas i. e. ad quas adligantur loris equi.

Hæc vir eruditus. Non poteramus concoquere illico, cur legere mallet, *ſub iuga nectit,* cum poeta nobis elegantius dixiſſe videretur, *mittit;* & *ſub iuga mitti*, ut Florus tradit, pecudum proprie ſit. Inde in aciem (Flori verba ſunt, Lucii Quintii Dictatoris, ab aratro, victoriam deſcribentis: I. 11, 13.) profectus, ne quid ruſtici operis imitatione ceſſaret, victos more pecudum ſub iugum miſit. Nec, quid ſibi vellet illud, *ne quis proprie accipiat, quaſi de bubus ſermo ſit,* ſatis intelligebamus; donec ex Theſauro Stephaniano, edito ab eodem Viro. Cel. videremus, ex eius ſententia *iugum,* quoties ſignificet ligneum illud inſtrumentum, quod cervicibus iumentorum imponitur, ut eius auxilio moveant currum, de bubus tantum dici; ſi autem de aliis iumentis dicatur, tunc ſignificare lorum illud, quo iumenta iungantur currui. Tale fuiſſe Gordium illud, quod Alexander ſolvit, iugum; velut in adnotatione ad Claudiani hunc locum nos docet Vir Cel. *iugum, ſunt regulae tranſverſae, ad quas ligantur loris equi.* quæ regulæ eius, ea ſine dubio ſunt ligna, quæ dicuntur noſtris *eine Wange,* quibus quia loris alligantur equi, τὸ *nectit* neceſſarium videtur, ut ita lori ſimul in mentem veniat notio. Nobis antiqua & in Codicibus recepta lectio magis placet, Certe iugum de aliis etiam iumentis dictum, ſignificare inſtrumentum videtur, quod cervici imponitur, ligneum plerumque. Ita eſt apud Homerum, Il. ἐ. 731.

— — ὑπὸ δὲ ζυγὸν ἤγαγεν Ἥρη
Ἵππυς ὠκύποδας — —

ad quæ Poetæ verba Pſeudodidymus: ζυγὸν τὸ ἐπιτιθέμενον ξύλον τοῖς τραχήλοις τῶν ἵππων; cui adſentit Heſychius, qui explicat ζυγὰ τὰ ἐπιτιθέμενα τοῖς αὐχεσι τῶν ζώων: & Græcorum ἄγειν ὑπὸ ζυγὸν ad verbum reſpondet Latinorum *ſub iugum mittere.* Iam cum illud de equis dicatur, cur hoc latinorum non debeat eo ſenſu accipi, non videmus. Quæ Geſnerus in aliis iumentis putat iuga vocari lora, Homerus appellat ζυγόδεσμον Il. ώ. 270.

 Ἐκ

Digitized by Google

Ἐκ δ' ἔφερον ζυγόδεσμον ἅμα ζυγῷ ἐννεάπηχυ
Καὶ τὸ μ' εὖ κατέθηκαν ἐϋξέστῳ ἐπὶ ῥυμῷ
Πέζῃ ἔπι πρώτῃ — —

accurate hoc in loco Homeri diſtinguuntur *ζυγὸς* & *ζυγόδεσμον*: quanquam demus, *ζυγὸν* h. l. etiam per regulas illas, quas Cl. Editor intelligi vult l. c. commode explicari poſſe; iisdem tamen plane verbis utitur Homerus de bubus pariter ac equis. Sic Odyſſ. γ. 383. de bove dicit

— *ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ*:

& de equis Il. ψ. 294.

— *ὑπὸ δὲ ζυγὸν ἤγαγεν ὠκέας ἵππους*

Latinis autem, etiam in equis, iuga eſſe ligneum illud cervicibus impoſitum inſtrumentum, ex Ovidio nobis colligere videmur, qui Metamor. II, 315. narrans, equos ſolis a Phaëtonte rectos currum fregiſſe,

Colla, ait, *iugo excutiunt* — —

& Met. XII, 77. equorum colla dicuntur iugo preſſa:

— — *colla iugo candentia preſſos*
Exhortatur equos — —

Ovidio addi Curtius poteſt, qui lib. IV, 15. Equi, ait, crebra iactatione cervicum, non iugum modo excuſſerant, ſed etiam currus everterant: hinc nullam cauſam videmus, cur non legi debeat cum Codd. *mittit;* etſi non negamus, iugum ſignificare etiam lorum illud, quo iunguntur equi. Centies ſic dicitur; & noſter in eo tantum poſitus fuit labor, ut pateret, iugum etiam in aliis iumentis eſſe ligneum, quod in cervicibus habent, inſtrumentum. Sed hæc ſufficiant. Quod reliquum eſt, gratulamur bonis litteris Claudianum, Viri ſummi ſtudio, atque diligentiſſima opera, in manus traditum doctorum hominum, qui, quidquid a Geſnero eſt, libenter, & cum fructu legunt.

ELO-

Digitized by Google

ELOGIUM
IOANNIS ERNESTI HEBENSTREITII

MED. DOCT. ET PROF. PRIMARII, ORDINIS SUI DECANI PERPETUI, ACADEMIAE DECEMVIRI, COLL. MAI. PRINC. SODALIS, CIVITATIS LIPS. PHYSICI, ACADEMIARUM MASSILIENSIS ET NATURAE CURIOSORUM COLLEGAE.

Non eget noſtra commendatione memoria IO. ERNESTI HEBENSTREITII, cuius ingenium doctrinamque, Academiæ & literis acerba morte interceptam, dolemus: adeo ipſam per ſe omnibus eſſe, ut debet, caram putamus, adeoque multis monimentis eam ipſe vivus ſtabilivit, & ad omnem poſteritatem propagavit. Sed ut non nolumus habere imagines parentum, coniugum, liberorum, & fratrum, in quibus nihil, præter oris figuram, lineamenta, coloresque, expreſſum videmus; cum in animo multo luculentiores imagines, non modo corporum, ſed etiam animorum, repoſitas ſpectemus: ita nec iis, qui vel vivi Hebenſtreitii ingenium, doctrinam, virtutesque e propinquo, & per uſum diſciplinamve fruendo, vel ſcriptis expreſſas legendo, cognoverunt, iniucundum fore putamus, in hac veluti tabula, aliquam Hebenſtreitiani ingenii, animi, totiusque vitæ imaginem propoſitam intueri: quæ ſi non ad vivum exprimat, quicquid vel ab natura datum habuit, vel ſtudio curaque partum, vel denique per doctrinam & virtutem aliis publice privatimque impertivit, ſaltem eorum cum ſuavitate quadam admoneat. Nam etiam de bonis iucundisque rebus, nec modo noſtris, ſed etiam alienis, valet, quod eſt de adverſis acerbisque apud poëtam dictum: *etiam meminiſſe iuvabit.* Editus eſt in hanc lucem in Villa nova (Neuenhof), Dioeceſeos Neoſtadienſis in Variſcis, a. d. XV. Ian. a. C. CIↃIↃCCII. patre *Io. Davide,* qui tum ibi,

 poſt

Digitized by Google

poſt Neoſtadii, ſacra fecit, matre felici ingeniis præclaris edendis, *Eſthera Suſanna, Io. Georgii Gutneri* filia, qui Luſcaviæ, dioeceſeos Colditianæ oppidulo, ſacerdotium obtinuerat, e *Suſanna Schuzia*, ſacerdotis in dioeceſi Neoſtadienſi filia. Avum paternum habuit *Ioannem*, in eadem villa nova ſacerdotem, qui in matrimonio habuit *Reginam*, *Davidis Stemleri*, Archidiaconi Neoſtadienſis; filiam. Initia religionis & literarum cum pater ipſe tradidiſſet, datus eſt primum in diſciplinam *Io. Oswaldi Thoelitſchii*, in ludo Neoſtadienſi Conrectoris, & *Davidis Wendleri*, Rectoris; poſt miſſus in Vinarienſe Gymnaſium, ubi magiſtris uſus eſt magno illo *Io. Matthia Geſnero*, qui tum Conrectoris ibi munus ſuſtinebat, & *Io. Chriſtophoro Kieſewettero*, Rectore, hoſpite autem *Io. Friderico Hebenſtreitio*, ad ædem S. Iacobi tum Paſtore, poſt Butſtadienſis Eccleſiæ & Dioeceſeos Præſule: qui eum, ut filium, aluit atque amavit. Ibi cum ſub tam excellentibus doctoribus præclare profeciſſet in literis latinis & græcis, in Ienenſem Academiam ſe contulit a. CIƆIƆCCXIX. natus annos duodeviginti. Sed cum ibi non reperiret, unde viveret, in hanc urbem ſe contulit, ſperans fore, ut, quæ fratrem maiorem benigne ad id temporis aluiſſet, eam ipſe quoque benignam experiretur. Quæ ſpes eum non fefellit. Nam & in Convictu publico locus ei contigit, & ſtipendium regium, & Patronus *Aug. Quirinus Florens Rivinus*, qui eum, perſpecto ingenio, celeriter adamavit, & omnibus in rebus, quoad vixit, enixiſſime iuvit. Præceptores ſecutus eſt philoſophiæ & literarum cauſſa *Lehmannum* Phyſicum, & *A. F. Mullerum:* in medica autem doctrina, illum ipſum maxime *Rivinum*, tum *Paullum*, *Schacherum*, *Ettmullerum*, *Waltherum*, *Platnerum*, & *Liſchuicium*, herbariæ rei cauſſa, præter *Rivinum*, etiam *Hahnium*. Emenſus ſtudiorum curriculum, ad docendum adiunxit animum, diſceptataque pro cathedra, ſub *Liſchuicio*, Exercitatione *de continuanda Rivinorum induſtria in emendando plantarum charactere*, Magiſtri philoſophiæ honores cepit a. CIƆ-

cIↃIↃCCXXVII. & anno poſt, ius privatim docendæ philoſophiæ, defendenda Exercitatione *de Ordinibus Conchyliorum methodica ratione conſtituendis.* Secutus eſt poſt duos annos a. d. v. Maii, a. cIↃIↃCCXXX. Doctoratus artis medicæ, ſcripta & feliciter defenſa *de viribus medicis mineratum & mineralium diatriba:* quo accepto etiam aditum ſibi munire coepit ad Collegium Ordinis Medici per aliam Diſputationem, *de ſenſu externo virium in plantis indice.* Sed cum omnes medicæ doctrinæ partes ſtudioſe diligenterque tractaret, tum vero in primis, & ſuo quodam ſtudio incenſus, & *Rivini* cohortatione & exemplo invitatus, rem herbariam cupidiſſime & feliciſſime colebat, adiuvante etiam memoria, cuius prope divina vis erat. Quod cum videret *Rivinus,* impenſe eum commendavit *Caſpari Boſio,* ædilitio Senatori, & Horti Boſiani maioris tum domino, ut eius opera uteretur in plantis raris, quæ ibi alerentur, tuendis & ordinandis. Ille vero ei rei præfectus, tanta non modo diligentia, ſed etiam ſolertia uſus eſt, ut non modo ipſe *Boſius* vehementer probaret eius operam, ipſumque ea cauſſa omni genere benignitatis foveret, ſed ut etiam maiores iudices mirifice curam eius & ſolertiam laudarent. In quibus vel maxime fuit celeberrimus ille *Heucherus,* Medicus regius, qui, cum horti plantas inſpexiſſet, *Hebenſtreitium*que per eam occaſionem propius cognoviſſet, mirifice collaudato ipſo, memorem ſe eius fore apud Regem, liberaliter promiſit. Cui promiſſo mox fides conſtitit. Itaque quod ſtudium, liberalis delectationis maxime cauſſa, erat ſuſceptum, etiam ad utilitatem valuit, quæ eſſet tanto magis iucunda & honeſta, quanto minus ab initio fuiſſet quæſita. Erat tum adhuc in vivis AUGUSTUS Rex, huius Noſtri Pater, inter ceteras virtutes plurimas & maximas, etiam amore incredibili omnium bonarum & pulcrarum artium atque rerum præditus, inprimiſque naturæ operum omnium cognoſcendorum, inque ſedem ſuam, Dreſdam, ex omnibus terræ partibus congerendorum, cupidiſſimus,

plane alter *Ptolemaeus Philadelphus.* Nam *Ptolemaeus* ille, ut (ex *Agatharchidis Periplo Maris Rubri*) *Diodorus Siculus* tradit (*III. p. 169. ed. Rhod.*) non modo libros ex omnibus locis congerebat, & eruditiſſimos quoſque viros liberaliſſime fovebat & alebat, ſed etiam rariora & ſpecie admirabilia animalia Alexandriam magno ſumtu adduci curabat, propoſitis ingentibus præmiis, ſi qui in eo genere aliquid, quod viſendum eſſet, cepiſſent, atque ad ſe adduxiſſent. Is igitur AUGUSTUS induxerat in animum, mittere in Africam, qui inde vel viva animalia maiora, vel eorum exuvias & membra peterent, nec plantas aut alia naturæ opera, quæ illi terræ propria eſſent, negligerent. Deſtinabatur autem iis peragranda Africa, primum ſeptentrionalis, quæ mediterraneo mari adluitur, Barbariam vulgo vocant, ad deſerta uſque Libyæ, Saram nunc appellant; deinde occidentalis, inde ab Atlante ad Bonæ ſpei promontorium: nam orientalem, hoc eſt, Aegyptum, iam perluſtrarat *Turnefortius.* His deſtinatis perficiendis cum quæreretur vir idoneus, commendabatur Regi ab *Heuchero* *Hebenſtreitius*, in quo eſſet & hiſtoriæ naturalis, & linguarum ſcientia ei rei apta. Miſſus igitur eſt, cum adoleſcentum, quos ipſe ſibi delegiſſet, in his *Ludovici*, qui nunc Ordini medicorum apud nos præeſt, comitatu, inſtructus literis Regum Franciæ, Britanniæ, & Principum Belgii foederati, quibus non modo Legatis eorum, ſed etiam Principibus Africæ commendaretur. Profectus Dreſda, a. d. XXIII. Octobris, a. CIↃIↃCCXXXI. per Germaniam, Helvetos, & Franciam, extremo anno pervenit Maſſiliam: unde cum ſolviſſet a. d. XXIV. Ianuarii proximi, difficili & moleſto curſu, a. d. XXVII. demum Februarii portum Algerii attigit. Ea in urbe cum tres amplius menſes ita commoratus eſſet, ut ſubinde in vicinas regiones excurreret, medio Iunio inde navi digreſſus, venit Bonam, Tunetanorum finium, ſed Algerianæ ditionis, oppidum, haud procul Hipponis regii ruinis: unde excurrendi facultas da-

batur

batur in Conſtantinæ fines, quæ & ipſa eſt Algeriani regni, & veteris Numidiæ pars, verſus Orientem ſita, antiquitatis Romanæ reliquiis in primis referta, cuius caput eſt Conſtantina urbs, olim Cirta, Numidiæ regum ſedes. Inde oram maritimam legens, adiit Thabracam inſulam, nobilem coralliorum captura, quam ibi Genuenſes exercent, Biſertamque urbem, (quæ eſt Hippo Diarrhytus, ſ. Zarrhytus, unde & nomen corruptum eſt in Biſertam,) brevi intervallo ab Utica diſtantem, ad ultimum terreſtri itinere Tunetem. Ea urbs cum vicina ſit veteri Carthagini, e cuius excidio olim incrementa cepit, non modo eius ruinas ſpectabat, ſed & viſendarum vicinarum regionum facultatem ſibi datam ſperabat. Sed ea tum quidem ſpes irrita fuit. Etenim Princeps Tunetanus ita infeſto erat in Chriſtianos animo, ut eis peragrandorum Tunetanorum finium poteſtatem omnem adimeret. Itaque mox Tripolim contendit, inſpectisque diligenter, quæ regio ea viſenda habet, per Melitam inſulam Tunetem reverſus eſt. Sed dum aberat, *Ludovicus*, qui valetudinis cauſſa ibi remanſerat, aditu ad Principis benevolentiam reperto, impetraverat viſendarum regionum vicinarum veniam, easque peragrando pervenerat ad Saræ uſque fines. Qua re cognita, perſecutus eum eſt *Hebenſtreitius*, & cum alias regiones, tum maxime Africæ partem eam peragravit, quæ inter Tunetanum & Tripolitanum regnum ab anguſtis initiis ducta, latioribus ſpatiis verſus interiora Africæ propagatur: Arabes *Biled-ol-Gerid* *) vocant, hoc eſt, terram palmarum, quarum ibi magnus proventus eſt. His terris peragrandis cum multa ſpectanda præberet natura, tum vero vir antiquitatis eruditæ & amans & intelligens ſæpenumero mirifice adfectus eſt animo, cum reliquias vel urbium clariſſimarum, ut Car-

*) Lingua vulgari incolæ vocant *Bled-ol-Gerid:* in libellis Geographicis eſt *Bilidulgerid.* Sed *Schavius* Britannus (*Shavv*) in Itinerario T. I. p. 272. ait, eſſe *Bled al*, vel *el Ieridde*, vel *Ierred*; *terram ſiccam.*

Carthaginis, ut Uticæ, ut Hipponis utriusque, magnificentiæ porro antiquæ in viis publicis, in aquæductibus, ſimilibusque videret, vel veſtigia ſummorum & clariſſimorum Imperatorum, Epiſcoporum, & campos victoriis maximis inſignes calcaret, cum per ruinas Carthaginis erranti, Hannibalis, Scipionis, imago offerretur, cum etiam Marii, qui in eiusdem urbis ruinis quondam delituiſſet. Atque utinam neque cupiditati eius vel viſendorum monumentorum, vel deſcribendorum titulorum, ſtultus error barbarorum, exiſtimantium theſauros terris abditos inſpiciendis titulis quæri, neque conſilio edendorum eorum, quæ vidiſſet ac deſcripſiſſet, omninoque itineris illius deſcribendi, negotioſæ vitæ occupatio atque brevitas obſtitiſſet! haberemus, aut habituri certe eſſemus, quæ antiquitati vel accuratius cognoſcendæ, vel ornandæ, egregie prodeſſent.

Sed cum ex illo itinere a. d. XIV. Martii a. XXXIII. eſſet reverſus Tunetem, inopinatum ac triſte impedimentum itineris perſequendi, quo vellet, oblatum eſt, nunciata AUGUSTI morte, quæ neceſſitatem revertendi in patriam imponeret. Itaque non multo poſt, relicta Africa, per Galliam & Batavos, menſe Octobri, rediit Dreſdam, inde, rationibus itinerum redditis, Lipſiam; adiitque mox d. XX. Nov. Phyſiologiæ Profeſſionem Ordinariam, quæ ei abſenti erat decreta, ut quam celerrime præmium ferret laboris eruditi, & periculorum, quæ terra marique adiſſet. Ipſe vero tanta Principis liberalitate ita incenſus eſt ad ſtudium bene de Academia, de iuventute medicæ artis ſtudia æmulante, deque arte ſua merendi, ut totum ſe ad medicinam vel docendam, vel ſcriptis illuſtrandam atque ornandam, vel faciendam denique conferret. Cuius ſtudii & alimenta habuit a multitudine eorum, qui eius vel doctrinam in diſcendo, vel opem in valetudine tuenda & recuperanda, expeterent, & præmia a Principe plurima. Nam intra ſedecim annos, ab ultimo Ordinis ſui loco in primum eſt provectus, cui ille cum

magna

Digitized by Google

magna & ſua dignitate, & Ordinis Academiæque univerſæ utilitate, per octo annos præfuit. Quo magis omnes, non modo ipſius & familiæ ampliſſimæ cauſſa, ſed etiam Academiæ nomine, doluimus, cum ille præmatura morte e vivis eſt ſublatus: de qua priusquam dicamus, breviter de eius ſtudiis, diſciplina, & ſcriptis commemorandum videtur.

Cum eſſet omnium bonarum literarum & amans, & ſtudioſus, imbutus eo amore primum a patre, deinde a præclaris, quos ſupra commemoravimus, præceptoribus, maxime tamen & adamarat, & colebat poëticam latinam, & literas græcas, quarum ſcientia maiorem ceteris humanitatis partibus copulationem cum arte medica haberet. Et ad poëticam quidem ab ipſa natura impellebatur, ut, ſi vitæ genus conceſſiſſet, in ea plane excellere potuiſſet. Etenim extemporali facilitate fundebat verſus, etiam cum aliud ageret, cum luderet. Teſtis eſt libellus *de uſu partium*, hexametris verſibus ſcriptus, ad Lucretiani carminis ſimilitudinem, cuius partes plures fecit, ludens aleam cum *Iunio*, affine ſuo, Viro Conſultiſſimo: cum interea colluſorem, qui nihil aliud, niſi de movendis ex arte calculis cogitaret, tamen vinceret. Literarum græcarum autem ſtudium maxime conferebat ad medicos græcos cognoſcendos, ac legendos: in quibus quam tritus fuerit, ſi quis ipſi de ſe dicenti †) nolit credere, quamquam alieniſſimo ab omni vanitate, *Palaeologiae Therapeuticae* credet, in qua præcepta Therapiæ, ex omni antiquitate, græca maxime, quamquam & latina, exhibet, comparatis iis, quæ nunc ſunt in uſu, ſentiendi, loquendi, faciendique formis: in quo ſe dicebat non modo hoc ſpectare, ut græcæ linguæ extinctum apud

†) In Tentamine Philol. Med. ſuper Aetii libris ineditis &c. pag. 4.

Digitized by Google

apud quamplurimos amorem refocillaret, ſed etiam præcepta morborum curandorum, ſub eruditæ linguæ involucris latentia, exponeret, atque ſic iuvenes artis medicæ ſtudia æmulantes ad fontes artis revocaret †). Sed multo maius eius ſcientiæ documentum dediſſet, ſi ei contigiſſet, ut *Aetium*, ill. *Gunzii* morte deſtitutum, abſolveret, cuius exemplum manu ſcriptum, cum ei traditum eſſet ab *Erneſto* noſtro, legeretque ipſo audiente loca quædam, ſtatim non modo dicebat ex quo ſcriptore eſſet quodque ſumtum: eſt enim in *Aetii* libris Synopſis quædam medicorum veterum: ſed etiam quædam memoriter ex illis ipſis, alia ingenio corrigebat, accommodate ad linguæ rerumque rationem. In medicæ doctrinæ partibus maximo ſtudio tenebatur rei herbariæ, ut ſupra diximus, rerum naturalium omnium, inprimisque earum, quæ e terræ viſceribus eruuntur: in quibus generibus ita notata mente omnia & trita habebat, ut eum nihil fugeret, omnia in promptu eſſent. Itaque communis interpres adhibebatur in Muſeis noſtris, Richteriano, Boſiano, Linkiano, ſi quis ad ea viſenda venerat, erantque demonſtrationes rerum eiusmodi, ut non modo peritia earum, ſed etiam amor appareret, qui conſuetudine videndi non imminutus, ut fit, ſed auctus & confirmatus eſſet.

Ad artem faciendam ſe contulerat ſtatim, cum ex itinere Africano redierat. Et expetebatur opera eius a multis. Erat enim in viſendis ægrotis aſſiduus, præſertim cum periculi aliquid ſubeſſe videretur, in curando diligens, lenis, & qui ægrotos non modo remediis artis iuvaret, ſed etiam orationis humanitate, ad animos erigendos & confirmandos apta, quæ interdum plus prodeſt, quam remediorum ſalubritas. Nam & amabat eos, a quibus adhiberi ſolebat, & in aliis quoque rebus conſilio

†) Palæol. Therap. Specim. I. pag. 4.

Digitized by Google

ſilio aut re prodeſſe cupiebat. Nec minus aſſiduus ac diligens erat in docendo. Erat autem diſciplina eiusmodi, ut non modo neceſſaria ad artem vel intelligendam, vel faciendam, accurate traderet; ſed etiam, quæ ad ornandam artem valerent, promeret liberaliter ex interiori doctrina. Quod erat perfacile Viro lectionis prope infinitæ, memoriæ autem ita felicis, ut facile ſuggereret, quicquid res & locus poſceret. Nam legendi inſatiabilis aviditas erat, & quicquid ex Italia, Gallia, aliisque locis adferebatur librorum, ad aliquam vel naturalis ſcientiæ, vel medicæ doctrinæ partem pertinentium, id omne legebat, & ita accurate legebat, ut ſummam rerum traditarum, & quicquid in iis novum eſſet & exquiſitum, in literas referret, & his *Eruditorum Actis* inſerendum curaret. Itaque a multis annis nemo alius magis iſtis Commentariis profuit. Atque beata hæc doctrinæ exquiſitæ & variæ copia cernitur etiam in iis, quæ per occaſiones Academicas, aliasque, ſcripſit in omni genere doctrinæ ſuæ, quorum indicem ſubiecimus. Sed ut magis libero a domeſticis curis animo, & in muneribus publicis adminiſtrandis, & in ſtudiis doctrinæ tractandis, verſari poſſet, mature de matrimonio ineundo cogitavit, duxitque anno XXXIX. a. d. IV. Non. Febr. *Io. Guilielmiam, Ulr. Iunii*, Mathematum quondam apud nos Profeſſoris clariſſimi, ex *Olearia* filiam, ornatiſſimam ſexus ſui decoribus, ex qua eodem anno, prid. Cal. Decembres, tulit filium, *Georgium Erneſtum*, feliciſſimi ingenii paterni heredem, ſed cum acerbiſſima ipſius iactura. Nam ſeptimo a partu die obiit. Sed eam iacturam reparavit a. XLII. ducta a. d. XVII. Cal. Aug. *Chriſtiana Eugenia Boſſekia*, Virgine Ornatiſſima, quæ nunc ereptum ſibi præmatura morte maritum moeret. Ex ea ſex liberi vivo, unus filius mortuo, natus eſt: *Chriſtiana Sophia*, *Gottlieb Erneſtus*, *Henricus Michael*, *Chriſtianus Benedictus*, quarto menſe mortuus, *Chriſtiana Benedicta*, ipſo natali

Digitized by Google

die mortua, *Chriſtiana Benedicta*, denique *Erneſtus Beni. Gottlieb*, a. d. IV. Idib. Febr. LVIII. quæ ſoboles, ut ſub matris tutela feliciter adoleſcat, & communis humanitatis, & multo magis parentis, tam bene de rebus noſtris meriti, cauſſa, optamus: præſertim cum nulla alia de cauſſa magis miſeranda videri debeat mors viri, vita longiore digniſſimi, quam quod tam multos parente amantiſſimo privavit, qui eius conſilio & cura cum maxime indigebant. Eam contraxit ex tali cauſſa. Habuerat in ceteri corporis robore, & conſtante ſanitate, ante aliquot annos utrumque oculum male adfectum e ſuffuſione. Sed ea ita erat curata, ut, cum oculum vitreo inſtrumento iuvaret, legendo, ſcribendo, ceterisque rebus ſufficeret, quæ oculi aciem deſiderant. Itaque cum e lugubri apud Rosbacum pugna vulnerati eſſent in hanc urbem delati, aſſiduus aderat vulnerum curationibus, & vulnera ipſa inſpiciebat, non modo ut conſuleret ægrotantibus, & qui vulneribus manu curandis adhiberentur, ſed etiam ut exemplo ſuo diſcipulorum ſtudium ad viſendum, ac viſendo diſcendum, excitaret. Ibi, dum ſæpe propius admovet oculos vulneribus, nimio plus hauſit putridi & pernicioſi vaporis. Primum quidem febricula eum corripuit, a. d. VII. Cal. Dec. quæ catarrhali ſimilis eſſet, nec ab conſuetis laboribus abſtraheret. Sed paucis diebus poſt, maior vis mali prorupit, apparuitque, periculum ſubeſſe. Nam marcor quidam & dormiendi aſſidua libido, cum putrida febre, acceſſerat. Convolant Collegæ, Viri artis medicæ Conſultiſſimi, omnemque artem expromunt, ſi poſſint ſervare Virum, ſibi neceſſitudine Collegii carum, & humanitate iucundum. Sed artem ſuperavit vis morbi. Itaque Nonis Decembr. CIƆIƆCCLVII. placide exſpiravit, magno cum dolore, non modo ſuorum, ſed etiam omnium, qui, quantam in eo iacturam ſui, quantam Civitas hæc, quantam denique Academia, & univerſa res literarum publica feciſſet, ſatis æſtimarent. Sunt autem Scripta Viri incomparabilis hæc fere: De

De uſu partium, carmen, ſeu Phyſiologia metrica, ad modum T. Lucretii Cari de rerum natura, in gratiam auditorum concinnata. Lipſiæ 1739. 8. *Libri.*

Pathologia metrica, ſeu de morbis carmen, in gratiam auditorum concinnatum. ib. 1740. 8.

Muſeum Richterianum, continens foſſilia, animalia, vegetabilia mar. illuſtrata iconibus & commentariis D. I. E. H. accedit (IO. FR. CHRISTII) de gemmis ſcalptis antiquis liber ſingularis. ib. 1743. fol.

Παλαιολογία Therapiæ, qua Veterum de morbis curandis placita recentiorum ſententiis æquantur. Specim. I-XXXV. ib. 1748-54.

Anthropologia forenſis, ſiſtens medici circa rempublicam cauſſasque dicendas officium, cum rerum anatomicarum ac phyſicarum, quæ illud attinent, expoſitionibus. ibid. 1751. 8.

Idem liber. Editio altera c. f. æneis. ib. 1753. 8.

Ἐξήγησις ὀνομάτων τῶν περὶ παθῶν. Exegeſis nominum græcorum, quæ morbos definiunt. *Erklärung griechiſcher Wörter von Krankheiten des menſchlichen Körpers.* ib. 1751. 4.

De homine ſano & ægroto carmen, ſiſtens phyſiologiam, pathologiam, hygienen, therapiam, materiam medicam: præfatur de antiqua medicina carmen: ſubnectuntur ſimiles poetarum ſententiæ: accedunt ſingula quædam carmina. ib. 1753. 8.

Ordo morborum cauſſalis. Specim. I - VII. Lipſ. 1754-1757. 8.

Aetiologia chemica, ſeu expoſitio cauſſarum ſani & ægroti hominis ſecundum principia chemica, diſſertatiunculis clariſſimorum quorundam iuvenum expoſita, c. indice neceſſario. ib. 1757. 4.

Tentamen philologicum medicum ſuper AETII *Amideni* Synopſis medicorum veterum libris octo, poſt illos

octo, quos Aldus Manutius Venetiis 1534. evulgavit. ib. eod. 4.

Præter ea præfatus eſt ad libros ſequentes: D. *Chriſtian Gotthold Schwenke, vom geſunden Landleben &c. Leipzig* 1751. 8.

Ioh. Woyt, Gazophylacium medicum, *oder Schatzkammer mediciniſch- und natürlicher Dinge in einer richtigen und ordentlichen Alphabeth-Ordnung. Leipz.* 1751. 4.

D. Anton. Heins Pharmacia rationalis, *oder vernünftiger Gebrauch auserleſener Geneſmittel &c.* ib. 1757. 4.

Diſſertationes. De continuanda Rivinorum induſtria in eruendo plantarum charactere. Præſide *Io. Chriſtoph. Liſchwitz.* Lipſiæ 1726. 4.

De ordinibus conchyliorum methodica ratione inſtituendis. Reſp. *Io. Gezaur.* ib. 1728. 8.

De vitiis nominum in ſignificatu tentamina quædam. Reſp. *Io. Chriſtian Bartholomaei.* ib. 1729. 4.

De viribus minerarum & mineralium medicamentoſis. 1730. 4.

De ſenſu externo facultatum in plantis indico. Reſp. *Chriſtian. Gottlieb Ludwig.* ib. eod. 4.

Definitiones plantarum. Reſp. *Chriſt. Auguſt. Ebersbach.* ibid. 1731. 4.

De indicatione medica. Reſp. *Ge. Aug. Langguth.* ibid. 1733. 4.

De uſu hydrargyri interno ad mentem recentiorum. Reſp. *Chriſtoph. Fridr. Sartorius.* ib. 1735. 4.

De partium coaleſcentia morboſa, *von den widernatürlich wieder zuſammengewachſenen Theilen des menſchlichen Körpers.* Reſp. *Gottlob Carol. Springsfeld.* ib. 1738. 4.

De dentitione ſecunda iuniorum. Reſp. *Io. Andr. Ungebauer.* ibid. 1738. 4. c. fig.

De morbis a pervigilio. Reſp. *Io. Car. Puſcher.* ibid. 1740. 4.

De

De pulſu inæquali. Reſp. *Io. Andr. Ungebauer.* ibid. 1741. 4.
De capitonibus laborioſo partu naſcentibus. Reſp. *Anton. Heins.* ibid. 1743. 4. c. fig.
De oculo lachrymante. Reſp. *Io. Frid. Kappe.* ibid. eod. 4.
Hiſtoriæ naturalis Foſſilium caput de Terris. Reſp. *Io. Geo. Luther.* ib. 1745. 4.
Exercitationes adoleſcenti ætati ſalubres. Reſp. *Frid. Sam. Sparr.* ib. eod. 4.
Funiculi umbilicalis humani pathologia. Reſp. *Io. Andr. Lehmann.* Lipſ. 1747. 4. c. fig.
De metaſchematiſmo morborum. Reſp. *Io. Gottlieb Meyer.* ib. eod. 4.
De ſuſpecta valetudine. Reſp. *Io. Chriſtoph. Elhard.* ibid. 1757. 4.

Programmata.

De organis piſcium externis. Lipſiæ 1733. 4.
Anatome hominis recens nati repetita. ib. 1738. 4.
De baſi calvariæ. ib. 1738. 4.
De cerebrum incidendi methodo. ib. 1739. 4.
De arteriarum corporis humani confiniis. ib. eod. 4.
De rarioribus quibusdam oſſium momentis. ib. 1740. 4.
De diploe oſſium. ibid. eod. 4.
De venis corporis humani. ib. eod. 4.
De vaginis vaſorum. ibid. eod. 4.
De methodo plantarum ex fructu optima. ib. eod. 4.
De medici cadavera ſecantis religione. ib. 1741. 4.
De flexu arteriarum. ibid. 1741. 4.
De medicis archiatris & profeſſoribus. ib. eod. 4.
De vermibus anatomicorum adminiſtris. ib. eod. 4. c. fig.
De vaſis ſanguiferis oculi. ib. 1742. 4.
De inſectorum natalibus. ibid. 1743. 4. c. fig.
De mediaſtino poſtico. ibid. eod. 4.
De corpore delicti, medici ſecantis culpa incerto. ib. eod. 4.
De venis communicantibus. ib. 1744. 4.

Hi-

Digitized by Google

Hiſtoriæ naturalis Inſectorum inſtitutiones. Lipſ. 1745.
De foetu vegetabili. ibid. 1747. 4.
De ordinibus gemmarum, verbis C. Plinii Secundi, ex eius naturalis hiſtoriæ libr. XXXVII. ib. eod. 4.
Ἐυπραγία ἀγαθȣ̃ ἰατρȣ̃. ibid. 1748. 4.
Medicinæ cum iurisprudentia comparatio. ib. 1749. 4.
De cura paſcuorum. ibid. 1752. fol.
Περὶ ἀναφωνήσεως, de declamatione. ib. 1753. 4.
De læſionibus ex diſpoſitione vulnerati morboſa letiferis. ibid. 1755. 4.
De obſequio Principum erga medicos. ib. eod. 4.
Miſericordiæ limites in exercenda arte. ibid. 1756. 4.
AETII *Amideni* Ἀνεκδότων lib. IX. c. XXVIII. exhibens tenuioris inteſtini morbum, quem ileon & chordapſum dicunt, una cum veterum ſuper hac ægrotatione ſententiis. ibid. 1757. in 4.

Oratio. Quæ antiquitatum Romanarum, per Africam repertarum, memoriam recolit. Lipſ. 1733. 4.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCLIX.

D. Chriſtoph Auguſt Heumanns Erklärung des N. Teſtaments, Zehnter Theil.

i. e.

CHRISTOPH. AUG. HEUMANNI, THEOL. DOCT. & Prof. Ord. in Acad. Georg. Aug. Commentariorum in Novi Foederis Libros divinos PARS DECIMA, qua quidem prior S. PAULI ad Chriſtianos Corinthios epiſtola explicatur.

Hanoveræ 1759. apud heredes Foerſteriorum, Alph. 2. plag. 10. octonis.

Hanc arduam verbis & ſententiis Epiſtolam eadem illa felice dexteritate tractavit Vir Summe Venerabilis, quam priora Operis Volumina tot editis ſpeciminibus teſtantur. Primis pagg. 12. de Corintho pauca, plura de argumento epiſtolæ, quod eundo per ſingula capita perſecutus eſt, diſſerit. Scriptam eſſe Epheſi, cum aliis agnoſcit; annum quo exarata fuerit, in medio relinquit; ſed tamen illo tempore, quo ad ſcribendum acceſſerit Apoſtolus, Paſchatis annuam celebrationem rediiſſe, motus locis C. V. 7. 8. & XVI, 8. exiſtimat. Quod nos quoque vero proximum credimus. Hæc de præfatione.

Ex ipſa enarratione flores qui præ ceteris arriſerint delibabimus: nam inſunt bene & utiliter obſervata multa, quæ adcuratius epiſtolam ſcrutanti reſervamus. Soſthenes qui

Cap. I. v. 1. commemoratur, non videtur eſſe idem cum illo Synagogæ præfecto, Act. XVIII, 17. Quidni enim plures eodem tempore homonymi vixerint? Adiunxit autem Paulus illius nomen ſuo, quoniam illi epiſtolam dictaverat, nec niſi quatuor verſus poſtremos propria manu ſcriptos adiunxit. Ἡ ἡμέρα τῦ Κυρίυ v. 8. eſt dies extremus iudicii. Quamvis enim Corinthiorum nullus hoc die ſuperſtes futurus ſit; tamen cum a die hominum emortuali ad diem iudicii, nullum vel bene agendi vel reſipiſcendi ſpatium pateat, utraque dies tamquam coniuncta ſpectatur.

V. 10. τὸ αὐτὸ λέγειν non eſt diverſum quid a phraſibus continuo ſubiunctis, indicatque ſtudium concordiæ. Qui ſe Corinthi *diſcipulos Chriſti* dicebant v. 12. ii ſine dubio Chriſtiani fuerunt, qui a peculiari factione alieni, veram Servatoris religionem ſimpliciter tuebantur. Confirmatur hæc interpretatio, propoſita iam a Clario, loco alio, (C. III, 22.) ubi in capitibus partium a Chriſtianis initarum, Paulus, Petrus & Apollos, non item Chriſtus refertur: quod documento eſt non fuiſſe, qui ab hoc divino nomine ſingularem ſectæ adpellationem mutuarentur. Verba v. 13. Μεμέρισαι ὁ Χριϛός; reddenda ſunt: *Num plures uno Chriſto ſunt?* Sed *Chriſtus* non incommode pro *doctrina Chriſtiana* capi poteſt. Vox οἶκος v. 16. infirma eſt pro pædobaptiſmo demonſtratio.

Obſcurior eſt oratio Pauli v. 17. ſcribentis, *non eſſe ſe a Chriſto miſſum ut baptizaret, ſed ut Evangelium doceret homines.* Heumannus, repudiata probabili expoſitione Bezæ, Glaſſii & aliorum, quæ τὸ ὐ *non tam* reddit, ſuam tradit his verbis: „Apoſtoli non ipſi ſemper baptizarunt religionis Chriſtianæ candidatos, ſed plerumque per alios, eosque laicos. Hoc Petrum feciſſe patet ex Act. II, 41. X, 48. Paulus itaque hoc ait: Chriſtus non miniſtrum baptiſmi duntaxat me conſtituit, ut iuſſus ab aliis Apoſtolis baptiſarem, ſed eadem mihi cum illis iura, doctoris nimirum Evangelici dignitatem, tribuit."

Τὸ μωρὸν τῦ Θεῦ, & τὸ ἀσθενὲς τῦ Θεῦ, v. 25. eſt id, *quod*

Digitized by Google

quod Deus minus ſapienter & infirme facere videtur. Parallela his verbis leguntur v. 27. de rebus humanis. Τὰ μὴ ὄντα v. 28. ſunt *quae nihili aeſtimantur.* V. 29. pro αὐτȣ͂ plures codices, & ii antiquiores, τȣ͂ Θεȣ͂ legunt: ut adeo hæc lectio illi non immerito præferatur.

Ad v. 3. Capitis II. hæc commentatur Vir Doctiſſimus. „Verba: ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς, equidem reddo: *puſillo apud vos animo fui.* Docuerat Paulus (v. Act. XVII, 17.) Athenis; ſed riſu exceptus, paucos ibi Chriſtianæ religioni conciliaverat. Cum ergo ad urbem Athenis ſimilem, id eſt doctrina illuſtrem, Corinthum, accederet, verebatur ne eodem illic fato uteretur. Has tenues ſpes minuebat etiam malevolentia Iudæorum Cap. XVIII, 6. donec eas Servator, erigeret, v. 9. 10.“ Ad v. 4. defenditur lectio ἐν πειθοῖς λόγοις, quæ a multis mutatur, certe torquetur. De ἀποδείξει eiusdem verſus ita ſtatuit S. R. Auctor: Ἀποδεικνύειν non eſt hoc loco *demonſtrare,* ſed *monſtrare,* ipſumque Subſtantivum inde formatum *monſtrationem* deſignat. Reſpicit enim Apoſtolus ea quæ v. 1. ſcripſerat, ſe in proponenda doctrina Chriſti nec eloquentiæ nec ſubtilitatum philoſophicarum auxilio uti. Philoſophi puta & Oratores apud ethnicos, multa de virtutibus egregie diſputabant, neque tamen ipſi eas, vel auditores, vita exprimebant. Sed noſtra religio, inquit Paulus, hac vi pollet, ut auditores exemplum eorum quæ illis commendo, divino a Spiritu adiuti, præbere poſſint.“

Verba verſus noni C. II. iudice Heumanno, non eo ſenſu ab Apoſtolo ſcripta ſunt, quo illa Ieſaias, ex quo ducta eſſe videntur, uſurpavit. Propheta enim non de Meſſia loquitur; Paulus autem nihil aliud adducendis his ſententiis agit, quam ut inſtitutam orationem de felicitate æterna ſuavius exornet. Πνευματικοῖς πνευματικὰ συγκρίνοντες v. 13. eſt: res ſpirituales & coeleſtes interpretamur iis, qui S. Spiritus illuminationi ſe permittunt. Ἡμεῖς v. 16. non ſoli Apoſtoli ſunt, ſed & reliqui Chriſtiani. Νȣ͂ν Χριςȣ͂ ἔχομεν, non ſolum hoc vult: ſanctitati mentis ad exemplar Servato-

Digitized by Google

ris ſtudemus; ſed plenius: Conſilium Chriſti de ſalute noſtra, cum Patre captum, omnino novimus.

In Capitis III. verſus 13. 14. 15. ſuam facit Auctor Ven. interpretationem Chemnitii in Examine Concil. Trid. P. III. L. III. Sect. III. C. III. §. 19. additque, intelligendos etiam hoc loco eſſe auditores, qui doctorum ſuorum dogmata recipiant, vel ſana illa vel prava: nam & hos, ſi modo principes fidei articulos retinuerint, per ignem probari & intemeratos diſcedere. Dicit hic Noſter de vanis conatibus doctorum Pontificiorum, ex ſcintillis huius verſus Purgatorium accendendi, imo præcipuos quosdam ex eorum numero producit, qui nullum hic præſidium ignis purgatorii adeſſe fatentur.

Poſtremo eiusdem Capitis verſui hic ſenſus adſcribitur: Caput veſtrum Chriſtus, Chriſti caput Deus eſt. Conf. Cap. XI, 3. Dicitur vero Deus Chriſti caput, quod non ſolum humanam eius naturam creavit, ſed etiam ad ſalvandos homines eum miſit, eoque ad mortem usque obedientiſſimo uſus eſt. Atque hæc pertinent ad ſtatum exinanitionis Chriſti, qui facile patitur frequentes illas in Evangelio Iohannis voces, nihil iniuſſu Patris agere Filium.

Cap. IV. verſus 6. & 7. Chriſtianos Corinthiacæ eccleſiæ, exemplo Pauli & Apollonis admonent, ut doctores ſuos pari honore adficiant. Verſus 8. acrem refert ironiam. Hanc nonnulli in Chriſti & Apoſtolorum ſermonibus obviam eſſe perperam negarunt. Exemplis autem quæ Glaſſius in Phil. S. protulit, addenda ſunt loca, Matth. IX, 13. & Ioh. XXI, 15. Utinam, inquit Paulus noſtro loco per ſarcaſmum, domini aut reges iam eſſetis, tum ego quoque, qui princeps doctorum veſtrorum ſum, imperarem. Angeli v. 9. mali genii ſunt.

Crimen quod in principio Capitis V. caſtigatur, tale videtur fuiſſe Heumanno. Fuit qui cum noverca inceſtos amores agitaret, quæ nupſerat viro provectæ ætatis, eiusque tædio capta privignum adamarat. Ethnicam fuiſſe inde colligas, quod Apoſtolus in eam non ſimul animadvertit.

Digitized by Google

[illegible] Verba: συναχθέντων, κ. τ. λ. v. 4. concilium oſtendunt, in quo Servator ipſe, Eccleſia Corinthiaca, & Paulus aderant. Τὸ παραδοῦναι τῷ Σατανᾷ, Rabbinorum quidem formula, ſignificat *ex eccleſia eiicere;* at hic rectius de morbo atque doloribus, miraculoſa ratione inflictis, exponitur. Obſervat hic Noſter, hoc Apoſtolicæ poteſtatis exercitium non eſſe ad doctores Eccleſiæ hodiernæ translatum, eosque propterea, ubi quenquam coetu excludunt, recte omittere verba: *tradimus te, vel illum Satanae.* Verſum 7. peculiari Programmate Ven. Auctor A. 1756. illuſtravit, in quo verba καθώς ἐστε ἄζυμοι, ita ſumit ac ſi ſcripta eſſent: καθὼς ἄζυμοί ἐστε; *ſicut ἄζυμοι eſtote.* Haec interpretatio cum nexu orationis pulchre conſpirat; monſtratque mandatum Pauli, cui ſtatim ratio ſubiicitur. Vulgaris autem verborum verſio ſummam obvolvit rebus caliginem. Traiectio porro verborum qualem hic ſtatuit Heumannus, frequens occurrit in Pauli ſcriptis. Exempla ſuppeditat vocula ὡς, Rom. XII, 3. 1 Cor. III, 5. & VII, 17. item ἵνα, 2 Cor. II, 4. Gal. II, 10. 1 Cor. IX, 15. Hæc tranſpoſitio inprimis loca Rom. XI, 3. & Epheſ. III, 18. clariora facit, quod Beza aliique viderunt. Unicum huic explicationi opponas; videlicet, vocem ἐστε in N. Teſtam. non legi in Imperativo. Quod ſi ita ſe haberet, parvi tamen momenti obſervatio eſſet, cum aliunde hic vocabuli uſus ſatis cognitus ſit. Sed eundem probat Heumannus nonnullis in ipſo N. Foed. exemplis, 1 Cor. V, 7. 1 Theſſ. V, 4. Act. I, 8. Epiſtolam quam ſe ſcripſiſſe dicit Paulus, v. 9. deperditam credere fas eſt, velut plures illius aliorumque Apoſtolorum ad naſcentes coetus litteras.

Cap. VI. v. 1. 2. admonentur Chriſtiani, ut contentiones inter ſe exortas non ad ethnicos, ſed ad proprios arbitros deferant: cur enim non inter ſe minora negotia componerent, cum olim ſupremo iudicii die iudicanti Chriſto adſeſſuri ſint. Vox ἐπὶ denotat ſiſtentem ſe coram iudice, ut 1 Tim. VI, 13. Act. XXIII, 30. XXV, 9. Iudicium in angelos v. 3. idem eſt, cuius Matth. XXV, 41. mentio iniicitur. In ver-

Digitized by Google

ſus a 12-20. age adſcribamus Heumanni explicationem omnem. Ita vero ille: „Prohibent hi verſus ne dicamus, licere nobis quidquid vetitum non eſt. Scortatio v. c. a magiſtratu non prohibetur, nec punitur. Neque tamen idcirco ſectanda eſt. Nam omnes actiones quæ ſaluti noſtræ noxiæ ſunt, quamvis libere perpetrari poſſint, vitandæ ſunt. Non decet nos a pravis maioris partis moribus abripi, & cacoethes vulgi ſervili modo imitari. Dicat autem aliquis: Sicut venter cibis capiendis deſtinatus eſt qui corpus alant, ita & membris gaudemus, quæ voluptate fruantur. Illud verum eſt; hoc tum demum religioni & naturæ conſentaneum erit, ubi matrimonium rite inierimus. Corpus enim ſancte cuſtodiatur neceſſe eſt, quippe quod æternæ felicitatis aliquando partem capiet. Omnino cibus & venter mutui uſus cauſſa, hoc eſt vitæ humanæ commodo, adſunt. Uterque tamen res fluxa eſt, abolenda a Deo cum morte hominis. Corpus autem non ſcortationis cauſſa creavit Deus, ſed ut ipſi ſerviat. Neque illud abolevit, ſed reſuſcitabit olim mortuum, ut in omne ævum vivat. Quod maximum nobis eſſe debet caſtitatis argumentum."

Capite VII. quinque quæſtionibus Chriſtianorum ſatisfacit Apoſtolus. I. utrum præſtet cælibem manere, an matrimonium inire? v. 1. 2. II. utrum liceat coniugibus, debitum coniugale ſibi invicem negare? v. 3-6. III. utrum viduis & viduabus ſecundæ nuptiæ contrahendæ ſint? v. 8. 9. IV. utrum Chriſtiano divortium faciendum ſit ab uxore ethnica? v. 10-16. V. utrum cælibes a matrimonio dehortandi ſint? v. 25. ſqq. Ex v. 7. patet, Paulum dono continentiæ uſum eſſe. Facile etiam refelluntur qui illum duxiſſe uxorem exiſtimant. Matrimonium quod ἐν Κυρίῳ contrahitur, v. 39. illud eſt, quod Deo placeat, quo referri poteſt matrimonium Chriſtiani cum Chriſtiana, non cum femina gentile.

Ad Cap. IX. v. 18. Zeltnerus notatur, qui ſtatuit, Paulum accepiſſe ſtipendium a nonnullis eccleſiis. Quod ut probet, poſterioris Epiſtolæ Cap. XI, 18. profert; qui tamen

locus

locus interrogative, atque adeo ſic reddendus eſt, ut Apoſtolus potius neget, ſibi remunerationem eiusmodi tributam eſſe. Pro Θεȣ̃. ἀλλ' ἔννομος Χριςȣ̃ v. 21. legit Ven. Auctor Θεῷ καὶ Χριςῷ, ἀλλ' ἔννομος: hoc enim habent Codices plerique.

Cap. X. v. 9. non eſt legendum τὸν Χριςὸν, ſed τὸν Θεόν. Poſterius enim habet Codex Bezæ & Alexandrinus. Quam lectionem ſi recipias, diffugiunt difficultates, cum illa vulgari coniunctæ. Neque enim Exod. XVII, 7. Numer. XXI, 5. 7. Pſ. LXXVIII, 18. & XCV, 9. Iudæi *Meſſiam* dicuntur tentaſſe, ſed *Deum*. Ad v. 16. 17. Lutheri, Formulæ Concordiæ, Hunniique & Gerhardi loca quædam adſcripſit Heumannus, quæ formulam inſtitutæ Euchariſtiæ non eſſe metaphorice ſed litteraliter capiendam docent. Verba v. 28. Τοῦ γὰρ Κυρίȣ ἡ γῆ, καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς, quæ & v. 26. leguntur, nec Codex Claramontanus, nec Verſio Syriaca, nec Vulgata habet, videnturque illa utique a librario ex v. 26. per lapſum repetita eſſe.

Capitis XI. verſus primus rectius decimi Capitis exitum tenet, quo loco eum & Lutherus collocaverat, ut in editione bibliorum Wittebergenſi anni 1664. videre eſt. V. 4. docet, Pauli ætate indignum eſſe reputatum doctoris eccleſiaſtici perſona, in concione capite tecto dicere. Verſum 10. qui multos obſcuritate vincit, diligentiore & longiore illuſtratione (a pag. 411-446.) proſecutus eſt Vir Doctiſſimus. Iucunda eſt & ad acuendum iudicium apta narratio, quam de variis variorum huius loci interpretationibus ad pag. usque 438. deducit. Poſtquam in ſingulis reprehenſioni locum eſſe oſtendit, monuitque, unam ſupereſſe vocis ἄγγελος notionem, ab omnibus interpretibus prætermiſſam, ſolam vero ad declarandum locum hunc idoneam, his fere verbis eam tradit. „Voces מלאך & ἄγγελος generatim eum denotant *qui aliquorſum miſſus eſt*. Sed eorum genera multa ſunt, quæ contextus demum orationis patefacit. In his & illi ſunt, quos *emiſſarios, ſpeculatores, exploratores* adpellamus. Hi מלאכים dicuntur Geneſ. XXXII, 3. & Ioſuæ

Ioſuæ VI, 25. & ἄγγελοι Iac. II, 25. & κατάσκοποι, Hebr. XI, 31. Eodem ſenſu vox græca apud Polyænum legitur. Solebant autem ethnici ſæpius ſpeculatores in conventus Chriſtianorum mittere, qui illorum rationes explorarent, experirenturque, num vera eſſent quæ de illis in vulgus ſpargebantur. Refert hoc Tertullianus in Apologetico Cap. VII. & Lib. I. ad Nationes Cap. VII. Hi quum renuntiarent ſuis, in his conventibus feminas velato vultu ſpectari, neceſſe erat interire calumnias, quæ Chriſtianorum pudicitiam accuſabant. Horum ergo exploratorum cauſſa, ait Paulus, velamen feminis Chriſtianis in publica concione retinendum eſſe." Hanc Heumanni explicationem multis nominibus commendabilem adoptavit Laurentius Mullerus, ſeu, quemadmodum in fronte ſcriptorum ſuorum legi maluit, Theophilus Alethæus, in illuſtratione obſcuriorum utriusque Foederis locorum, lingua vernacula conſcripta, p. 272. & Chriſtianus Feuſtelius in Miſcellaneis ſacris p. 241. & 253. ſq. Eandem propria ſagacitate eruit Gerardus Croeſius, Auctor Hiſtoriæ Quackerorum, & Richardus Gough, ſacris apud Britannos præfectus, edita A. 1742. in hunc locum diſſertatione. Nam neuter horum commentationem Heumanni A. 1709. publicatam legiſſe videtur. Obſervat denique Noſter, Paulum data opera in hoc verſu obſcurius ſcripſiſſe, adhibita voce ambigua ἄγγελος, ne ethnici, in quorum forte manus epiſtola inciderit, ſentirent, ſuos notari emiſſarios. Eodem illum conſilio vocem ἐξουσία rariore ſignificatione induiſſe, quæ forſitan a plebe Corinthiorum ficta fuerit.

Ἡ Φύσις v. 14. eiusd. Cap. eſt *conſuetudo,* quæ recte altera *natura* dicitur; *conſuetudo* nimirum *inveterata.* Ita Salmaſius quoque de coma pag. 718. Grotius de I. B. & P. Lib. II. C. XII. §. 26. n. 2. & Pufendorfius de I. N. & G. C. III. §. 10. eam vocem reddunt. Αἱρέσεις v. 19. non ſunt ſchiſmata in minoribus fidei articulis, ſed hæreſes. Ipſa particula καὶ adſurgentem orationem indicat. Ad v. 23. 24. 25. ex Buddei Inſtitutionibus Theol. Dogm. p. 1101. ubi

ubi contra Werenfelſii diſſertationem in verba Domini, Hoc eſt corpus meum, diſputat, dein ex Mart. Chladenii Diſſ. de verbis inſtitutionis in S. Coena ex formula Iudaica non explicandis, quædam producuntur.

Capitis XII. verſum 2. 3. ita παραφράζει Heumannus. Accedebatis ad idola, quemadmodum ab ethnicis doctoribus veſtris manuducebamini, qui ſe & oracula ſuorum divino Spiritu afflari iactabant. Verum ego ſcire vos cupio, doctorem nullum, ſive ethnicus ſit, ſive Iudæus, qui Chriſtum repudiat eique maledicit, a Spiritu S. regi. Is duntaxat divino Spiritu eiusque donis gaudere poteſt, qui Servatorem noſtrum recipit. Σοφία v. 8. eſt *prudentia*, γνῶσις *ſcientia* multifaria; πίστις v. 9. fides, cuius auxilio Chriſtiani ſibi ipſi ſanitatem reddunt, orantes Deum ut eam reſtituat, certique ſunt, ſe voti compotes futuros; cf. Matth. IX, 22. & XV, 28. προφητεία autem v. 10. eſt explicatio Script. Sacræ. Ἀντιλήψεις v. 28. Heumanno ſunt conſtituti ab Apoſtolis Act. VI, 1. Diaconi, qui pauperum curam gerebant, item Diaconiſſæ; κυβερνήσεις vero doctores ordinarii, qui coetus Chriſtianos regebant, iidemque dicuntur 1 Theſſal. V, 12. προϊστάμενοι.

Capite XIII. v. 1. non de eo ſermone angelorum loquitur Paulus, quo illi ad nos delati uſuri eſſent, ſed de illo, quo ſua ſibi cogitata exponunt. Quod de caritate dicitur v. 4. ȣ̓ περπερεύεται, ſignificat eam non eſſe *iactabundam* & oſtentationi deditam. Καθὼς καὶ ἐπεγνώσθην v. 12. redditur; *quemadmodum & ego tum cognitus fuero,* ab aliis puta æternæ beatitudinis candidatis. Urget enim Heumannus, Aoriſtum, qui hoc loco adhibetur, futuri vim habere, veluti Ioh. XIII, 36. XV, 8. obtineat. Illos autem logomachiam exercere pronuntiat, qui ad v. 13. defendunt, non ſolam caritatem, ſed fidem etiam atque ſpem in vita æterna ſuperaturam.

Ex interpretationibus verſus 6. Capitis XIV. eam deligit Ven. Heumannus, quam b. Langius propoſuit. Verſus 21. & 22. non ex Deut. XXVIII, 49. ſed ex Ieſ. XXVIII,

11. 12. deſumtos credit; priorem enim horum locorum nonniſi exiguam partem eorum quæ hic leguntur, continere. Excidit hic magno Grotio, ut ſcriberet, Paulum verba hæc ex verſione Aquilæ accepiſſe, quæ tamen ſecundo demum Seculo nata eſt. Ad v. 34. & ſeqq. pag. 617. abiicit Vir Doct. ſententiam ſuam, quam ſupra p. 407. ad Cap. XI. v. 5. prodiderat, licuiſſe quodammodo feminis in Eccleſia docere. Hoc enim loco Apoſtolus diſerte & iteratis vicibus vetat feminas hoc iuris ſibi arrogare. Quid quod, cum in eo Corinthiaca Eccleſia erga feminas iuſto indulgentior fuiſſe videatur, ſubiratus quærit v. 36. quibus prærogativis nixi hanc ſibi Corinthii poteſtatem tribuerint, ut pro lubitu in eccleſia ordinem ſacrorum mutarent?

Caput XV. a pag. 629-821. explicatur. Exſtat in illud Commentarius Ioh. Crellii, Sociniani, Racoviæ A. 1635. editus, & alius Moſis Amyraldi, quem Carentoni A. 1659. publicavit. Sed noſtra ætate clariſſimus Groninganæ Academiæ Theologus, Daniel Gerdeſius, tredecim Diſſertationibus ab A. 1752. ad A. 1758. ſcriptis, quibus Diſputationes iſagogicas duas A. 1744. præmiſerat, idem Caput illuſtravit. Ii contra quos hic Paulus reſurrectionem mortuorum adſerit, Sadducæi ſine dubio fuerunt, qui ad Eccleſiam Chriſtianam primum tranſierant, mox ad priſtinos errores redierunt. Ἐι κατέχετε v. 2. vertendum eſt: *an* adhuc retineatis; hanc enim τὸ εἰ poteſtatem ſæpius tuetur, Act. XIX, 2. VIII, 22.

Verſum 5. 6. & 7. ſingulari commentatione A. 1740. explicavit Heumannus in Miſcellan. Groninganis Tomo III. p. 285-310. unde eam huc aliquanto breviorem tranſtulit. Expedit illa nodos quosdam narrationis Paulinæ, nimirum, quod quæ in hac occurrunt, ab Evangeliſtis omiſſa ſint; quæ hi referant, ea Paulus ſiluerit. Inter hæc oſtenditur, verſum 7. præponendum eſſe ſexto. Proclive ad mutandum ordinem ſcriptori librario fuit verbum ἔπειτα, quo uterque verſus incipit. Verſu quidem ſeptimo adparitio Thomæ facta traditur. Nam quem Paulus Iacobum adpellat, Tho-

Digitized by Google

Thomas eſt. Non erat illi proprium nomen Thomæ, ſed cognomen, quod teſte Iohanne C. XI, 16. XX, 24. XXI, 2. *didymum* ſeu *gemellum* notat. Sed cum in Apoſtolorum choro iam duo numerarentur Iacobi, quorum alter Marc. XV, 40. *ὁ μικρὸς, iunior* dicitur, tertius hic Iacobus a cognomine Thomas vocatus eſt. Ceterum illa verſuum tranſpoſitio aliis quoque exemplis firmatur ab Auctore Venerando. Docetur deinde, Chriſtum a Paulo non in ecſtaſi ſed oculis ſuis viſum eſſe. Adpellat ſe Apoſtolus v. 8. *ἔκτρωμα,* h. e. foetum abortivum, ſeu rem inutilem & abiiciendam. Ad v. 16. narrat Heumannus nonnulla de Treibero quodam, qui hunc locum impie tractavit. Vocem *ἐγένετο* v. 20. quæ ex plurimis Codicibus & verſione latina antiqua abeſt, & qua abſente ſenſus commodius fluit, repudiat. Chriſtus dicitur *ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων,* quia primus omnium ex reſuſcitatis a morte vivus permanſit, cum ceteri qui a mortuis revocati fuerant, mortem denuo oppetierint. Verſu 28. abutuntur Sociniani ad deprimendam maieſtatem Chriſti divinam. In expoſitionibus autem illius, quæ a pag. 701-713. recenſentur, optima eſt Cameronis, quam Langius Moshemiusque & Biblia Vinarienſia ſequuntur.

Iam de vexatiſſimo loco, de *βαπτισμῷ ὑπὲρ τῶν νεκρῶν,* v. 29. diſpiciamus. Verſatur hic primum Vir S. R. in recenſendis interpretationum divortiis a pag. 715-736. quibus plures p. 746-748. addit. Miſſis omnibus, ſuam exponit, quam paraphraſi incluſam exhibemus: „Cur autem tamen, cum tot Chriſtiani mortui ſunt, nihilque adeo iis quod in mundo ſperent, ſuperſit, cur præter hos tot alii baptiſmum & religionem Chriſtianam recipiunt, niſi ideo, quod credunt mortuos omnino reſurrecturos, eosque qui fidem in Chriſtum vivi morientesque conſervarunt, beatiſſimæ tum vitæ participes fore. Cur, inquam poſt tot mortuos Chriſtianos inſuper alii ad Chriſtianam religionem per baptiſmum accedunt.“ Non tacet Vir S. R. obiectionem huic expoſitioni metuendam; *τὸ ὑπὲρ* nimirum, ubi *praeter* ſignificet, non Genitivum regere, ſed Accuſativum. Fa-

 tetur,

Digitized by Google

tetur, ſe exempla in contrarium nulla habere, habet autem ex Latinis, ubi *ſuper* hoc ſenſu cum Ablativo iungitur, in Virg. Aeneid. L. II. v. 348. & Horatii Sermon. L. II. Sat. VI. Obſervat etiam pag. 750. ſcripſiſſe hæc Paulum ad eos, qui cum Iudæis ſtatuerint, corpus & animum pari ſomno premi ad diem uſque iudicii, ſimulque utrumque reſuſcitatum iri. Hæc plerorumque qui ſub Vet. Foed. vivebant, ſententia fuit, quemadmodum Heumannus programmate A. 1757. edito docuit. Imo eadem opinio MCCCC. p. C. N. annos in Eccleſia Chriſtiana regnavit. Sed hoc loco eam non impugnat Apoſtolus, verum potius, tamquam a lectoribus ſuis receptam, & ipſe adſumere videtur.

V. 32. non vere cum beſtiis ſe pugnaſſe ait Paulus, ſed metaphorice. Non enim prætermiſſurus hoc erat ipſe 2 Corinth. XI, 23 - 28. nec Lucas in Actis, ſi revera hoc periculum ſubiiſſet. Nec civis Romanus huic ſupplicio tradi poterat. Ergo & phraſis: *Κατὰ ἄνθρωπον,* reddenda: *ut ſic loquar,* quamvis ea nullibi hoc ſenſu occurrat. V. 41. lunæ claritas adſcribitur non minus quam ſoli, a quo tamen lucem ſuam mutuatur. Sed ſunt hæ *phraſes opticae*, de quibus nuper docte diſputavit Dietelmaierus, Theologus Altorfinus.

Subiungitur huic Capiti pag. 822. appendix quæ ad Cap. XIV. ſpectat. Huius verſio a Luthero noſtro inſtituta ideo maxime obſcurior videbatur Heumanno, quod is multis locis *lingua* pro *ſermo (Zunge* anſtatt *Sprache)* poſuit. Sed hic demum excuſat Lutherum, ſequentem in eo morem ætatis, quæ voce *lingua* pro *ſermone* uti ſolebat; quod hodie Germani reſpuunt, ſecus quam Romani.

Nec alia appendix, quæ paginæ 870. ſuccedit, tacenda nobis eſt. Hæc quidem illuſtris cuiusdam Viri interpretationem novam loci difficilioris, Luc. XVI, 9. *Ποιήσατε ἑαυτοῖς φίλȣς ἐκ τȣ͂ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας,* proponit. Momentum eius in eo verſatur, ut hæc verba *interrogative* capiantur: Conciliatiſne vel poteſtiſne conciliare vobis amicos opum terreſtrium beneficio? Interrogatio eſt negans.

Ac

Digitized by Google

Ac ſive τὰς φίλους *pauperes* eſſe dicas, ſive vocabulum hoc ad ipſum Deum referas, ſenſus facilis & Servatoris ore dignus elicietur. „Quamvis, inquit Chriſtus, divitiæ veſtræ multa vobis commoda & parata aliorum auxilia comparare poſſint, tamen eos amicos vobis non conciliant, qui in futura vita prodeſſe poſſint; vel hoc modo: tamen eæ Deum vobis propitium non reddunt, nec ab eo impetrant, ut vos aliquando in beatis ſedibus ſuis collocet." Non dubitamus nos cum Heumanno ſperare, multos hanc interpretationem libenter amplexuros eſſe.

Vir autem Summe Reverendus & meritis in litteras egregiis clariſſimus, rude nunc donatus, otiumque honeſtum & debitum ab ordinariis muneris laboribus nactus hoc conſilio, ut huic cum ſacris litteris conſuetudini omne reliquum vitæ tempus tribuere poſſit, incolumis & vegetus in hoc ſtadio perget, perfectique etiam operis gloriæ ſupererit, ſi modo vota noſtra, quod valde cupimus, rata fuerint.

USUS OPII SALUBRIS ET NOXIUS IN MORborum medela, ſolidis & certis principiis ſuperſtructus, a D. BALTHASARE LUDOVICO TRALLES, Medico Vratiſl. atque Academ. Caeſar. Nat. Cur. Adiuncto. SECTIO SECUNDA.

Vratiſlaviæ 1759. ſumtibus Caroli Godofredi Maieri, Alphab. 2. in 4to.

Magna cum animi voluptate legimus continuationem operis, cuius honorificam mentionem iure meritoque in his Actis noſtris faciendam eſſe haud ita pridem exiſtimavimus. Secunda hæc ſectio de ipſo uſu opii in morborum medela præcipit, & quomodo in curatione hæmorrhagiæ, febrium, ac dolorum, cum vero ægrotantium levamine, generoſum hoc pharmacon dandum ſit, abunde docet. Qui quidem morbi cum alios quamplurimos ſub ſe comprehendant, multisque aliis fere iungi ſolant; non minimam therapiæ ſpecialis partem Celeberrimo

Tralleſio obiecerunt pertractandam. Primo igitur generali de hæmorrhagiis, a cauſa interna ortis, tractatione docetur, hæmorrhagias opio tunc potiſſimum ſiſti, cum ſenſus in parte, ex qua effluit ſanguis, vellicans, mitigandus eſſe videatur; igitur opium illis tantummodo convenire hæmorrhagiis, quæ occaſione ſenſibilioris irritationis aut excitantur, aut continuantur, aut ſæpius redeunt; vel quæ occaſione inordinatorum ſpaſmorum in vaſis ſanguiferis ſubinde accidunt. Atque hæc iam pridem fuit ſententia Celeberrimi quondam *Ettmülleri* noſtri. Generale hoc effatum deinde applicatur ad hæmorrhagias e naribus, pulmonibus, ventriculo, renibus, & veſica urinaria, vaſis hæmorrhoidalibus, partibusque genitalibus mulierum. Ubique ſimul obviam itur dubitationibus ſcrupuliſque iniectis. Ita exempli cauſa, ut hoc utamur, oſtenditur, qui fiat, ut idem pharmacon & ſiſtere ſanguinis fluxum ex genitalibus, & provocare eundem queat? Nimirum, quia utrumque ſymptoma, ab una eademque cauſa, ſpaſmis ſcilicet, excitari ſoleat, facile intelligi, qua ratione ſymptomata adeo inter ſe diverſa ab una eademque medicina corrigi & tolli poſſint. Ad ſiſtendas ſanguinis ex utero muliebri fluxiones varia remedia externa, veluti Spiritum vini rectificatum, item epithemata ex aceto, nitro, & ſaccharo Saturni, nec non linteúm contortum & ſolutione vitrioli martis madens, peſſi in modum efformatum, aliquoties utilia fuiſſe, expertus eſt. Egregiam quoque opem in ſanandis fluxibus ſanguinis diuturnis attulit decoctum corticum aurantiorum ſubviridium, a *Ludovico Septalio* & *Riverio* laudatum; item rheum, parvis, ſed iteratis doſibus, diu uſurpatum; porro cortex Peruvianus, & fons Spadanus. Poſteaquam de hæmorrhagiis Auctor docte & plene diſſeruit, progreditur ad febres, quæ poſt ignem de coelo ſublatum incumbunt terris. Ac primo quidem oſtenditur, intermittentium febrium ſanationi conveniens remedium a priſcis iamiam medicis habitum fuiſſe opium; id tamen in ipſo paroxyſmo valde noxium eſſe ſolere, extra paroxyſmum vero datum, vi ſudorifera nonnun-

Digitized by Google

nunquam febrem, una cum cauſa eius, ex corpore expellere, ac cortici Peruviano quandoque cum fructu iungi, maxime quidem tunc, cum cortex datus, diarrhoea concitata, inteſtinorum canalem nimis cito tranſeat. In febrium acutarum curatione ab opiatis abſtinuerunt priſci ad unum omnes. Neque prius, quam dolenda illa methodus, acutis febribus per bezoardica & alexipharmaca medendi laudata eſſet, uſus opii in febribus illis invaluit. Ab hoc vero tempore multi celebres medici opio, ad refrænandos febriles impetus, uſi ſunt. Nocere tamen opium oſtendit Clariſſimus Auctor, dum pluribus evincit, opium non quadrare rationibus febrilibus atque inflammatoriis; retardare abitum in ſanitatem, ſi hæc beneficio naturæ, vel aliorum remediorum congruorum ſimul uſurpatorum ſequatur; favere generationi aliorum morborum, in quos interdum abit febris; accelerare mortem, eamque gignentes cauſas; adverſari indicationibus iuſtis; turbare coctiones & criſes; obſiſtere remediis veris; nil facere ad minuenda ſymptomata, ſed pleraque intendere, aut minus opportuno tempore & modo illa minuere. His tandem omnibus docte diſputatis additur: ſagaciores practicos ab uſu opii in febribus acutis abſtinere, eosque, qui opium laudent, haud raro ſibi ipſis repugnare. Poſt generaliorem hanc diſputationem agitur deinceps de variolis & morbillis. Ad illas enim ſanandas proficuum opium iudicarunt recentiorum plerique. Docet vero Cl. Auctor, ad primam variolarum febrem prorſus non pertinere opium: in ſecunda vero confidenter dari quidem poſſe, tanquam remedium perſpirationem movens, humoresque adeo verſus cutem determinans; attamen rerum ſuarum gnarum depoſcere medicum, qui alvi rationem habere recte didicerit. Morbillorum curationem tradens, opium fortaſſe, ſi febris languida ſit & torpeat, convenire exiſtimat; fluctuat tamen magis quam ut decernat. In quo Cel. Viri prudentem moderationem, atque laudabilem circumſpectionem, vehementer probamus. In mitigandis ſymptomatibus, palpitationibus cordis, pavoribus in ſomno,

ſomno, vomitu enormi, ſpaſmis motibusque muſculorum convulſivis, in tuſſi & diarrhæa, opium, prudenter datum, boni quid præſtare aſſeverat. A variolis & morbillis ad febres malignas tranſit Auctor, quarum princeps eſt peſtilentialis. Huius malignitati a veteribus, tantum non omnibus, oppoſitum eſſe opium, nemo neſcit. Clariſſimus vero Auctor de eius utilitate adeo decantata iure meritoque dubitat, imo opium, ad ſolutionem peſtis genuinam valere, ſymptomatibusque mederi, negat. Neque ad prophylaxin facere, teſtimoniis variis, (cum exempli cauſſa peſtis tempore publica divenditio theriacæ interdicta fuit, ut Gedani,) diligenter probat. De reliquis febribus malignis ſententiam non diſſimilem fert A. aliquando tamen diarrhæam opiatis caute regendam eſſe, fatetur. Pertractatis febribus ſubiungit dolorum therapiam rationalem. Ex qua præmiſſa deinceps elicit canones generales circa uſum opii, in mitigandis doloribus, in praxi clinica uſum inſignem habentes, qui fere ſunt: Opium ſolummodo minuere doloris ſenſum, ipſam eius cauſam vix attingere, vel ſaltem rariſſime eidem removendæ par eſſe: minus opportune datum, effectus quosdam producere, qui non a morbo, ſed ab ipſa data medicina pendeant; igitur obſcurare ac turbare morbos; dolorem tantummodo ad tempus mitigare, quo elapſo, ſiquidem cauſa manet, fere atrocius recrudeſcat; haud raro ne repetitas quidem opii doſes dolori mitigando pares eſſe, tum ſcilicet, cum doloris cauſa fortius, quam data medicina opiata, agat; opio minui excretiones omnes, ſola diaphoreſi excepta, igitur claudi vias, per quas alioqui elabi morbi cauſſa poſſet; interdum actionem cauſæ dolorificæ opio intendi, dum plethora, circularis humorum motus, orgaſmus, & humorum ad caput vergentia, illo augeatur; ſi dolor ſit morbi ſymptoma, non morbus ipſe, opium tantum præſtare palliationem; ſin dolor ſit morbus princeps, vel ſymptoma maxime urgens; eum ocyus opio mitigandum eſſe: tandem, ſi cauſa doloris vehementioris lateat, aut etiam cognita, vel plane non, vel ſero demum tolli queat,

ſi

Digitized by Google

ſi quid prohibeat, quo minus nervos male affectos deſtruamus, ſi emollientia aliaque remedia incaſſum adhibeantur, unum ſupereſſe auxilium, ut ſenſorium commune opio obtundatur. Et his quidem generalibus præceptis, ſuperſtruitur doctrina de mitigandis doloribus, qui morbos bene multos concomitantur. Sermo igitur Auctori cel. eſt deinceps de dolore pleuritico & cephalico, de cardialgia, de doloribus variis inteſtina peſſime habentibus, ſive illi a nimia nervorum mobilitate concitentur, ut fere accidit feminis hyſtericis; ſive a cauſa materiali, eademque acri, pendeant. Hinc de colica flatulenta, bilioſa, ſaturnina, inflammatoria; de ileo tandem & herniis, deque colica Pictonum agitur, & tempeſtivam medelam rationalem mitigationi ſymptomatum opium præſtare, & quando hæc poſterior admittenda ſit, pluribus oſtenditur. Poſtea nephritis, & ſymptomata inde pendentia, ſpaſmus veſicæ, rheumatiſmus in univerſum; rheumatiſmi particulares, veluti dolor iſchiadicus eſt, arthritis vera, eiusque variæ ſpecies, odontalgia, otalgia, ita pertractantur, ut nos ignoremus, an Auctoris experientiſſimi iudicium magis, an ſummam diligentiam in colligendis Medicorum ſententiis, admirari ac laudare oporteat. Sola operis prolixitas fortaſſe diſplicebit illis, qui ætate noſtra, ex librorum compendiis, doctrinarum & eruditionis diſpendia quærunt. Ceterum, vehementer cupimus, ut Sectio operis tertia, quam Cl. Auctor in præfatione huius partis promiſit, cito prodeat, bono rei medicæ. Ampliſſima Viro Cel. ſeges hic futura eſt, in quam excurrere mira eius ſolertia poſſit. Exhibiturum ſe ea dicit morbos convulſivos, & chronicos quosdam, tum & mentis morbos, morbos infantum, ſenum, ſexus item ſequioris, & quæ ad hæc capita quoquo modo pertinere videbuntur.

IAC. THEOD. KLEIN, IMPERIAL. ACADEM. Scient. Petropol. Regiae Societatis Londinenſ. & Academ. Bononienſ. Membri, Stemmata Avium, quadraginta

ginta tabulis aeneis ornata; accedunt Nomenclatores Polono-Latinus & Latino-Polonus.

Lipſiæ 1759. ap. Adam. Henr. Holle, pl. 6. tab. 40. quatern maior.

Novam & ſingularem viam in diſtinguendis variis avium generibus iniit Kleinius, V. Cl. quem nuper luxerunt Muſæ, quem diu non elugebunt, diu deſiderare non deſinent. Nam, quoniam totum avis corpus ſalvum & a putredine integrum ſervari non ſemper poteſt, affixit vir doctus capita, omnibus mollibus partibus reſectis, pedes, atque etiam linguas multarum, tabulæ, balſamum ſuperinduxit, & in occluſo armario ſub vitro curioſis oculis oſtendit. Qua ratione magna cum copia collecta eſſet, cepit conſilium earum imagines, tabulis æneis expreſſas, edendi. Sed aliter fato videbatur. Quare iam ante, quam in vivis eſſe deſiit, *Titio*, V. Cl. in Academia Vitembergenſi Mathematum doctori celebri, Collegæ noſtro, illud dedit negotii, huius ut operis edendi curam, pro veteri conſuetudine atque amicitia, ſuſciperet. Quod ab illo ita factum eſt, ut, ſi in vitam Kleinius rediret, non parum ſuaviſſimo adſpectu elegantiſſimi libri delectaretur, & bene ſuis partibus functum eſſe Titium fateretur. Charta eſt nitida, typi elegantes, tabulæ ſplendidæ, quæ quaſi incantamentis lectorum oculos deliniant, retineant, diuque retentos magna cum voluptate dimittant. Verſatus vero ita *Kleinius* in hoc negotio eſt, ut quaſi ſtemmata avium proponat, avesque in familias & genera, iterumque in tribus, dividat. Illas ex capite pedibusque; hæc ex roſtro diiudicari debere, ingenioſe, ad naturæ ductum tamen, arbitratur. Quæ diviſio, ut maxime naturalis eſt, ſic multum & doctorum hominum, & indoctorum, intellectum iuvabit. Singula capita & roſtra, una cum pedibus digitisque, eadem, quam natura illis tribuit, magnitudine, ope circini explorata, expreſſa ſunt. Quare provocat etiam Auctor viros doctos ad examen inſtitu-

Digitized by Google

ſtituendum, & ut circino menſuram avium explorent, eamque hiſce cum delineationibus comparent, cupit. Unde illos dicit intellecturos eſſe, multos, qui, quoad colores, aves eleganter depingant, in capitis tamen, pedum, & digitorum formis exprimendis, non iuſtam diligentiam adhibuiſſe. Sed neque acerbius examen Vir doctiſſimus ſubire recuſat. Turdorum exoticorum convenientiam cum indigenis, & noſtratium paſſerum per ſuos tribus cum avibus utriusque Indiæ, ſalvo hoc ſyſtemate, examinabunt. Non opus eſſe credidit, ut cuilibet generi ſingulæ ſpecies & varietates, vel etiam omnibus ſpeciebus ambo pedes adderentur. Verebatur, ne vel nimia copia tabularum tædium afferret, vel ſumtus augeret. Neque ſingula avium capita ad anatomicas regulas exegit, ſatis eſſe ratus, neglectis oſſiculis & compagibus, altitudinem cranii, & figuram formamque roſtri & mandibularum, obſervare. Eius rei, ut haberent Lectores noſtri exemplum, atque ut eos efficaciter ad legendum Kleinii librum invitaremus, primam Tabulam, quæ eſt de Strutio-Camelo, huic noſtræ recenſioni addidimus. Tab. I.

Deſcriptio avium latino quidem ſermone compoſita eſt, ſed, ne illius ignari hoc fructu careant, e regione Germanica verſio reſpondet. Cuiuslibet generis deſcriptioni brevis Obſervatio latina addita eſt. In ea Synonima, aliorumque auctorum deſcriptiones adducuntur, de natura avium monentur quædam, aliorum ſententiæ examinantur, & maxime memorabilia afferuntur. Sic in Tab. V. exhibetur *Iſpida;* cuius pes ab Edwardo negligenter exprimitur. Sunt vero *pedes*, obſervante Auctore, *tetradactyli, ſingulares: digiti, ſedente ave, per paria ante & pone: extra quietem pedes quaſi frondoſi.* — Quam fabricam Auctor, nec luſum, nec errorem naturæ, ſed anomaliam familiæ appellavit. Pag. 15. *caprimulgum,* quoniam apicem habeat roſtri aduncum, prouti omnes hirundines, non ad accipitres, ſed ad hirundines referri debere docetur. Pag. 17. obſervat Auctor, neque definitionem Barerei, cui paſſeres ſunt roſtro conico, craſſo,

Digitized by Google

valvis æqualibus; neque Moehringii, roſtro conico ſubito attenuato, Generi paſſerum ſufficere: ſed Tribus potius hic inter ſe confundi. Pag. 21. quis ſit uſus brevis membranæ, quæ intercedit Glareolarum digitum extremum & medium, exponitur. Huius nempe cuticulæ ope paludoſa loca facilius ſuperare poſſunt, ſimul ac curſu loca arenoſa; hac, ut accipitres, obtinent prædam & retinent; hac ad dimicandum, ut gallinaceum genus, utuntur. Aves aquaticæ faciliime hac natant, & mergunt. Pag. 34. copioſe de *Ploto*, ſ. *Phoenicoptero;* & pag. 35. de *Planco*, diligenter diſputatur. Subobſcuræ obſervationes hæ, exteris inprimis hominibus, ob verba Germanica admixta, & nimiam brevitatem, fortaſſis videbuntur. Sed cogitent, quanta Lectoribus ſæpiſſime, in eorum libris, devoranda incommoda ſint, ſi velint, quæ Scriptoris ſententia ſit, plane intelligere. Accedit, quod Kleinius intelligentioribus potiſſimum ſcripſit, quibus gratiſſima eſſe brevitas ſolet. Duplici indice, ſeu nomenclatore potius, bonam popularibus ſuis Kleinius operam præſtitit. Præfationem adiecit Cl. *Titius*, & libros Kleinii, ineditos quidem, ſed quibus ipſe, quaſi mortem ominatus, ultimam manum admovit, recenſuit. Qui ut a viro illuſtri, cuius in tutelam & fidem ὁ μακαρίτης illos tradidit, edantur, vehementer, Scientiæ naturalis commodo, optamus.

COMMENTARII SOCIETATIS REGIAE SCIENTIARUM Goettingenſis, TOMUS II. ad Annum MDCCLII.

Goettingæ 1753. apud viduam Abrami Vandenhoeckii, Alph. 2. pl. 8. tab. æn. 15. quatern.

Expoſuimus nuper de prima horum Commentariorum parte, nunc dicemus de altera, in qua idem, qui in priori, ordo ſervatus. Primum enim hiſtoria Societatis brevibus commemoratur, deinde diſſertationes, in conventibus recitatæ, exhibentur. En tibi, Lector, illarum argumentum.

I. *Io.*

Digitized by Google

I. IO. MATTHIAE GESNERI *Socrates ſanctus Paederaſta.* Ut, qui corpus iuris Iuſtinianeum omni poſita fronte reprehendunt, illiusque auctoritati, quantum fieri poteſt, detrahere conantur, in Iuſtinianum plerumque calamum ſtringunt; optimique principis nomini maximas infamiæ notas inurere ſtudent: ſic, qui veterum philoſophorum libros opprimere, atque e manibus hominum extorquere cupiunt, ſi patrem philoſophiæ in invidiam adducant, facilius ſe voti ſui compotes fore, arbitrantur. Eſt vero illud præcipue crimen iactatum varie ſæpiusque prolatum, Socratem impuro amori puerorum fuiſſe deditum. In quo diluendo etſi non pauci elaboraverunt, nondum tamen ſatisfeciſſe videntur doctiſſimo Geſnero, iterum qui boni philoſophi defenſionem ſuſcepit. Qui vero ſunt tandem illi, pæderaſtiæ qui Socratem poſtulant? Neque Cyrillus, neque Theodoretus, iniqui gloriæ Socratis, etſi illum ad libidinem proclivem fuiſſe ſcribant, de hoc crimine ullum verbum dicunt. Neque Ariſtophanes, acerrimus Socratis inſectator, neque alius quisquam ex antiquitate illa remotiore, & temporibus philoſophi propinqua, huius ſceleris accuſator eſt. Fuerunt recentiores quidam, & noſtri inprimis ſunt homines, cenſores vitio & ſine populi ſuffragio creati, Socrati qui diem dicant. Cauſæ facile apparent. Nam ut de naturali noſtra κακοηθείας, de invidia, de calumniandi libidine, quam philoſophis fere, fortaſſe iniuria, tribuunt, nihil dicamus: plurimi ſic legunt Platonis libros, tales ut inde errores neceſſario oriantur. Non uno tenore totos libras perlegunt: ab aliis dicta repetunt, ultra verſiones vix ſapiunt, quod primum in oculos incurrit legunt. Inde neſciunt, quam ſententiam Socrati Plato tribuat. Monendum eſt etiam, ſæpiusque inculcandum, caute & circumſpecte eſſe de iis, quæ in Platonis libris Xenophonti repugnent, iudicandum. Notum eſt illud Socratis: ὡς πολλά μου κατεψεύδεθ' ὁ νεανίσκος. Iam locus ille, quo, tanquam fundamento, tota accuſatio nititur, eſt in dialogo Platonis, Phædro. Ibi enim auctor huius Mythi, ſive Plato, ſive Socrates, animam

Digitized by Google

ait poſt mortem in locum pervenire, ubi vel poenas vel præmia accipiat, & mille exactis annis novum ſibi corpus eligere, ut novam vitam, ſive hominis ſive beſtiæ, inchoare poſſit. Quæ anima, exactis millenis illis annis, ter ſibi vitam *τοῦ φιλοσοφήσαντος ἀδόλως, ἢ παιδεραστήσαντος μετὰ φιλοσοφίας* delegerit, illam abſoluto ter mille annorum ſpatio pennas denuo accipere, in ardua tolli, deum aliquem ſequi, & contemplatione coeleſtium delectari. Nihil obſcoenum, nihil impurum hic latere & inde apparet, quoniam feliciſſima omnium animarum claſſis *τῶν παιδεραστησάντων μετὰ φιλοσοφίας* conſtituitur, maximumque illis promittitur præmium, & ex hiſce Socratis conſtat: *ὁ μὲν οὖν μὴ νεοτελὴς ἢ διεφθαρμένος, — ἡδονῇ παραδοὺς τετράποδος νόμω βαίνειν ἐπιχειρεῖ καὶ παιδοσπορεῖν. καὶ ὕβρει προσομιλῶν, οὐ δέδοικεν οὐδ' αἰσχύνεται* ΠΑΡΑ ΦΥΣΙΝ *ἡδονὴν διώκων.* Quare non debebat Lucianus Socratem accuſare, qui muſas advocaverit, virgines, *συνεσομένας τὰ παιδεραστικά*. Ubi vero in hoc dialogo non tam laudatorem, quam nimis mitem lentumque pæderaſtiæ caſtigatorem invenimus, ſeiungenda eſt Socratis cauſa a cauſa Platonis, qui illi tribuit, de quibus fortaſſe nunquam cogitavit. Quod ad Platonem attinet, diſtinguenda eſt perſona philoſophi a legislatoris perſona. Solon quidem graviſſimas poenas tam in corruptorem, quam in corruptum, conſtituerat: ſed fuit etiam in Græcia *παιδεραστεία* quædam honeſta, ſancta, qua ad virtutis amorem homines accendi, qua illis honeſtatis ſenſum quaſi inſpirari credebant. Laconem quendam, alias virum bonum, Aelianus memoriæ prodidit, nulla alia de cauſa multatum eſſe, quam quod nullum haberet, quem amaret, quem ſui ſimilem redderet. Quid igitur eſt, cur vitio vertatur Socrati eiusmodi amor adoleſcentulorum? At mitior fuit Plato, quam decet, quam par eſt. Scimus. Neque enim egit accuſatorem: non metu poenæ deterrere, ſed virtutis amore avocare voluit a turpitudine homines. Parcendum erat Alcibiadi, Critiæ, aliis, ab hoc crimine non plane puris; nec durioribus ver-

bis-

bis ſpes omnis ad virtutem reditus illis eripienda. Sed iam monuit Geſnerus, ſi quid in Phædro incautius dictum ſit, dictum eſſe culpa Platonis. Nunc videamus, an ex convivio Platonis aliquid præſidii accipiat Socratis defenſio? Primum ibi, ſi perſonas loquentes bene diſtinguas, ſi alle-gorias, ab amore venereo petitas, & ad animos, quorum lenonem ſe dixit Socrates, translatas, recte intelligas, nihil eſt quod caſtis auribus ſit indignum. Deinde ultima præſertim huius libelli pars attente legenda eſt. Hic Alcibiades, quem facundi calices diſertum fecerant, & vera ſe dicturum confirmat, & verbis honeſtis commemorat, quam fruſtra corporis forma fretus elaboraverit, ut Socratem ad impurum ſui amorem pelliceret. Neque ſe ſolum, ſed Charmidem quoque, Euthydemum, alios, fruſtra temperantiam continentiamque Socratis tentaſſe, fatetur. Ex eo vero, quod Critiam, pudori Euthydemi inſidiantem, ὑϊκόν τι πάσχειν dixit, hominemque potentem ſibi infeſtiſſimum reddidit, nonne ſatis apparet, expertem fuiſſe illum huius criminis? Sit vero expers. Alio nomine illum accuſabimus. Fuit malæ libidinis leno & ſuaſor. Nam in Xenophontis convivio ὀρχεῖσθαι πρὸς τὸν αὐλὸν σχήματα ἐν οἷς χάριτές τε καὶ νύμφαι καὶ ὧραι γράφονται, aptius convivio ſpectaculum exiſtimat. Verum hoc: ſed Gratiæ decenter veſtitæ pingebantur. Ipſa Ariadne illa ſaltatrix, ὡς νύμφη κεκοσμημένη, atque adeo non nuda erat. Interiecta de amore diſputatio, & exſecutio ipſa conſilii, omnem, ſi quam appellatio τῶν σχημάτων iniecit, ſuſpicionem eximit. Neque ipſe finis & effectus negotii habet aliquid, quod ſit reprehendendum. Quid vero? habuitne Socrates, ut quidam ſcribunt, duas uxores, Xantippen & Myrto? Erat ſane tum lex, ὥστ' ἐξεῖναι καὶ δύο ἔχειν γυναῖκας τὸν βουλόμενον, augendorum civium cauſa, quorum paucitate bello exhauſta Attica laborabat. De Myrto in matrimonium ducta excuſari poteſt Socrates, quoniam hæc Ariſtidis neptis, & vidua, & paupercula fuit. Sed melius de hoc iudicari poſſet, ſi exſtaret Panætii ea de re liber, a Plutarcho laudatus. Obiter interpre-

pretatur vir doctus nobilem illum locum, de equo pravo, ex Mytho Platonis de anima. Putat vero, non tam equi mali proprie dicti ſigna, quam ſui corporis formam, quatenus vitioſum inde ingenium colligebat Phyſiognomon Zopyrus, Socratem pingere. Quare ad libelli Ariſtotelici, *Φυσιογνωμικὰ* inſcripti, leges examinat Zopyri iudicium, & ex artis, qualis tum erat, præceptis defendit. Acuta hæc eſt interpretatio, & tota diſputatiuncula non iniucunda lectu. Sed maiorem veritatis ſpem nobis habere videtur, ſi Platonem, imaginem Homerici Therſitis expreſſiſſe dicamus. Certe, hunc locum cum Homeri illo de Therſite comparanti, non abſurda hæc coniectura videbitur.

Accedit Corollarium *de antiqua aſinorum honeſtate*, quo, quæ cel. Michaelis, in libello de Cherubis, de aſinorum in ſanctuario figura diſputavit, illuſtrantur. Summa autem corollarii hæc eſt. Antiquiſſimis temporibus Scriptores aſinis honorem habuiſſe: collocatos eſſe aſinos, fortitudinis bellicæ cauſa, in coelo: apud Hyperboreos *κλεινὰς ὄνων ἑκατόμβας*, Apollini iucundas, fuiſſe: Carmanes aſinis in bello uſos eſſe, & Marti immolaſſe: Gubernatorem Meſopotamiæ hodienum Turcis audire aſinum Meſopotamiæ, ob complura munera, quæ in illa inſula eius præfecto fortiter ſuſtinenda ſunt. Vellem, tandem manu mittant homines ingenioſi bonum aſinum, neque diutius vellicent, qui per aliquot ſecula tantis in deliciis illis fuit, ut, tanquam bellum filiolum, in ſinu foverent, mulcerent, blande cum illo luderent, de illo cogitarent, loquerentur, ſcriberent. Non ſine tædio legi poſſunt, quæ tum toleranda fortaſſe erant, cum nova viſa ſunt.

II. IO. DAVIDIS MICHAELIS *de ſiclo ante exilium Babylonium, commentatio.* Sunt huius libelli tria capita: primum de pecuniæ apud Hebræos origine & antiquitate exponit; alterum diverſum Iſraelitis ſiclum fuiſſe, ſacrum & vulgarem, neutrius pondus cum illo ſiclo convenire, qui ſub exitium reipublicæ Iudaicæ, ac Chriſti tempore in uſu fuit, mutabile denique vulgarium ſiclorum pondus fuiſſe, demonſtrat; tertium

Digitized by Google

tium de pretio ſicli ad res emendas relato quædam proponit. Fuit antiquiſſimus in Palæſtina, ortuque Iſraelitico longe ſuperior, uſus argenti. Abrahamus pro agro, ad uxorem ſepeliendam conceſſo, quadringentos argenti ſiclos ſolvit. Abrahamo Saræque, a Philiſtæorum regulo, mille argenti ſicli donantur. Emit Iacobus a Sichemitis agrum centum Keſitarum pretio. Quod male, auctoritate LXX. interpretum ducti, per agnos plurimi interpretantur. Nimis tenue pretium agri eſſent centum agni, ſic ne digni quidem quorum mentionem feciſſet Moſes. In frequentiovium agnorumque per totum Hebraicum codicem commemoratione, nunquam tale nomen agnorum occurrit. Interpretes ergo illi, cum ſcirent, agnos aliis populis pro pecunia eſſe, in ignoto vocabulo coniectura uſi ſunt. Eſt vero Keſita nummi genus, & ab Arabibus originem ducit. Illis enim verbum *kaſata* (קשט) rectitudinem indicat, propriumque uſum in librando habet. Unde verbum קשט (*kiſt*) ortum, & trutinam, & ſtateram, & numum ſignificat. De pretio Keſitæ nihil certi conſtat: maius fuiſſe videtur ſiclo, quia alias nimis vile munuſculum obtuliſſent Iobo, opulentiſſimo viro, divites amici. Utebantur igitur Iſraelitæ, in Palæſtina & Aegypto, pecunia. Mirum hoc videri poteſt: maximæ enim Iſraelitarum divitiæ greges erant. Sed vivebant in Palæſtina, atque inter Cananitas, magna qui habebant commercia, & inde pecuniæ uſum acceperant. Numi ſignati natales, vir doctus in Geneſ. XXIII, 16. apud Phoenices inveniſſe ſibi videtur. Nam per ſiclum *tranſeuntem mercatori, ſ. mercatorem transgreſſum*, (ex verbo עבר (*Abbara*), Arabibus in Piel numos appendere, & ſigillatim quidem, ut iuſtum pondus exploretur, indicante, coniecturam faciens,) intelligit maſſam argenti, ſicli pondere, a mercatore probatam, & ſigno impreſſo notatam. Antiquiſſimos enim ſiclos non regia auctoritate, ſed a mercatoribus exploratos notatosque fuiſſe, cenſet. Neque tamen exiſtimandum eſt, ſiclos, quorum pondus lege definivit Moſes, & quos ſanctos appellamus, cum ſiclis mercatorum, quibus quatuor ſe-

culis ante uſi ſunt, eosdem eſſe. Huic mercatorum ſiclo nimis mutabili & incerto, aut ſucceſſit, aut additus eſt a Moſe per aliquot ſecula duraturus ſiclus ſacer, certi ponderis. De hoc atque menſuris, ex tabernaculo ita exſtructo, ut, (ſicut in adytis Aegyptiorum menſuræ ſervabantur, ita ex illo poſt multa ſecula ſacerdotes Moſaicas menſuras & pondera definire poſſent,) ſi ſupereſſet, certo nobis conſtaret. Etſi enim Moſes, viginti Geras ſiclum ſacrum conſtituere docet: tamen, quanta ſit Gera, quæ ſit verbi vis, omnino ignoratur. Acute quidem vir doctus, ex eo, quod idem verbum, maſculina inclinatione (جَرو *Garr*) Arabibus conchas marinas ſignificat, quo multi, atque etiam Romani ante Numam, pro pecunia uſi ſunt; & quia Iudæorum magiſtris pecunia etiam מְעוֹת, obolus מעה ex Ieſ. XLVIII, 19. dicitur, (ubi animantia in arenâ fundoque maris ſunt מְעוֹת,) minores quam vulgo habentur Geras fuiſſe coniicit. Traditur vulgo, ſiclum Moſis ſacrum tetradrachmum Atticum, didrachmum Alexandrinum, Atticum ſtaterem, adeoque ſemiunciam Romanam fuiſſe; quæ pondera æqualia ſunt, ſibique invicem reſpondent. Sed minime ſiclum ſacrum ante exilium Babylonicum pro eodem cum illo, qui poſt exilium fuit, habendum eſſe, vir doctus exiſtimat. Magnam intulit exilium Babylonicum, moribus & linguæ Iudæorum, mutationem. Neque enim, ut in Aegypto, Iſraelitæ ſeorſim habitabant, ſed per Babyloniam diſperſi, neque linguæ, neque morum priſcum decus ſervabant. In menſuris deſcribendis Iudæorum Scriptores non patriis, ſed Babylonicis uſi ſunt, id quod ex eo conſtat, quoniam Ezechiel cubitum Moſaicum *cubitum angeli* vocat. Quare valde probabile eſt, Iudæos, Babylonicis moribus adſuetos, verum ſicli pondus non tenuiſſe. Ille ſiclus, cuius tertiam partem, ſub Perſarum imperio, præfectura fungente Nehemia, ſinguli, octogeſimo tertio poſt reditum anno, templo quotannis pendendam ſacrarunt, ſine dubio Perſicus ſeu Babylonicus fuit. Neque enim veriſimile videtur, Iudæos, Perſarum imperio ſubiectos, alia, quam

Digitized by Google

quam Perſica pecunia, uſos eſſe. Erat autem Perſarum Babyloniorumque ſiclus tertia pars illius ponderis, quod LXX. interpretes ſiclo tribuunt, ſeu, ſi ad Attica pondera exigas, drachma una & pars tertia. Neque ea de ſiclo ſententia, quæ ſub Græcorum imperio invaluit, ulla ſe perpetuæ traditionis auctoritate tueri poteſt. Etenim ſub imperiis Græcorum, tribus integris poſt excidium Hieroſolymæ ſeculis, ducentiſque & quinquaginta poſt captam Babylonem annis exactis, Alexandrinus interpres Pentateuchi ſiclum didrachmo Alexandrino æquat, Perſici ſicli pondere in triplum aucto. Sed ut nihil dicamus, ſuſpectum videri debere utriusque numi Græci & Hebraici idem pondus pretiumque, quod in diverſarum gentium ponderibus raro accidit, quoniam Græci Hebræique nummi idem etymon eſt, & Alexandrinus interpres Hebraicum שקל *appendit*, in prima ſicli mentione ἀπεκατέςησε reddidit, cuius verbi primitivum nomen dedit ſtateri, Alexandrinum didrachmum æquanti: non dubitandum eſt, Iudæos, ſub Græcorum imperiis, numum Græcum arripuiſſe, etymo vociſque origine cum ſiclo convenientem, atque hunc pro ſuo ſiclo ſubſtituiſſe, quamvis maioris ponderis eſſet. Hos primum Græce loquentes Iudæi ſecuti ſunt, & deinde alii religioſiores, (erant enim iam tum doctores, qui plus præſtari iubebant, quam lex ſcripta poſceret,) pro ſiclo Moſaico ſtaterem Atticum pendebant; liberati tandem Iudæi ſiclos ſacros, græco pondere ſtaterem Atticum æquantes, conflarunt, cum in tenebris antiquitatis facile ea opinio obtineret, plurimum quæ templo tribuit. Gera etiam nimis magna fieret, ſi Alexandrinum ſiclum pro Moſaico habeamus; neque pretia rerum a Moſe commemorata, ut ſervi Exod. XXI, 32. & Deuteron. XV, 18. ſatis apta ſunt, ſi ſiclum ſacrum ſtaterem Atticum dicas, qui illo multo minor fuit. Varium ante Moſen ſicli pondus fuit, & inſtabile: nam etſi ſiclum ſanctuarii ſtatuit, tamen reliquos ſiclos non ſuſtulit. Duplex fuit in Palæſtina præterea ſiclus, alius mercatorum, alius regius, qui multo minor ſemiuncia Romana, ſive ſiclo Alexandrinorum interpretum,

Digitized by Google

pretum, fuit. Abſalomo caput tondente, pilus capitis ipſius æquaſſe *ducentos ſiclos ex pondere regis* dicitur. Errat hic Clericus vehementer, qui more ſuo numeros corruptos eſſe clamitat, cum & Alexandrina Græca, & Ionathanis Chaldaica verſio, in hoc conveniant. Veriſimilior fiet hiſtoria tota, ſi (numero rotundo utitur vir doctus per coniecturam) decimam partem ſicli ab Alexandrinis confic̃ti faciamus regium, ut ducenti ſicli non ducentæ ſint, ſed viginti ſemiunciæ Romanæ. Atque tali ratione non Davidis theſauri tantum a fide abſunt, quantum, ſi aliam rationem ſequaris, abeſſe videntur. Neque enim illa auri argentique talenta maiora & plura videbuntur, quam ex opulentiſſima Arabia colligi potuerunt; neque timendum erit, ne incredibile ſit, ullis ſumtibus, in templi ædificationem faciendis, hanc auri argentique vim exhauriri potuiſſe. Quod, ſi quis talenta illa ad ſiclum Alexandrinum æſtimet, atque mille & quingentarum unciarum Romanarum talenta a Davide ſacrata fuiſſe, ut fere ſit, exiſtimet, non poteſt non accidere. E pretio denique montis Moriæ, & pondere regis Ammonitici, apparet, multo minorem ſiclum Davidicum ſemiuncia Romana fuiſſe. Sunt vero non pauca exempla, de quibus dubium eſt, ad quem quodque ſiclum referendum ſit: ut de armis Goliathi; etſi probabile eſt, ſiclum, ad quem exacta ſint, Alexandrino longe minorem fuiſſe: de mille talentis argenti, ab Ammonitis ad conducenda ſibi auxilia impenſis: de pluribus, ex quibus conſtat, duplicem ſiclum, minorem & maiorem, utrumque a Moſaico diverſum, in Palæſtina fuiſſe. Etſi igitur in vero & certo ſicli pondere definiendo paucæ ſunt difficultates, Clar. A. tamen ſententia de eo hæc eſt. Siclus regius unciæ Romanæ pars decima quinta ($\frac{2}{15}$ ſemiunciæ); Moſaicus, unciæ Romanæ pars nona ($\frac{2}{9}$ ſemunciæ,) fuiſſe, mercatorius circa Babylonicum oberraſſe ſiclum ſeu groſſum, qui fuit tertia ſemunciæ pars, ſexta unciæ, videtur. Hæc de ſiclo. Adſperſit ſubinde varia vir doctus, non iniucunda lectu, ut de Tyriis Sidoniiſque, primo nummo ſignato uſis: de oſtraciis pro pecunia adhibitis: de ingenti poſt exi-

ſium

lium Babylonicum morum Iudaicorum mutatione: de theſauris Davidis. de divitiis Arabiæ: de auro Hiſpanico: & alia huiuſmodi plura.

III. ALBERTVS DE HALLER *de partibus corporis humani ſenſilibus & irritabilibus.* Cum, quæ adhuc de utraque corporis humani vi diſputata fuerunt, nondum ſatis experimentis confirmata ſint, novam quaſi hanc diviſionem partium corporis, varie & exploravit, & illuſtravit Ill. Hallerus. Vivis enim animalibus, varii generis ætatisque, eam partem, de qua certior fieri voluit, nudavit, eam, animali quieſcente, & a quiritando remittente, irritavit ſpiritu vini, ſcalpello, lapide infernali, oleo vitrioli, butyro antimonii, & deinde attendit, an parte illa male adfecta animal ex quiete excitaretur, ſe iactaret, artum attraheret, an convulſio in eo artu accideret? Ad partes ſenſiles cutis, caro muſculoſa, ventriculi & inteſtinorum membranæ, veſicæ, tunica nervea, ureteris vaginæ, & uteri fabrica, penis, cor, lingua, oculi, retina præcipue, (quanquam nec chloroideæ, nec iridi deneganda hæc vis,) denique nervi referuntur. His enim partibus aliquo modo laceſſitis, manifeſta in animali doloris indicia deprehendimus. Inſenſilibus epidermidem, telam celluloſam, tendines, (etſi plurimi aliter ſentiant, decepti illa confuſione, qua νευρον & pro vero nervo, & pro τενοντι & pro συνδεσμω ſumſerunt,) ligamenta, capſulas articulationum, perioſteum, (quoniam pars ſit, in qua nulli nervi demonſtrari poſſunt; ubi ipſe vir Ill. ſe a toto prope genere humano diſſentire fatetur,) oſſa ipſa, oſſium medullam, meningem cerebri duram & piam, alias corporis membranas, ut peritonæum, pleuram, & mediaſtinum, adnumerat. Arterias in iis ſedibus credit ſentire, quatenus nervos habeant adnatos, cæterum obtuſo nullove ſenſu eſſe. Glandulæ in univerſum obtuſi ſenſus ſunt, quem habent a nervis, quibus ſæpe percurruntur, acceptum. Obiter hic obſervat vir Ill. ubi de dura matre agit, motum eſſe quidem manifeſtum, qualem Schlichtingius deſcripſit, in dura matre, aut in toto potius cere-

Digitized by Google

bro, & adſcendere cerebrum in exſpiratione, & deſcendere inter inſpirandum: ſed non moveri membranam neque cerebrum, niſi cranium demſeris, & venas maiores; cavam nempe utramque in toto thorace & abdomine, ſubclavias, baſilicæ partem ſuperiorem, & iugulares denique, alterno motu, cui perpetuus ſit cum reſpiratione concentus, agitari. Irritabilem illam partem dicit vir Ill. quæ ab externo aliquo contactu brevior fit. Irritabile igitur a ſenſili ita differt, ut & partes ſumme ſenſiles ſint, & tamen omni irritabilitate careant, & irritabiles absque ſenſu. Primum demonſtrat, irritabilitatem non, ut vulgo putant, a nervo naſci, verum ipſi fabricæ partis irritabilis innatam eſſe. Nervus enim, a quo omnis ſenſus ad animam perfertur, ab omni irritabilitate ipſe remotus eſt. Neque ideo pars corporis ſenſibilis eſt, quia irritabilis. Virtus illa ipſi parti innata eſt, non animæ imperium exſpectat, & in parte a corpore avulſa integerrima ſupereſt. Carent irritabilitate cutis celluloſa, pulmo, hepar, lien, renes, tendines, ligamenta; perioſteum, dura piaque mater, & omne genus membranarum. Arteriis irritabilitatem non plane quidem denegat, nondum tamen experimentis confirmatam vidit Vir Ill. In venis, & ductibus excretoriis, aut nullam, aut languidam eſſe arbitratur. Iris, ſi cauſa irritationis mechanica fuerit, irritabilitate deſtituta eſt, qua vaſa lactea non plane carent. Inter muſculos, qui omnes tactu contrahuntur, diaphragma, & muſculoſa membrana inteſtinorum, hac vi & oeſophagum & ventriculum ſuperant. Maximam omnium irritabilitatem in corde obſervamus, quam neque opium deſtruxit. Ex his apparet, nihil præter fibram muſculoſam irritabile eſſe, eamque vim in partibus vitalibus eſſe maximam: hæc vero irritabilitas in glutine fibræ muſcularis ſedere videtur.

IV. *In Parallaxin Lunae, eiusdemque a terra diſtantiam, inquiſitio: Auct.* TOBIA MAYER. Nimis eſſent huc multa transſcribenda, totum ſi diſſertationis argumentum explicare vellemus. Quare præſtat tacere, quam pauca dicere.

V. ABRAH. GOTTH. KAESTNERVS *de aberrationibus lentium.*

Quod

Quod in prima parte Commentariorum abrupit, pertexit filum vir doctiſſimus. Agit inprimis de aberrationibus, quæ a diverſa radiorum refrangibilitate oriuntur, quorum effectus & maior eſt, & diſtinctam viſionem magis impedit iis, quæ a ſola figura ſphærica proficiſcuntur. Quæ de his Hugenius diſputavit, & confirmat Kæſtnerus, & addit varia, ſimul viſionis confuſæ rationes ac menſuram definit.

VI. I. A. SEGNERVS *de parallaxi reticuli Aſtronomici.* Non fieri poteſt, ut reticula plana aſtronomica, ampliora præſertim, ita in tubi optici foco collocentur, ſingula ut eorum puncta ab obiectiva lente æquis intervallis abſint. Inde imago obiecti, quamvis immoti, quamvis immoto tubo, non poteſt non reſpectu linearum reticuli mobilis apparere. Quomodo igitur errores ex hac parallaxi oriundos vel tollere, vel certe ita minuere poſſis, ut nulli obſervationum generi multum noceant, Vir Ill. exponit.

VII. *Oſſium foſſilium inſolitae magnitudinis in praefectura vicina Herzbergenſi, A. 1751. e marga erutorum, deſcriptio* SAM. CHRIST. HOLLMANNI. Oſſa hæc, inſoliti ponderis & magnitudinis, elephantina primum videbantur. Exegit igitur doctiſſ. Hollmannus & comparavit accurate hæc oſſa partibus ſceleti elephantini, in *Transactionibus philoſophicis* diligenter deſcriptis: ſed multa & ſatis evidentia diſcrimina animadvertit. Tandem ex variis, quæ hic repetere nihil attinet, indiciis intellexit, oſſa hæc rhinocerotis, neque tamen unius, ſed plurium, minimum quinque, eſſe. Inventa ſimul ſunt & aliorum animalium oſſa, ut equorum, ingentis magnitudinis. Ipſe collis, qui in ſinu hæc oſſa habuit, vi aquarum, contra altiores montes irruentium, congeſtus eſſe videtur.

VIII. *Marmoris Caſſellani, quo Aeſculapius, Hygea, Teleſphorus celebrantur, explicatio* IO. MATTHIAE GESNERI. Repertum eſt hoc marmor in vicinia Athenarum, a legionibus duabus, quas anno ſeculi ſuperioris ſeptimo ſupra octogeſimum, Carolus, immortalis Haſſorum princeps, in Peloponneſum militaturas miſit, dein Caſſellas relatum. In eo explicando ita verſatur doctiſſ. Geſnerus, ut primum ipſius

mar-

Digitized by Google

marmoris litteras repræſentet, totumque, ut aiunt, textum proponat; deinde, uti quemque verſum legendum eſſe putet, declaret; (ubi illam ἀγχίνοιαν καὶ ϛοχαϛικὴν δύναμιν ſatis prodere potuit;) denique rem ipſam, ſubiectis notis, illuſtret. Habet marmor hymnos tres: primo celebratur Aeſculapius. Hunc hymnis, qui νόμοι etiam dicebantur, antiquos coluiſſe non eſt dubitandum, eo præſertim tempore, quo certamina quædam canendi in ludis illius, Ασκληπίεια dictis, inſtituta ſunt. Eſt inter Orphicos, eſt inter Homericos, hymnus in honorem Aeſculapii. Lucianus carmina Aliſodemi Troezenii & Sophoclis memorat; atque Ariſtides quædam in hoc genere ſolemnia fuiſſe ſcribit. Forte prima pars huius inſcriptionis eſt veteris poetæ alicuius, ſive Aliſodemi, ſive Sophoclis, cuius hymnum Aeſculapio dicatum Athenienſes cecinisſe ex Philoſtrato conſtat. Non iniucundum erit fortaſſe Lectoribus, ipſum hymnum legere. Eorum gratia illum adſcribimus.

Αγαθη τυχη

Ἔγρεο ὦ παιήων, Ἀσκληπιέ, κοίρανε λαῶν,
Λητοΐδε, σεμνῆς τε Κορωνίδος ἠπιόφρων παῖ.
Ὕπνον ἀπὸ βλεφάρων σκεδάσας, εὐχῶν ἐπάκουε
Σῶν μερόπων, οἱ πολλὰ γεγηθότες ἱλάσκονται
Σὸν σθένος, ἠπιόφρων Ἀσκληπιέ, πρῶτον, ὑγείαν.
Ἔγρεο ὦ, καὶ τεὸν ὕμνον, ἰήιε, κέκλυθι, χαῖρε.

Alter hymnus, ſ. Pæan, Hygeæ dicatus eſt. Eſt idem ille, cuius Lucianus de lapſu inter ſalut. cuius Maximus Tyr. diſſert. 13. cuius Athenæus, qui auctorem Ariphronem appellat, in fine Δειπνοσοφιϛῶν, mentionem facit; quem, præter alios, Scaliger in Poetices I. 44. edidit. Eius initium eſt: Ὑγίεια βρότοισι: ſed temporis iniuria in marmore miſere laceratus. Neque tamen plane inter ſe conveniunt verba hymni, ut Athenæus exhibet, & quæ marmor habet.

Tertium hymnum, Teleſphorum celebrantem, peſſime habuit

habuit imber edax, & longa annorum ſeries. Quare reſtituit illum, quantum potuit, Geſnerus, & de nomine atque hiſtoria Teleſphori, quæ illi non illuſtrata ſatis videtur, copioſe diſputat. Ex eo, quod nominis Teleſphori prima mentio, ſi tamen in nummis, (in nullo enim adhuc illud invenit, quam apud *Morellum*, in ſpecimine numar. ant. p. 52. qui nunus ſuſpectus videtur,) ſub Antonino Pio, imago paullo antiquior in numis, ſi non ſub Vitellio, certe ſub Hadriano, coniicit, vix ſeculo ſecundo & Antoninorum ætate antiquius hoc marmor eſſe; ſed nihil obſtare, quo minus tertio vel quarto adeo ſeculo poſitum ſit.

IX. *Nova methodus perficiendi inſtrumenta geometrica, & novum inſtrumentum goniometricum, Auctore,* TOB. MAYER. Eſt huius inventi ea ratio, ut ſine figuris intelligi nequeat, quam in ipſis commentariis invenient harum rerum ſtudioſi.

X. ALBERTI DE HALLER *obſervationes botanicae.* Plantæ, quæ & deſcribuntur, & iconibus illuſtrantur, ſunt hæ: 1) allium umbellatum, foliis fiſtuloſis, compreſſis, radice reticulo obducta: 2) allium radice ſimplici, foliis gramineis, umbella ſphærica bicolore: 3) Aſtragalus ſiliquis recurvis, depreſſis, hirſutis: 4) Aſtragalus caule erecto, ex alis ſpicifero, ſiliquis teretibus hirſutis: 5) Lathyrus foliorum paribus quinque, floribus racemoſis, ſiliquis incurvis: 6) Melilotus foliis hirſutis, rariter dentatis, ſcapo paucifloro: 7) Teucrium foliis cordatis, crenatis, petiolatis, ſpicis oblongis denſiſſimis: 8) Moldavica foliis cordato-triangularibus ſerratis: 9) Cataria floribus inverſis: 10) Axyris: 11) Pharnaceum: 12) Chenopodium caule brachiato, ramoſiſſimo, floribus ſpinulis inſidentibus: 13) Seſeli foliis glaucis, radice prælonga, ſeminibus ſubhirſutis: 14) Rhamnus inermis, foliis glabris, crenatis: 15) Flos deformatus Elatinae.

XI. D. IO. GEORGII ROEDERERI *Sermo de Mola.* Molam deforme eſſe ovum A. exiſtimat, quod iniqua ad embryonem & iuſto maiora incrementa capit, & cum embryone minore utero excidit. Eorum igitur ſententiam amplectitur,

Digitized by Google

tur, qui originem molæ imperfectae conceptioni tribuunt. Si quæ ſunt molæ, in quibus nullus embryo appareat, hoc inde evenire arbitratur, quod embryo ſub ipſum excretionis actum contentus, atque minimus, dirupta, in qua hæret, cavitate, cum ſanguine una effluit, atque omni examini ſeſe ſubducit; vel quod compreſſus ita vitiatur, ut humani corpuſculi partes non amplius diſtinguantur. Iure ad molas pertinere cenſet eas maſſas, in quarum medullitio, cavum liquore gelatinoſo plenum, cum corpuſculo quodam minore reperitur, dubie embryonem referente. Deſcribitur ſimul copioſe mola, quam, cum gravidam canem incideret, vir doct. obſervavit.

XII. L. GOTTF. ZINNII *Obſervationes ex corporibus morboſis.* Sunt obſervationes quinque. Proponit prima oedema pedis expreſſa vena crurali: altera Sarcoma utero adhærens: tertia ſuturas oſſium cranii, in puella undecim annorum, plurimas deletas: quarta portionem membranæ villoſæ inteſtini recti per anum excretam: quinta narrat, mamma virginis, cancro exulcerata, amputata, glandulas quasdam ſubaxillares, iam ſcirrhoſas & induratas, ex orta in vicino vulnere ſuppuratione disparuiſſe, & vulnus bene ſanatum eſſe.

XIII. IOH. PHILIPP. LAVRENT. WITHOFII *Anatome pili humani.* Varia de colore, annuo incremento, pondere, raritate ac denſitate, robore etiam pilorum, Auctor diſſerit. Animadvertitur in omni pilo primum tenue filamentum, & deinde craſſius tuberculum, ex quo pilus naſcitur. Hæc quaſi radix in maioribus pilis folliculo includitur, cui liquor viſcidus ineſt, ex minimis meatibus exſudans. Filamentum pili cortice pellucido, vel in nigerrimis pilis, plures fiſtulas ambit, quae exiguis filamentis transverſis colligatæ, in medio pili canalem, humore viſcido & globulis ſplendentibus plenum, faciant. Ex quo humore, color pilorum, per reliquas pellucidas partes tranſparet.

XIV. *Novae Tabulae motuum Solis & Lunae, Auctore* TOB. MAYER.

XV.

Digitized by Google

XV. IOH. GOTTFR. ZINNII *Obſervationes de Scirrhis Cerebelli & Cerebri.*

CONCILIA GERMANIAE: QUAE CELSISSIMI Principis, Ioannis Mauritii, Archiepiſcopi Pragenſis, ſumtu, Cl. IOHANNES FRIDERICUS SCHANNAT, magna ex parte primum collegit, dein P. IOSEPHUS HARTZHEIM, S. I. eiusdem celſiſſimi Principis impenſis plurimum auxit, continuavit, notis, digreſſionibus criticis, Charta & diſſertatione chorographicis illuſtravit. TOMUS I.

Coloniæ Auguſtae Agrippinenſium 1759. typo viduæ Ioh. Wilhelmi Krakamp & haeredum Chriſtiani Simonis. Alph. 3. Fol.

Mirifice lætabamur, cum ante aliquot annos, de conſilio Cl. *Hartzhemii*, colligendis Germaniæ Conciliis, edendisque, bene de patria promerendi, certiores fieremus, & Germaniæ honorem, nunquam antea habitum, gratulabamur. Neque enim, ut in Gallia *Sirmondus*, in Britannia *Spelmannus*, in Hiſpania *Garcia Loayſa*, ante Hartzhemium in Germania extitit quisquam, (*Lunigii* enim & Cel. *Pfaffii* opera atque ſtudium nimis anguſtis cancellis includitur,) qui inde ab ultima eccleſiæ memoria usque repetens omnia Concilia & colligeret, & litteris mandaret. Dedit Archiepiſcopus Pragenſis, Ioannes Mauritius, cui hoc munus in acceptis ferre debet reſpublica erudita; primum Cl. Schannato illud negotii, ut, quæ adhuc deeſſent, Germaniæ ornamenta afferret. Hic tamen, iratioris fati acerbitate ereptus Muſis, nihil præter triſte ſui deſiderium reliquit. Quare Cl. Hartzhemius, qui ſolius Provinciæ Colonienſis Concilia edere ſibi propoſitum habebat, quod morte Schannati abruptum opus videbatur, coepit pertexere. Iſtud ut ad finem perducatur, non ſolum vehementer optamus, ſed multo etiam iucundius & gratius fore profitemur hoc Opus, ſi Cl. Auctor, omnibus graviter di-

ctis in aliarum religionum mores, inſtituta, & diſciplinam, abſtinuerit; quod ſperare nos etiam Viri humanitas iubet.

Iam huius primi Tomi deſcriptio hæc eſt. Occupat primum locum Epiſtola ad Archiepiſcopum Pragenſem, modo laudatum, cuius etiam effigies in fronte libri conſpicitur, eleganti delineatione expreſſa. Hanc excipit Præfatio, ſatis longa, in qua Auctor & de inſtituti ratione, & de aliis, quæ præmonenda cenſuit, exponit. Indicantur primum fontes, ex quibus hæc hiſtoria hauriatur, nimirum Concilia ipſa edita, vel MSC. eccleſiarum Germaniæ, collectores vel Conciliorum, vel canonum certe in iis conditorum, atque Concilia, quibus Germaniæ Epiſcopi primo millenario interfuerunt. Deinde enumerantur Canoniſtæ, ſive canonum collectores Germani, eorumque vita breviter exponitur. Hi ſunt Bonifacius, Chrodogangus, Angilramnus, Simpertus, Hatto, Remedius ſ. Remigius, Halitgarius, Anſegiſus, Benedictus Levita, Rhabanus, Regino, Rutgerus, Burchhardus. Atque hic, qui a Baluzio malæ fidei, mendacii, & plagii reus poſtulatur, breviter defenditur. Præſtantiſſima Conciliorum & canonum collectio videtur Auctori Dionyſiana, Seculo VI. Romæ ſcripta. Porro variæ quæſtiones proponuntur, & illuſtrantur, quadam cum propoſita materia cognatione coniunctae: Quæ perſonæ vel ex iure, vel ex conſuetudine conciliis interſint? quo tempore concilia celebranda ſint? cuius ſit convocare concilia? ad ea ita reſpondet Auctor, ut diſciplinæ religionis, quam profitetur, conſentaneum eſt, & quod, quale ſit, nemini obſcurum eſſe poteſt. Atque hic etiam diſputatur de diviſione Synodorum in generales, nationales, provinciales, dioeceſanas; de Epiſcopis apud curiam principis morantibus; de materia conciliorum, quam fidei conſervatione, promulgatione errorum & confutatione, diſciplina Cleri, atque ordine & pace in hierarchia eccleſiaſtica, abſolvi arbitratur. Denique afferuntur cauſæ, cur Synodum Agrippinenſem, A. CCCXLV. celebratam, ut dicunt, & a Surio, Binio, Sirmondo, et aliis deſcriptam, omiſerit. Illam enim nullam fidem

mereri

mereri exiſtimat, ſed Seculi IX. aut X. figmentum eſſe, quod Abbas Laubienſis, Harigerus, Seculi XI. initio hiſtoriæ Epiſcoporum Leodienſium inſeruerit, ut inde gloria Sancti Servatii, Epiſcopi Tungrenſis, & Maximini Treverenſis, cæterorumque Germaniæ Rhenanæ & Galliæ antiſtitum, illuſtrior fieret. Quinque argumentis hanc ſententiam ſuperinſtruxit, quæ repetere non iniucundum erit. Conſtat, Euphratam, epiſcopum Agrippinenſis Coloniæ, cum Vincentio, Capuano epiſcopo, A. CCCXLVI. ex concilio Sardicenſi ad Auguſtum Conſtantium Legatum miſſum fuiſſe: nihil detrimenti capit hiſtoria epiſcoporum Germaniæ, eliminata vel obſcurata Agrippinenſi Synodo: habet ſinceriorem & indubitatum fontem, pro ſuis Seculi IV. epiſcopis aſſerendis, nempe Sardicenſem Synodum, cui Maximinus, Servatius, Euphratas, reliqui in Agrippinenſi Synodo laudati, interfuerunt: notum eſt, Photini hæreſin ante A. CCCXLVI. & Synodum Sardicenſem innotuiſſe eccleſiæ orientali, non igitur fieri potuiſſe, ut Patres eccleſiæ occidentalis, tanto temporum locorumque ſpatio interiecto, anno uno citius eam Coloniæ cognoſcerent atque damnarent, & Euphrates, quaſi illi errori patrocinans, ante A. CCCXLVI. damnaretur: floruit Euphratas maxima inſignis probitatis fama, nec ab ullo coævo Scriptore ſine laude nominatur: Maximinus ante A. CCCXLIX. ex oriente ad ſuam eccleſiam Treverenſem non rediit, & anno eodem diem ſuum obiit; Euphratas Colonienſis, A. CCCXLVI. CCCXLVII. CCCXLVIII. non Coloniæ, ſed in Oriente fuit. Omiſit Auctor etiam Concilium in Provincia Colonienſi, aut in Auſtraſia, ſub Theodorico III. circa A. DCLXIV. celebratum, in quo Lambertus & Leodegarius dignitate ſuorum munerum exuti, & in exilium pulſi dicuntur, & cuius primus auctor eſt Sigebertus in Chronico. Negat enim Auctor, probatam fidem ſecutus, hanc Synodum interceſſiſſe. His expoſitis, ſequitur Præfatio Chorographica & Hierarchica, de Epiſcopatibus Germaniæ, ab A. CCC. ad a. MD. Nam quia multæ eccleſiæ, quæ olim ad Germaniam referebantur, alio pervenerunt, maximaque mutatio

Digitized by Google

tio rerum facta eſt, et ea propter non licuit, ex hodierna ratione antiquum Germaniæ ſtatum metiri: non ſolum chartam ſ. mappam addidit Auctor, in qua antiqui temporis epiſcopatus proponuntur; ſed hanc quoque præfationem. Per veteris Germaniæ Epiſcopos intelligit V. Cl. illos, qui a Seculo IV. ad XV. in matricula, ut aiunt, Imperii, ut membra, proceres, principes Imperii Romano-Germanici, recenſiti inveniuntur. Hic enumerantur, qui, & quot de hierarchia Germanicarum eccleſiarum ſcripſerint, & ex Goldaſti *rerum Alamannicarum* T. II. ex Miræi *notitia orbis Chriſtiani*, ex *notitia antiqua Patriarchalium & aliarum eccleſiarum*, annexa novæ editioni *Geographiae Sacrae* Caroli a S. Paulo, (qui in totius orbis Catholici, primo millenario noti, deſcriptione, nullius eccleſiæ Germaniæ mentionem fecit,) ex Bertii *commentariis de rebus Germaniae*, brevia excerpta inſeruntur. Additur Catalogus eccleſiarum Germanicæ Hierarchiæ, ſeu Metropolitanarum & Cathedralium. In quo ita verſatur Auctor, ut earum primordia enarret, & epiſcoporum dignitates; deinde, quas eccleſias Metropolis quævis ſibi ſubiectas habeat, & qui eas circa A. MD. tenuerint deſignet. Sequitur index epiſcopatuum Germaniæ ab A. CCC. ad MD. ubi nomina, quibus cum veteres, tum recentiores illos appellaverunt, apponuntur. Huic adiunctus eſt Conciliorum & epiſtolarum canonicarum, hoc Tomo primo exhibitarum, duplex index, & chronologicus, & alphabeticus. Hunc excipit Catalogus Romanorum Pontificum, ſub quibus Concilia, in hoc Tomo recenſita, celebrata fuerunt, ab A. XII. ſeculi IV. uſque ad ſec. IX. A. XVI. perductus. Hic poſt nomen, nationem, ordinem ſucceſſionis a Petro, quando Pontificatum adierint, quamdiu illo functi, quando mortui ſint, relatum legimus. Agmen claudit & ſeries regum Franciæ Auſtraſiæ ex Merovingicis, in qua Auctor annum mortis, concilia ſub quoque celebrata, & pauca alia exponens, Cl. Eckhartum in hiſtoria Franciæ Orientalis ſecutus eſt: & ſtemma atque ſeries Francorum regum Carolingorum, uſque ad A. DCCCXVI.

Hæc

Digitized by Google

Hæc igitur veluti veſtibula magni ædificii emenſi, pervenimus ad ipſa Concilia Germaniæ. Hæc edidit Auctor ordine temporis vel certo, vel veriſimili, ex teſtibus coævis aut ſupparibus. Maximam partem Schannatum, ex Bibliotheca Vaticana, Moguntina, Wormatienſi item, et ex quibusdam aliis, quae ſingulae ſuo loco indicantur, deſcripſiſſe teſtatur. Retinuit etiam ipſa MSCtorum verba, neque a ſcriptura illorum receſſit. Quod ideo monemus, ne, ſi lectores bonum Priſcianum ſæpe non verecunde ſatis, nec humane tractatum, inveniant, id Hartzhemio V. Cl. tribuant. Praemonentur, ubi neceſſarium viſum eſt, quæ ad hiſtoriam Concilii, ad locum, ad perſonas pertinent. Epiſtolarum & canonum breve argumentum ſingulis eſt præfixum, utile & iucundum iis, qui, quid quodque complectatur, cognoſcere, nec tamen moleſtias, ex ſcribendi genere certe oriundas, devorare cupiant. Laudantur ubique auctores, e quibus illa petita ſint; & in notis ſubiunctis, quod exemplar Auctor ſecutus ſit, quæ ſint variæ lectiones, quomodo alii ediderint, exponitur. Afferuntur etiam aliquoties integræ aliorum notæ, ut Harduini, Manſii, Hanſizii, Sirmondi: cuius etiam admonitio de canone II. concilii Francofordenſis, quo reiecta eſt ſecunda Synodus Nicæna; & de Capitulari, ſeu L. IV. Caroli M. quos adverſus eandem Synodum ſcriptos Hadriano papæ miſit, tota pag. 322. inſerta legitur. Cuiuſcunque ſeculi conciliis ſubiuncta eſt digreſſio, in qua potiſſimum illud ſibi propoſitum habuit Auctor, ut, quibus conciliis extra Germaniam, in Gallia, Italia, Thracia, Germaniæ epiſcopi interfuerint, enarraret. Sed commemorantur obiter alia quoque, non iniucunda ſcitu. Sic in digreſſione ad ſecul. IV. exponit Vir doctiſſ. cauſas, cur ſeculo V. nulla Synodus eccleſiaſtica in Germania ſit celebrata. Cauſae ſunt tres. Romani primum Imperii in occidente imminutio; deinde Gothorum e ſeptentrione verſus meridiem migrationes, & incurſiones in Italiam, Galliam, Hiſpaniam; denique mutationes graviſſimæ circa Rhenum, dum Franci populi, & principes e Saxonia Oſt- & Weſtphalia, Rhenum tranſeuntes, Belgium

&

Digitized by Google

& Gallias occupant. Præſertim digreſſiones Seculo VIII. additæ, præ aliis memorandæ ſunt. Ibi agit Auctor de numero Synodorum a S. Bonifacio coactarum; &, aliorum ſententiis expoſitis, ſeptem minimum, (nam & octo vel novem numerari poſſe oſtendit,) diſtincta tempore & loco concilia, in Bavaria, Thuringia, Auſtraſia, Neuſtria, intra A. DCCXL. & DCCLIII. celebrata fuiſſe, ex epiſtolis pontificiis, ex Bonifacianis, ex actorum Apoſtolicorum natura, ſerie, & ſucceſſione, veriſimillimum iudicat. Ibi reſpondet Pagio in criſi Baronii ad A. DCCXLII. eique anno primum concilium Bonifacii alliganti; deinde Manſio, qui primum concilium Germanicum, a nullo vetere aut recentiore Scriptore memoratum, in quo tres epiſcopales ſedes, Wurceburgenſis, Buraburgenſis, Erphesphordenſis, in Germania a Bonifacio erectæ fuerint, ad A. DCCXLII. & ſecundum, cui Burchardus interfuit, & quod a Labbeo primum dicitur, ad A. DCCXLIII. refert. Deinceps Auctor etiam Eckhartum refutare aggreditur, qui A. DCCXLVIII. concilium habitum fuiſſe ſcribit, cui Auſtraſiæ & Neuſtriæ Epiſcopi interfuerint, qui omnes ſe Bonifacio ſubiecerint, & de unitate fidei convenerint. Primum epiſtolam illam ab Othlono Zachariæ tributam, qua tota haec ſententia nititur, pro fictitia habet, & in illa tres errores chronologicos invenit. Primus error eſt in *data* pridie nonas Novembris, imperante Domino Auguſto Conſtantino, anno XXXII. imperii eius, Indict. V; quem errorem Cointius & Pagius iam delendum eſſe exiſtimaverunt. Alter error, quod Bonifacius hucusque minime ſibi Cathedralem ſedem arrogaverit, & iam ante annum DCCLI. quadriennio in Moguntina cathedra ſederit. Tertius, quod Bonifacius, poſt ordinationem, annos XXV. in prædicando Evangelio conſumſerit; ab anno vero DCCXXIII, quo Romæ ordinationem accepit, ad A. DCCLI. non XXV. ſed XXIX. anni effluxerint. Deinde falſitatis ſuſpicionem ſibi inde naſci fatetur, quod omnes Scriptores coævi, & qui paullo poſt vixerunt, tota de re taceant, quam demum Sec. XI. primus & ſolus Othlonus commemorat. Accedit, quod epi-

epiſtola XCVII. Bonifacii ad Stephanum Papam, qua queritur, quod Colonienſis epiſcopus Hildegardus Ultraiectinam eccleſiam ſuæ ditioni arroget; adeoque parum memor fuit Bonifacius, ſibi Coloniam A. DCCXLVIII. a Zacharia ſubiectam fuiſſe. Eadem in digreſſione de progreſſibus ſcientiæ & ſtudii Canonici apud Epiſcopos Germaniæ Sec. VIII. de diſſenſu PP. Concilii Francofurtenſis A. DCCXCIX. a Patribus concilii ſecundi Nicæni A. DCCLXXXVII. de numero ſynodorum contra Felicis Urghelitani hæreſin coactorum, varia diſputantur. Cæterum hic Tomus primus a Sec. IV. incipit, & definit in Sec. IX. Primum locum Germaniæ primæ & ſecundæ epiſcoporum concilium loci incerti, A. C. CCCLVIII. Liberii Papæ VII. Conſtantii Imperatoris XXII: ultimum Capitulare Aquisgranenſe A. DCCCXVI, de rebus pertinentibus ad Epiſcopos & eccleſias, occupat. Etſi vero nos libenter fatemur, multa eſſe a Cl. Hartzhemio annotata, quæ a Crabbeo, Surio, Binio, Sirmondo, Labbeo, atque etiam Harduino omiſſa ſunt: ex Programmate tamen, quod ante biennium Vir Cl. de hac Collectione emiſit, intelleximus, non omnia cognita eſſe Viro docto & perſpecta. Sic deſideramus ad A. 1533. *Statuta ſynodalia epiſcopi Oſnabrugenſis,* ad A. 1539. *Statuta ſynodalia epiſcopi Hildeshemenſis,* ad A. 1571. *Statuta ſynodalia epiſcopi Osnabrugenſis,* ad A. 1630. *Statuta ſynodalia epiſcopi Osnabrug.* ad A. 1652. *Statuta ſynodalia epiſcopi Osnabrug.* quæ, ut cætera Oſnabrugenſia, ſunt in Collectione Colonienſi ex officina Kalcovii, A. 1653. edita. Neque tamen mirabitur quisquam, latuiſſe quædam diligentiam Viri docti, ſi, quam amplum campum ſibi propoſuerit, quam largam & copioſam materiam tractandam ſumſerit, cogitaverit, & inde intellexerit, quam prope ingenii humani vires excedat, prima vice perfectam eiusmodi collectionem exhibere. Merlinus, Pariſinus Sæc. XVI. Theologus, omnium eccleſiæ catholicæ conciliorum codicem primus inſtituit, atque duobus voluminibus

Digitized by Google

edendum curavit. Quam parum vero totum hoc argumentum Merlinus exhauſerit, inde apparet, quod deinde Regia Pariſina multis & magnis Voluminibus auctior collectio viſa fuit, quam tamen non ita perfectam & abſolutam cenſuerant, quin ſua adiicerent, Labbeus, Coſſartius, Harduinus. Eſt enim ea talium librorum indoles, ut vix unius, ſed plurium diligentia, & longa annorum ſerie, emendentur & perficiantur.

SERMO ACADEMICUS DE SIMILITUDINE VIS electricæ & magneticæ: in ſolenni conventu Academiæ Imperialis Scientiarum A. O. R. MDCCLVIII. die VII. Sept. cum Dies Nomini Auguſtæ Ruſſorum Imperatricis Eliſabethæ Primæ ſacer celebraretur, publice prælectus a F. U. AEPINO, in Academia Imperiali Scient. Phyſices Profeſſore rel.

Petropoli, typis Acad. Scient. pl. 4. in 4.

Ex quo tempore viri eruditi, rerumque naturalium curioſi, phænomena corporum electrica paulo ſtudioſius diligentiusque rimati ſunt, inde uſque fuerunt, qui ſimilitudinem vis electricæ & magneticæ ſuſpicarentur. Nihil tamen, quod applauſu valde dignum eſſet, de hac re ſcriptum eſt. Quare Cel. Auctor operam ſuam perbene poſuit, iſtiusmodi evulganda exercitatione, quæ & eximiam ingenii vim, ſummamque animi attentionem demonſtrat; & eruditorum hominum oculos in ſe merito convertit. Aſſerit autem Cl. Auctor: *eam eſſe inter phaenomena magnetica & electrica ſimilitudinem, ut nullum detur phaenomenon, a vi magnetica dependens, cui non poſſit ſimile inter electrica monſtrari; ſed non viciſſim.* Quod ut pateat, monet, duplex omnino eſſe genus electricitatis: alterum, quod in vitro polito, ac per manus aut pannos trito; alterum, quod in ſulphure & reſina ſimili

ſimili modo excitata cernitur. Quorum quidem illud *poſitivum*, hoc *negativum*, recentiſſimi rerum naturalium ſcrutatores appellare conſueverunt. Corpora, tam poſitive, quam negative electrica, in eo quidem ait prorſus convenire, quod omnia corpora electricitate non imbuta ad ſe trahant; at utrumque genus hoc inter ſe differre, quod corpus poſitive electricum ex corporibus electricitate imbutis eadem repellat, quæ a negative electrico attrahantur, & viciſſim quod a poſitive electrico attrahantur ea, quæ repellat negative electricum. Hanc autem legem plane ſimilem eſſe illi, quam ſequitur magnes: ab huius enim tam polo boreo, quam auſtrali, ferrum magnetica vi non imbutum æque attrahi, polum vero borealem, ſi experimentum inſtituatur in alio magnete aut ferro vi magnetica imbuto, eam ipſius attrahere extremitatem, quam repellat auſtralis, ab hoc attrahi eam quam repellat boreus. Attamen hanc eſſe differentiam, quod vis magnetica in ſolum ferrum, & corpora ferrei generis, agat; electrica vero actió ad omnia corpora hactenus nota pertingat. Præter hanc etiam videri aliam obtinere diverſitatem corporum electricorum & magneticorum. Scilicet, nullum magnetem unico tantum magnetiſmi genere præditum eſſe, ſed utroque. Id vero non ita conſtans eſſe in corporibus electricis, ut potius frequenter, quin ordinario, aut tota poſitive, aut tota negative electrica deprehendantur. Nihilo minus tamen analogiam etiam reſpectu huius phænomeni oſtendit Cl. Auctor, & in lapide quidem mirabili illo, qui ex Inſula Ceylon ad nos affertur, & *Trip, Tourmalin*, Germ. *Aſchenzieher*, vocari ſolet. Nam lapidem eum exercere electricitatem duplicis generis, alteram quæ frictione, alteram, quæ calore gemmæ inducto, excitetur. Priorem nonniſi vulgaria illa dare phænomena, poſteriorem magis eſſe mirabilem. Lapidem enim eo gradu caloris, quem habet ſanguis hominis bene valentis, calefactum, in altero latere eſſe poſitive, in altero negative electricum,

 prorſus

prorſus ſicuti magnes duplici magnetiſmi genere conſpicuus eſt. Neque lapidem in eo tantummodo ſimilem eſſe magneti, ſed in attrahendo etiam repellendoque analogas omnino ſequi leges iis, quibus adſtrictus magnes ſit; id quod in annotationibus huic loco ſubiectis ab A. uberius illuſtratur. Neque in ſolo lapide illo, verum etiam in lagena Lugdunenſi, notiſſima illa, analogiam illam obſervari. Lagenam enim iſtiusmodi more conſueto electricitate repletam, ac vitreo fulcro impoſitam, aut ex filo ſerico ſuſpenſam, in interna ſui ſuperficie electricitatem oſtendere contrariam illi, quæ in ſuperficie externa obſervetur. Quin & faciliori modo analogiam illam obſervari poſſe, ſi ex materia quacunque, per ſe electrica, ſumatur lamina tenuis ac parva, friceturque in altera ſuperficie panno laneo, alteri vero ſuperficiei applicetur digitus: tunc enim alteram fore poſitive, alteram negative electricam. Idem præterea alio modo obtineri poſſe docet Auctor: ſed nobis modus adhibendus eſt. Alia porro ſimilitudo electricitatis & magnetiſmi deinceps ab A. proponitur. Nempe, quemadmodum magnetis tanta ſit foecunditas, ut is innumera ferri fruſta vi magnetica donare poſſit, neque tamen quicquam virium ſuarum hac prodigalitate perdat: ita idem prorſus datum eſſe electricitati, quippe quæ communicatione virium ſuarum non fiat debilior. Interea negandum non eſſe, ab alia parte ingentem diverſitatem illorum phænomenorum apparere; quam tamen apta ratione explicari poſſe docuit Cl. Auctor. Scilicet, quamvis corpus electrificatum in virga ferrea, vitreis fulcris ſuſtenta, ſibique propinqua, ſed tamen abſque contactu, electricitatem excitet ea lege, cui obedit magnes: rem tamen aliter habere, ſi corporum amborum extremitates ſe invicem immediatè contingant. Tunc enim virgam electrificandam, per totam ſuam longitudinem, unico ſolum electricitatis genere donari, eo nempe, quod poſſidet corpus cui admovetur. Quod longe ſecus fit, ſi experimentum

Digitized by Google

mentum ſimile cum magnete inſtituatur. Verumtamen & huic difficultati medetur Cl. Auctor, cuius explicationem in arctius ſpatium cogere natura rei non ſinit. Poſthæc Vir doctiſſ. attingit novam aliquam ſimilitudinem inter vires utrasque illas. Nimirum, magnes virgæ ferreæ non admodum longæ vim ſuam ita communicat, ut virgæ extremitas altera borealem, altera auſtralem obtineat magnetiſmum. Sin virga longior ſit, res ſecus habet; non enim duos, ſed plures polos obtinet illa, hoc quidem modo, ut ſi v. c. altera extremitas habeat magnetiſmum poli borei, procedendo verſus alterum extremum invenies polum auſtralem, tum huic ſuccedentem boreum, & ſic porro alternis ſeſe ſemper vicibus excipiant poli contrarii. Idem in electricitate fieri aſſeverat Auctor. Cum enim provida ratione tentamen inſtitueret, rem eo perduxit, ut cylinder vitreus aut ſulphureus, plures quam duos per totam ſui longitudinem nanciſceretur quaſi polos electricos, atque hi ſibi alternis vicibus ſuccederent, partes eſſent poſitiva & negativa electricitate donatae. Tandem & de magnetis acusque magneticae vi, directiva illa, quae nautis viam per mare invium monſtrat, verba facit, docetque, phaenomenon iſtud eſſe nonniſi ſecundarium, atque a vi attractiva & repulſiva penitus pendere, indeque haud dubie effici, quod ipſe telluris globus vi magnetica imbutus ſit, ac ſuo iure pro magno, licet debili, magnete habendus. Itaque ſi comparatio magnetiſmi & electricitatis, qua vim directivam illam, inſtituenda ſit, corpus electricum, ut ſimiles ſint utrinque circumſtantiæ, vortici alii immerſum electrico imaginatur, quæque tum ſint eius, qua ſitum, mutationes, inquirit reperitque, ſi corpus, altera extremitate poſitive, altera negative electricum, circa punctum quoddam quaqua verſus liberrime ſit mobile, atque appropinquetur corpori immoto alteri, polis electricis ſimiliter prædito, fore in ſitu huius corporis variationes, cum iis,

 quæ

Digitized by Google

quæ in acu magnetica obſervantur, omnino coincidentes. Leges enim, quibus attractio & repulſio electrica adſtringatur, cum ſint iis, quæ circa magnetem obtinent, ſimillimæ, fieri omnino non poſſe, ut cauſæ analogae phaenomena non analoga producant. Superſunt pauca alia, ad magnetem pertinentia, quae, cum non admittant epitomen, niſi deſcribere velis; una cum iis, quae de cauſarum ſimilitudine Cl. AVCTOR differit, Lectoribus noſtris commendamus, ſuffectura, dum AVCTORI placuerit, hypotheſin de hac ſimilitudine iamiam elaboratam, & ad finem perductam, cum orbe litterato communicare.

DISCOURS POUR ET CONTRE LA REDUCTION de l'intereſt naturel de l'argent, etc.

i. e.

SERMONES PRO ET CONTRA REDUCTIONEM uſurarum pecuniae naturalium: ex Anglico ſermone verſi.

Veſaliæ 1757. P. I. II. III. in 8vo. Alphab. 1. plag. 16.

Sermones hi, dicti 1737. in Camera Communium Parlamenti Magnæ Britanniæ, occaſionem dederunt reductioni uſurarum a trientibus ad quadrantes. Vix tamen, quod mireris, in ullo Diario eorum invenias recenſionem. Pars I. abſolvitur introductione. Quærit hic Dn. Editor, an licitæ ſint uſuræ, idque adfirmat propter lucrum ceſſans, & damnum emergens. Sed quis de hac re noſtris temporibus dubitat? Prodit deinde conſilia quædam, quibus iuvari egregie ſalus Franciæ poſſit. Tale e. c. eſt p. 58. ut revocetur priſtina frugalitas: ut excitentur fabricæ et commercia: ut interdicatur conſuntio mercium peregrinarum. Suadet poſthæc p. 139. legi 500. viros eruditos, Mathematices inprimis et phyſicæ peritos, qui

qui cogantur in Societates, quæ diſtribuendæ ſint per omnes urbes regni maiores, ubi invigilent reditibus regni, et obſervationes ſuas Pariſios mittant. Ait, eiusmodi Societatem Galliae plus profuturam, quam ſemi-myriadem artificum et opificum. Inter ceteras curas, metalliſodinas non amplius negligi vult a civibus ſuis. Monet, eas olim feliciter cultas fuiſſe. Nam auro Gallico Cæſar, fuſo Pompeio, Romam ſubegit. Accedit, quod auri non expers eſſe ſolum Gallicum, teſtes ſunt Poſſidonius, Diodorus Siculus, Suetonius, Plutarchus, Tacitus, Gregorius Turonenſis, immo & Annales Franciæ recentiores. Se ipſum quoque, addit, eius rei experimentum feciſſe in montibus Sevennes, non ſine detrimento valetudinis ſuae. Blando denique nomine pag. 154. commendare nititur codicillos ſuos abundantiæ (Billets d'abondance), per quos fieri poſſit, ut tandem viris bonis, ſed egenis, exantlatis mille moleſtiis, bene ſit. Tandem diluuntur in fine obiectiones, quibus quidam premere docti Editoris conſilia auſi ſunt: quod eſt fatum privatorum omnium, qui, inconſultis Proceribus, emendationes temporum proponunt.

Hæc eſt ſumma Partis primæ. Iam ſecunda parte ſiſtuntur ſermones duo, alter pro reductione uſurarum, alter contra eam habitus. Pro reductione dicit illuſtriſſimus Dom. Ioannes Barnard, carus civibus, et cui vivo ſtatuam poſuerunt in Burſa Londinenſi. Contra reductionem ſurrexit Eques Robertus Walpoole, admixtis etiam pigmentis oratoriis. Dixit autem contra reductionem ill. Walpoolius, ut placeret hominibus opulentis, quorum ope dirigere ſolebat electionem membrorum Parlamenti, & pondus adderet conſiliis ſuis in camera ipſa. Ita eſt. In tali populi Anglicani libertate, ſemper extiterunt qui pro et contra, magna ingenii vi, dicerent.

Parte tertia exhibetur Sermo tertius, loco replicae pro reductione. Ignotum nomen auctoris eſt. Satis ille nervoſe rem agit. Eſſe indicio locus ſequens poteſt ex ſermone

Digitized by Google

mone eius pag. 295. Nihil eſt, inquit, quo vita humana indigeat, pro quo non pendamus tributa, præter ſolam aquam. Si quid etiam huic miſceamus, quo dulcior fiat, aut ſalubrior, iterum taxam ſolvimus. Aerem etiam non gratis haurimus, nec gratis cernimus radios ſolis. Solvimus enim taxam etiam pro feneſtris.

Obtinuit ſententia, quæ reductioni favebat: viderurque merito prælata alteri fuiſſe.

Philoſophice hoc argumentum iam diſcuſſerat Lockius, in ſuis *Some conſiderations of the conſequences of the Lowering of the intereſt, and raiſing tho value of money,* quae ſunt inter opera eiusdem, non ſine præſtigiis Metaphyſices.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maii Anno MDCCLIX.

CONTINUATIO PRIMA EMENDATIONUM HEUMANNIANARUM TERTULLIANI.

P. 282. lin. 31. pro *de veſtro? de quo*, ſcribo *de veſtra? de qua.*

P. 285. lin. 33. *ſi capit, crede*, id eſt, ſi credibile eſt, crede. Tò *capit* ſæpe ita uſurpat Tertullianus, itemque Latinus Irenæus. Vid. infra *Gloſſarium ad Tertullianum.*

P. 288. lin. 41. *pariant — non pariant*, a verbo *pariare.*

P. 288. lin. ult. pro *ſi non eaedem perſeveraverint. Aeque ſi perſeveraverint in iudicium*, ſcribo *ſi non eaedem perſeveraverint in iudicium.* Interiecta verba deleo.

P. 290. lin. 36. pro *glorioſus*, ſcribo *glorioſius*. Adverbium.

P. 292. lin. 30. pro *ſeptimo menſe nativitatis plena eſt, facilius, quam octavo*, ſcribo *ſeptimo menſe nativitas plena eſt facilius, quam octavo.*

P. 294. lin. 21. pro *quamdiu recenſeatur*, ſcribo *quamdiu non recenſetur.*

P. 298. lin. 11. *nulla ſomnia evacuant*, hoc eſt, nulla ſomnia pro vanis habent.

P. 301. lin. 6. *Quod hoc Menandri balneum? Magicum credo.* Hanc ſcripturam defendit etiam Gronovius, in *Obſervationum* ſuarum *ad Scriptores eccleſiaſticos capite ſecundo.*

P. 301. lin. 18. pro *contrectet, & credidit*, ſcribo *contrectet, & credet.*

Digitized by Google

P. 306. lin. 42. pro *operiendo*, ſcribo *opperiendo*.

P. 307. in libro *de carne Chriſti* lin. 2. pro *iſta ſtudent*, ſcribo *ita ſtudent:* & lin. 6. pro *quae in Chriſto*, lego *quia in Chriſto*.

P. 311. lin. 11. pro *vivorum avocatorem*, ſcribo *vivorum evocatorem*.

P. 311. lin. 12. *diſcentes*, id eſt, diſcipuli. Sic ſupra p. 141. lin. 13. & p. 212. lin. 38. & p. 228. lin. 34.

P. 311. lin. 27. pro *mutentur*, ſcribo *mutuentur*.

P. 313. lin. 32. poſt verba: *illi exclamationi:* omiſſa ſunt a librario verba mulieris: *Beatus venter, qui te geſtavit, & ubera, quae ſuxiſti.*

P. 325. in libro *de reſurrectione carnis* lin. 6: *At ego magis ridebo vulgus.* *Magis* ponitur pro *potius*.

P. 326. lin. 6. *Si vero & apud Deum aliqua ſecta eſt*, hoc eſt, ſi etiam inter Chriſtianos aliqua ſecta eſt.

P. 326. lin. 13. *alterius divinitatis haeretici*, hoc eſt, illi hæretici, qui duos ſtatuunt Deos.

P. 327. lin. 22. *quam tu ab illo*, ſubaudi *diſcas*.

P. 327. lin. 40. *& ipſorum temporum propria gula.* Alludit ad tritum illud: *Tempus edax rerum.*

P. 328. lin. 20. *diſtantiam*, id eſt, differentiam.

P. 329. lin. 30. *ſpolium*, id eſt, exuta veſtis.

P. 331. lin. 4. *&, ſi infirmam.* Pro hoc & quinque ſequentibus *& ſi*, ſcribo *etſi*.

P. 331. lin. 21. pro *cum noſtrum, ut Dei templum*, ſcribo *corpus noſtrum, ut Dei templum*.

P. 332. lin. 32. *de ſingularitate*, id eſt, de unitate.

P. 336. lin. 8. pro *cuius eſt revelari*, ſcribo *eius & relevari*. Sic ſupra p. 331. lin. 12. & infra p. 345. lin. 38.

P. 344. lin. 20. pro *decidet* reſcribit Cotelerius, in notis ad Clementis Romani *Epiſtolam ſecundam ad Corinthios p.* 100. *decedet*.

P. 352. lin. 25. pro *Expone enim — veterem hominem*, ſcribo *Exſpoliate* — (id eſt, exuite) — *veterem hominem.* Et ſic eſt in Vulgata *Coloſſ.* III. 9.

P. 367.

Digitized by Google

P. 367. lin. 2. *quae ſummum magnum Deum efficiat.* Uti Deus dicitur eſſe *ſummum bonum,* ita Tertullianus cenſet, eum etiam vocari poſſe neutro genere *ſummum magnum,* quemadmodum vocatur *optimus maximus.*

P. 370. lin. 23. *ſi aliquanto poſterior Moſes primus videtur,* hoc eſt, ſi Moſes, qui aliquanto poſterior eſt, primus videtur, &c.

P. 378. lin. 18. pro *multari erit, non liberari,* ſcribo *mutilari erit, non liberari.*

P. 381. in *libro ſecundo adverſus Marcionem* lin. 19. pro *Deum aliqui,* ſcribo *Deum alium.* Lin. 21. *&* *quando* ponitur pro *etiam quando.*

P. 382. lin. 6. *magnitudo non eſſet,* id eſt, Deus non eſſet tam magnus; quam magnus eſt, ſi magnitudinem eius mens caperet humana.

P. 382. lin. 37. pro *cui Deus cognoſceretur,* ſcribo *cui Deus non cognoſceretur.*

P. 382. lin. 46. pro *quae fecit tempus, — quae conſtituit initium,* ſcribo *qui fecit tempus, — qui conſtituit initium.*

P. 382. lin. 49. pro *provocantia,* ſcribo *provocatitia.*

P. 385. lin. 3. pro *occurreret,* ſcribo *curreret.*

P. 388. lin. 41. *Deum perfectum, & patrem, & dominum: patrem, clementia: dominum, patrem, diſciplina poteſtate blanda: dominum, ſevera.* Aliter eſt interpungendum, & unum verbum transponendum. Scribo iam ſic: *Deum perfectum & patrem & dominum, patrem clementia, dominum diſciplina, patrem poteſtate blanda, dominum ſevera.*

P. 389. lin. 18. *quibus etiam directò bona pro malis damnantur.* *Quibus* ponitur pro *a quibus.*

P. 391. lin. 15. pro *agebatur,* ſcribo *arcebatur.*

P. 392. lin. 30. *Hebraeis enim etiam filios,* ſub audi *necatos.*

P. 398. lin. 2. pro *averſionem etiam electorum,* ſcribo *ad everſionem etiam electorum.*

P. 399. lin. 20. *haereticorum Apoſtolus,* id eſt, Paulus, quem etiam Marcionitæ agnoſcunt Apoſtolum. Hinc p. 405. lin. 18. Paulum vocat *communem magiſtrum.*

Digitized by Google

P. 402. lin. 44. pro *Aliquantis enim indignis*, ſcribo *Aliquando enim indignis*.

P. 403. lin. 20. Omnino legendum *lubricos:* quod reſcribere in mentem venerat Rhenano.

P. 404. lin. 16. pro *Signum autem a Deo*, ſcribo *Signum autem Deo*.

P. 416. lin. 6. *quid omiſſis eis.* *Quid* ponitur pro *cur*.

P. 419. lin. 22. *id eſt, commiſeronem, id eſt, coodibilem*. Has interpretationes Græcarum vocum Priorius putat irrepſiſſe e margine in textum. Ego vero id non credo. Nam hæc verba, *commiſerones, et coodibiles*, infra p. 453. lin. 17. rurſus occurrunt.

P. 419. lin. 33. pro *nihil faciens*, ſcribo *nihili faciens*.

P. 421. lin. 8. pro *maluimus*, ſcribo *maluimus*.

P. 425. lin. 54. *in Baſiliis*. Hic eſt in græca verſione Veteris Teſtamenti titulus *librorum Samuelis et Regum*. Credo, Tertullianum ſcripſiſſe hoc loco, *in* Βασιλείοις, & p. 435. lin. 8. Βασιλείων. Eodem modo p. 438. lin. 43. & 445. lin. 2. *in* Ἀριθμοις ſcripſiſſe videtur, non *in Arithmis*, id eſt, quarto libro Moſis.

P. 431. lin. 35. pro *Domino virtutum ſermone*, ſcribo *Domino virtutem ſermone*.

P. 432. lin. 34. pro *qui auditui ſuſcitebat*, ſcribo *qui ad auditum ſuſcitabat*, ſubaudi *eos*.

P. 433. lin. 33. *pſalmus expungitur*, id eſt, impletur id, quod in pſalmo prædictum fuit.

P. 437. lin. 51. *Quisquis es, eperchomene.* Credo, Tertullianum ſcripſiſſe: *Quisquis* es, ἐπερχόμενε, & p. 440. lin. antepen. ἐπερχόμενος.

P. 441. lin. 34. *in haeretico*, ſcilicet *Evangelio*.

P. 441. lin. 53. *Viderit nunc, ſi aeternam*, id eſt, verbum αἰώνιον.

P. 441. lin. ult. pro *ſuffugi*, ſcribo *ſuffodi*. Sic p. 446. lin. 2. *ſuffodit*, & lin. 4. *ſuffoſſus*.

P. 465. lin. 29. *Chriſtianiſmi generoſitatem.* Hoc recte explicat Rigaltius ſupra p. 415. lin. ult.

P. 467.

P. 467. lin. 11. *boni duxit Deus per ſtultitiam praedicationis ſalvos facere credentes.* Uti dicitur *boni conſulere*, ſic noſter & hic, & p. 476. lin. 45. & p. 485. lin. 3. dixit *boni ducere.*

P. 474. lin. 30. pro *Oportebat enim corruptivum hoc, tenens utique carnem ſuam dicebat Apoſtolus, induere incorruptelam*, ſcribo *Oportet enim corruptivum hoc (tenens utique carnem ſuam dicebat Apoſtolus) induere incorruptelam.* Signa parentheſeos ſunt neceſſaria. Putat enim Tertullianus, Paulum hæc locutum eſſe δεικτικῶς, digito in ſuum corpus intento.

P. 477. lin. 18. *Quando opuſculum profligatur*, id eſt, quia opuſculum hoc propemodum finitum eſt. De hac phraſi vid. Parei *Lexicon criticum* p. 995.

P. 482. lin. 48. pro *Non Marrucine, ſed Pontice, cuius* (Chriſti) *ſupra ſanguinem confeſſus es, hic negas carnem*, ita ſcribo: *Non Marcion ne an Pontice, cuius ſupra — negas carnem?* Eſt enim interrogatio, et *non* ponitur pro *nonne. Marcionne*, inquit, *an Pontice*, id eſt, utrum Marcion appellari vis; an Ponticus? Erat enim Marcion in Ponto natus.

P. 484. lin. 35. pro *Antoniani Marcionis* ſcribo *Antoniniani Marcionis.* Aetatem Marcionis indicari, recte cenſet Ittigius *lib.* II. *de haereſiarchis cap.* VII. §. 2. quod ſcilicet Marcion vixerit ſub Imp. Antonino Pio. Nam & *cap.* 30. libri *de praeſcriptionibus* ſcribit, eum *Antonini principatu* vixiſſe.

P. 486. lin. 46. *ad unum hominem*, id eſt, Epiſtolam ad Philemonem.

P. 487. lin. 16. pro *ſubornantur*, lege ex linea prima *ſupparantur.*

P. 487. lin. 17. *Hoc apud Chriſtianos perſecutio eſt. Hoc*, ſubaudi *tempus ardoris.*

P. 487. lin. 19. *calentes & ipſi offendere, figere, occidere.* Scribo *valentes.*

P. 488. lin. 12. pro *Et quomodo non peccatorum deſiderat* mor-

Digitized by Google

mortem, ſcribo *Et quomodo non-peccatorum deſideret mortem? Non-peccatorum*, id eſt, eorum, qui non ſunt peccatores.

P. 489. lin. 32. pro *qui animae tuae par eſt*, ſcribo *qui animae tuae pars eſt:* & lin. 35. pro *nec velis*, ſcribo *ne velis*.

P. 490. lin. 20. *Dominus tradidit eos in manibus diripientium*. Nil mutandum. Nam ita etiam loquitur p. 509. lin. 30. & 34. & p. 512. lin. 13. & p. 537. lin. 11. Etiam Lactantius ita loquitur, in libri *de mortibus perſecutorum cap.* 35. *in manu traditis:* ad quem locum videatur Columbus, qui hanc dictionem probe tuetur.

P. 491. lin. 2. *In alium ictum conſideremus*. Pro *In*, ſcribo *Iam*.

P. 491. lin. 12. *de communi aliqua malitia certat*. *De* ponitur pro *ex*. Lin. 12. pro *adverſario*, ſcribo adverſatio.

P. 493. lin. 17. pro *in vitam redacturum*, ſcribo *in vitam reducturum*.

P. 493. lin. 38. pro *ut credas natione praecepta*, ſcribo *ut credas*, *ratione praecepta*.

P. 493. lin. 44. pro *puellae pſalticae*, ſcribo *puellae ſaltatricis*. Loquitur de Ioanne baptiſta.

P. 496. lin. 22. *ingratis luminoſus*. *Ingratis*, id eſt, *ingratiis*. Utrumque dicitur latine. Vid. Parei *Lexicon criticum*.

P. 501. lin. 14. pro *ſi quo minus*, ſcribo *ſi minus*.

P. 501. lin. ult. pro *ſine diviſione patiuntur*, ſcribo *ſine diviſione patiantur*.

P. 502. lin. 34. pro *non aliunde puto*, ſcribo *non aliunde deputo*.

P. 502. lin. 42. pro *Videmur igitur*, ſcribo *Videmus igitur*.

P. 505. lin. 40. pro *oportebat & patrem*, ſcribo *non oportebat & patrem*.

P. 506. lin. 56. pro *ut ſibi iuberet*, ſcribo *ut ſibi iuberetur*.

P. 510. lin. 28. pro *quia ille proprie*, ſcribo *quia illi proprie*.

P. 515. lin. 25. pro *expoſita neceſſitate*, ſcribo *depoſita neceſſitate*.

P. 519. lin. 9. pro *nos etiam ſimilitudinem*, ſcribo *noſtram ſimilitudinem*.

P. 522.

Digitized by Google

P. 522. lin. 23. pro *laicus ſemel,* ſcribo *laicus, qui ſemel.*

P. 526. lin. 38. pro *quae dum melius amittere, quam duos,* ſcribo *quae dum melius unum oculum amittere, quam duos.*

P. 527. lin. 11. pro *Quod pertineat ad antiquitatem,* ſcribo *Quod pertinet ad antiquitatem.* Sic & lin. 53. *Quantum pertinet ad initii reſtitutionem.* Sic p. 529. lin. 15. *quod pertinet ad legem.* Nam & hic *pertinet* legendum, pro *pertineat. Pertinet* ponitur pro *attinet.* Etiam Curtius ita loquitur VI. 11. 30. & IX. 2. 19.

P. 527. lin. 45. pro *rurſus α ad ω,* ſcribendum *rurſus ω ad α.* Error typographi.

P. 531. lin. 44. pro *quod enim ſemel eſſe deſiit,* ſcribo *quod enim unum ſemel eſſe deſiit.*

P. 533. lin. 7. pro *nihil enim cuſtodiendum eſt,* ſcribo *nihil tam cuſtodiendum eſt.*

P. 538. lin. 14. pro *erit ſtatus in toto,* ſcribo *erit ſtatus in tuto.*

P. 538. lin. 41. pro *facio, non diſcendo,* ſcribo *facio non diſcedendo.*

P. 538. lin. 47. pro *Quin aliud voluit,* ſcribo *Quid aliud voluit.*

P. 543. lin. 32. *qui non capit, diſcedat,* id eſt, fugiat.

P. 552. lin. 29. pro *cauſam navitatis,* ſcribo *cauſam novitatis.*

P. 552. lin. 32. *Iovem, hodiernum de Pythagora haereticum.* Pro *Iovem* ſcribendum videtur *Leonem. Leonem* dico illum *Metapontinum,* de quo videatur Fabricii *Bibliotheca graeca lib.* II. *cap.* 13. (quod caput exhibet clariores *Pythagoreos,) p.* 493. & *lib.* V. *cap.* 5. *p.* 384.

P. 553. lin. 36. *etiam ſpiritalibus,* id eſt, Montani aſſeclis. Ipſe ſe interpretatur ſupra *p.* 525. *cap.* 1.

P. 555. lin. 3. pro *qui minus caſtus,* ſcribo *qui minus inceſtus.*

P. 555. lin. 11. pro *Audio etiam,* ſcribo *Audio enim.*

P. 555. lin. 12. *Pontifex ſcilicet maximus.* Ironice loquitur. Legantur ad hunc locum Larroquani *Adverſaria ſacra lib.* 1. *p.* 63. *ſqq.*

P. 555. lin. 19. *Non habet,* (ſcilicet *Eccleſia,) quibus hoc repromittat.*

P. 555.

Digitized by Google

P. 555. lin. 24. *me non magis dedecorabit utilis levitas*, id eſt, inconſtantia.

P. 557. lin. 43. pro *& per medium eorum*, ſcribo *& medium eorum.*

P. 563. lin. 31. pro *in Prophetis proprius agnitum*, ſcribo *in Prophetis prius agnitum.*

SVLPICII SEVERI OPERA AD MSS. CODICES emendata, notisque, obſervationibus, & diſſertationibus illuſtrata. Studio & labore HIERONYMI DE PRATO, Veronenſis, Congregationis Oratorii eiusdem Civitatis Presbyteri. TOMVS PRIMVS.

Veronæ, typis Seminarii, apud Auguſtinum Carattonium, 1741. 2. Alph. 6 pl. quatern. maior.

Quod Cornelius Nepos de Pauſania dicit, illum *ut virtutibus eluxiſſe, ſic vitiis fuiſſe obrutum*, idem ſi nos de Veronenſi hoc Sulpicii Severi editore dicamus, neque nimis eum extollere, et eruditæ reipublicæ illudere, neque debita laude fraudare, atque doctrinæ et ingenio illius iniuriam facere, ſed vera quodque aurificis ſtatera examinaſſe nobis videmur. Intuemur non ſine voluptate typos elegantes, & auguſtos, atque chartam nive candidiorem & plane virginem; operarum vitia, ſi pauca exceperis, ſtudioſe evitata obſervamus; fortunæ, quæ tot codicum excutiendorum Pratoni copiam fecit, gratias agimus; ipſum denique Pratonem, vitam Martini egregie explicantem, multa in antiquitatibus medii ævi obſcura eleganter illuſtrantem, atque in vero cuiusque temporis momento indagando acutiſſimum, maximopere laudamus et admiramur: iidem tamen, neque recte, neque diligenter ſatis, illum ſuis codicibus uſum eſſe; multa, difficilia intellectu, præteriiſſe; alia ſatis nota explicaſſe; ſæpe in exponendis locis erraſſe; veram latinæ linguæ indolem ignoraſſe; non pauca ab

aliis

aliis iam obſervata pro ſuis venditaſſe; in textu mutaſſe quædam, nulla urgente neceſſitate, mutanda vero & defendiſſe, & reliquiſſe miramur, ingenueque fatemur, nos graviſſima iſta in diſſentientes convicia, iſtum bonorum & doctorum virorum contemtum, iſtam iracundiam, & inhumanum in omnes Lutheranae religioni addictos animum, ægre & moleſte ferre, atque ita iudicare: quantum Pratoni virtutes, nec paucæ, nec exiguæ, in hac editione conſpicuæ, gloriæ & ornamenti adferant, tantum hos mores viro, eas litteras, quæ ab humanitate nomen nactæ ſunt profitenti, plane indignos, hac editione comparandæ laudi & famæ detrahere. Quod ne quis temere a nobis dictum eſſe credat, paullo infra iudicii noſtri ſpecimina dabimus. Inſcripta vero eſt hæc Severi editio nomini Celſ. Cardinalis Quirini, quem tanquam primarium ſuum decus, egregiumque litterarum vindicem & ſtatorem, non ſine lacrumis luxerunt nuper Muſæ Italicæ. Atque huic viro tale munus congregatio Oratorii Veronenſis debebat. Ille enim ſua auctoritate effecit, ut reditus, a Benedicto XIII. ſibi conceſſos, retineret hæc congregatio, neque prius quievit, quam a Benedicto XIV. (a quo ita petiit, ut, ſi nollet precibus ſuis locum dare, tanta pecunia, quoad viveret, ſe ipſum multaret, quanta ex reditibus annuis huius collegii proveniret,) diploma Benedicti XIII. confirmaretur. Quare & litteras, teſtes huius favoris & benevolentiæ, & epigrammata aliquot Græca & Latina, in honorem illius compoſita, atque etiam ipſam effigiem Quirini, tabula ænea expreſſam, huic editioni adiunctam videmus. Sequitur præfatio, bene longa, & alias eleganter ſcripta, cuius duo ſunt capita. Quorum in primo de inſtituti ſui ratione Editor exponit, in altero Sulpicium contra illos defendit, qui eum fabulas falſaque miracula commemorare arbitrantur. Prooemii loco præfixum eſt iudicium de eorum labore & opera, qui ſibi huius Scriptoris libros de vita Martini emendandos, illuſtrandos, edendosque ſumſerunt. Lazii editionem, ex uno eoque, nec antiquiſſimo, nec optimæ

 notæ

Digitized by Google

notæ codice deſcriptam, multis foediſſimisque ſcatere mendis, iudicat. Qui vero cunque in Baſileenſi hac editione fuerint, eosdem bona fide in Pariſienſem, a. CIↃ IↃ LXXI. editam, transſcriptos fuiſſe errores, obſervat. Plantinianam, non omnibus quidem mendis carere, ſed præſtantiſſimam eſſe, & Giſelinum aut ſolum, aut præ ceteris ad hanc diem bene meritum eſſe de Severo, exiſtimat. Hornianam nitidam quidem eſſe, ſed nihil præterea boni habere, illiusque commentarium nihil omnino ad Severum illuſtrandum conferre. Vorſtianam ad ſolam Grammaticam ſpectare. Lipſienſem vero omnium manibus teri, oratorio verbo *eheu!* adiecto, vehementer dolet. Nunc videamus, quibus auxiliis opibusque inſtructus Prato ad edendum Severum acceſſerit. Habuit vero Codices præclariſſimos, & primum quidem antiquiſſimum quendam, quem Capitularem dicit, a. C. DXVII. ſcriptum, et plurimum ad emendandum Severum conferentem. Habuit porro codicem Brixianum, forte decimo ſecundo Seculo, vel non multo poſt, exaratum, et ex antiquiſſimo aliquo optimæ notæ codice transſcriptum. Habuit denique tres alios codices, Seculo XIV. ſcriptos, omnes eiusdem ætatis, eiusdemque pretii. Uſus etiam eſt initio duobus aliis codicibus, ſed poſteaquam eos aliis *fere* ad unguem reſpondere intellexit, hanc collationem omiſit. Adhibuit et Aldinam editionem: evolvit hos de Martino libellos a Bonino Mombritio in Vitis Sanctorum editos: Lazianam denique editionem Pariſiis recuſam, Mercerianam, Hornianam, porro eam, quam Bibliothecæ Patrum Margarini de la Bigne inſeruit, tandem Rosweidi editionem libri, Vitæ SS. Patrum, conſuluit. Talibus igitur tantisque opibus inſtructum Pratonem, quis non omnibus numeris abſolutam Severi editionem nobis tradidiſſe credat? Neque tamen in hac prima & nobiliſſima prope parte nobis Editor ita ſatisfecit, nihil ut præterea optemus. Nollemus, collationem duorum codicum, in quibus, niſi magnas, certe aliquas, diſcrepantias animadvertit, omiſiſſet. Veremur nos vehementer, ne,

Digitized by Google

ne, ut *aliquando* ſe alias editiones conſuluiſſe fatetur, ita in codicibus quoque tractandis verſatus, imitatusque ſit ſuperiorum ſeculorum criticos, qui tantum in iis locis, ubi in vulgato hærerent, Codices inſpexerunt. Atque hoc multis e locis de Pratone quoque coniicimus. Primum ſe ipſe fatetur, quoties locus et ratio poſtulaverit, ad expiſcandam & ſtabiliendam veram ſcripturam, codices codicibus compoſuiſſe, & ſi aliis, addit, impoſterum alios manuſcriptos libros cum hac editione conferre placuerit, hinc eſſe habituros, quæcunque meliora ſui codices prætuliſſent. At dudum docti viri, & in his Cel. Erneſti, in præfatione ad Tacitum, monuerunt, nihil quamvis tenue, quamvis vitioſum, in codicibus excutiendis eſſe negligendum, cum ſæpe vel ex corrupta ſcriptura vera lectio eliciatur. Cur igitur (p. 10.) tanquam re præclare geſta addit: *haec minutiora non curamus.* Quo iure (p. 78.) ſcribere potuit: *alias diſcrepantias minoris momenti omittimus.* Quid, ſi quæ Pratoni nullius, aliis magni momenti videntur? Ponemus aliquod, ſpeciminis cauſa, exemplum. In dial. III. c. 15. pro *militiae actibus ſorduiſſe*, habent Ald. & Laz. *militiae artibus. Male,* inquit Prato. Non repugnamus. At ſupra c. 11. pro *multis boniſque actibus praeditus*, habet codex Brix. *artibus*, & *praeditus* omiſit. *Quod tamen notare piguit*, ſcribit Editor ad illum locum. O! ſi hoc notare piguit, quod fortaſſe non omnibus mendum videbitur, ſed melius arridebit recepta lectione: quid tandem de aliis ſperes? Sed ſunt etiam in hac parte alia quædam παροράματα. Sic p. 90. omiſit notare coniecturam in Horn. edit. propoſitam, *Blemmyos* pro *Blembos:* ſic p. 142. ſcribit, in Lazio & quatuor Lovan. eſſe *pſeudophorum:* in ep. ad Deſid. c. 1. omiſit notare, quod notavit Giſelinus, τὸ *unanimis* omiſiſſe Lazium: ſic dial. II. c. 3. omiſit monere, Lazium legere *galligas mularum poenam*, ut monet Horn. editio. Neque etiam a Iureto obſervatæ lectiones verbi *Libroſſo,* in Vita Mart. c. 14. ſatis accurate deſcriptæ ſunt. Neque ratio reddita, cur *Poſtumianus* ſcribatur, cum in aliis editt. ſit

 Poſt-

Poſthumianus. Atque non libuit plura eiusmodi indagare. Verum cum in exemplis, typis expreſſis, non vitavit lapſum Prato, facile coniicere poſſumus, qualem fidem mereantur excerptæ ex codicibus lectiones, in quibus quam multa vel lynceos oculos lateant, et oculatiſſimi diligentiam fallant, nemo ignorat. Hic vero aliud quoque, non prætereundum vitium deprehendimus. Non ſemel Prato lectiones in textum recepit, neque tamen monet, unde illas acceperit. Sic p. 46. ad illud: *donec emenſa aeris iſtius vaſtitate,* hanc notam adſcripſit: *donec emenſa.* Capitularis *inmenſa.* Bivil. Ven. & Ald. cum Lazio *immenſa, ſed omnes mendoſe.* Vnde igitur illam lectionem hauſit? quid alii codices, ut Brix. & Batav. habent? Idem dici poteſt de dial. III. c. 4. ubi ponit *perculſus* in textu, neque, ubi legatur hoc, indicat. Nimis igitur negligentem ſe in Codicibus utendis præbuit Editor, nec multum laudis in hoc negotio ea de cauſa meretur, quoniam aliis moleſtam neceſſitatem, prorſus omnino tollendam, comparandorum inter ſe codicum & reliquit, & impoſuit. Hæc de primo capite præfationis. In altero, ut diximus, cum iis manum Editor conſerit, qui Severi de Martino libros, fabulis, fictisque ac portentoſis miraculis plenos eſſe, docuerunt. Hic vero illi præ aliis cum Clerico pugnam eſſe, facile apparet. Quem cum maxime conviciis refutet, & de miraculis ex religionis, quam profitetur, præceptis diſputet ea, quæ nemini ignota ſunt, vix illa repetere operæ pretium erit. Quæ autem ſupra de inhumanitate Pratonis diximus, ea nunc exemplis comprobabimus. Primum, quam contumelioſa, quam ruſtica ſunt, quibus in Clericum invehitur? *Iohannes Clericus, monſtrum hominis, nam cui potiſſimum ſectae addictum, Calvinianae ne dicam, an Arianae, an Socinianae, an omnino nulli, cum plerisque ignoramus, — hunc nobis ſumimus quaſi alterum Goliath, ſuo ipſum gladio obtruncandum.* At veremur, ut in Pratone Davidis ſit virtus, idque non ſine cauſa. Sed audiamus reliqua. *Videte hominis inſaniam. Pergit impudentiſſimus haereticus virus ſuum evomere —. Poſt-*

quam

quam calumniis in — evomendis rabiem ſuam furoremque ſatiavit Clericus. — mendax & oblivioſus Clericus, — o ſtultitiam incredibilem, o audaciam non ferendam! — mendaces, praeſtigiatores, impoſtores, periuros, omnesque huius farinae homines, abominationi maxime fuiſſe ſemperque futuros: quo in numero tu inprimis, o Clerice! habendus es. Sic meritum eſt tuum, — nunquam ſatis pro merito eius audacia, fallaciae, blaſphemiae, refelli, caſtigari, vituperari poſſunt. Sed ne in uno nimium commoremur, ad alios tranſeamus. Audiamus in primis, quid de Lutheranis Severi editoribus ſentiat. *Hoc perpetuum fere a Giſelini aetate ad hanc usque diem Severi fatum, ut ita loquar, fuit, ut impuris haereticorum hominum commentariis impune infarciretur, & contaminaretur.* Magna vero vox, magno hiatu pronuntiata! Hic ſane nihil deeſt, niſi dictatorium illud: *Quos ego!* Quid vero Hornius? Hic nihil ſapit, compilator fuit, *eſt heterodoxus homo, inſcitiae & oſcitantiae documenta prodit.* Claſſicus vero de Hornio locus hic eſt, p. 332. — *quidquid contra heterodoxi oblatrent, Hornius praecipue obſcoenus canis, qui ad ea Severi verba:* Hunc eſſe pro quo Martinus oraret, *plura, ut ita dicam, mendacia et blaſphemias, quam verba, effutiit.* Quæ vero ſunt illæ blaſphemiæ? quæ illa mendacia? *Ex hoc commento,* ait, *fabuloſus purgatorii ignis ſuccenſus eſt, ad quem ſe pingues monachi calefaciunt.* Hinc illæ lacrumæ! hinc illa iracundia! Neque ipſius Barthii, cuius annotationes, niſi vehementer erramus, melius Pratonianis verba Severi illuſtrant, nomini parcitur. Illius emendationem *circa eum,* pro *circa ſe, meras nugas* appellat, p. 43. Si vero illam ad nugas refert Prato, quid tandem de ſe ipſo dicet, p. 371. ad illa: *daemones, prout ad eum quisque veniſſet, ſuis nominibus increpabat* (Martinus), *Mercurium maxime patiebatur infeſtum, Iovem brutum* etc. hæc ſcribente: *Opinari libet, Mercurium Martino maxime infeſtum extitiſſe, quod ſub illo idolo daemon a Gallis potiſſimum coleretur, quos Sanctus Epiſcopus ab errore avertere ſatagebat.* Hic vero nullasne nugas Prato egit? Sententias loquitur?

Illum in eo, *quae — explicanda diſtuleras debitor ſponſionis evolvas ſomniaſſe,* legendum *exſolvas* ſcribit, p. 124. quod tamen & latinius eſt, &, ob verba *differre, ſponſio, debitor,* neceſſarium. Quare, adducta a Pratone exempla nihil iuvant, cum in eorum nullo hæc verba addita ſint. Simili figura utitur Severus in dial. I. — *non ſine fenore — depono ſermonem — nos habemus in quo tibi mutuum vel ſine fenore reſtituere poſſimus.* Eiusdem de origine ſignificationis *fatigari* pro iocis vexari, illudi, *ridiculam* eſſe arbitratur p. 65. Quid vero magis ridiculum eſt? Illa Barthii ſententia, ſi modo recte intelligatur, an hæc verba Pratonis? Ad illa enim verba: *puluere quo ſe ipſi foedauerant, caput atque ora conſperſi,* ſcilicet milites, quorum equi nullo modo ad progrediendum adigi poterant p. 105, hanc notam adſcribit: *doloris & poenitentiae ſignum, quod vel ex ſacris ſcripturis, ſi modo Chriſtiani erant hi milites, vel ex profanis poëtis haurire potuerant, praecipue ex* Virg. X. 844. O quanti eſt ſapere! Sed nolumus longiores in conviciis eiusmodi, quorum pudeat doctiſſimum Pratonem, congerendis eſſe. Forte, quoniam eorum mores, quibuscum vivimus, facile diſcimus, Prato etiam hanc aſperitatem verborum ex Sulpicio didicit. Qui, poſteaquam ſe mendacii poſtulatum eſſe ab aliquo commemoravit, *non eſt hominis vox iſta, ſed diaboli,* addit, & eiusmodi homines *infelices, degeneres, ſomnolentos* appellat. Verum hæc hactenus. Præfationem excipiunt Scriptorum quorundam de Severo illiusque libris teſtimonia atque iudicia, brevibus notis a Pratone illuſtrata. Hæc ſequitur Sulpicii Severi vita, in qua ſcribenda ſibi illud potiſſimum Prato propoſuit, ut et quæ dubia adhuc inter doctos luculenter exponat, & errores aliorum refutet. Tota vita in capita XVI. deſcripta eſt, unde notatu digniſſima excerpemus. Agit c. I. de nomine, ubi *Severum* proprium & peculiare fuiſſe nomen, *Sulpicium* vero cognomen, ſeu potius nomen gentilitium, atque *Sulpicium Severum,* præeunte ipſo Severo in epiſtolis, ſcribendum eſſe, docet. Cap. II. de Patria exponit. Opinionem

illam,

Digitized by Google

illam, quæ ipſum Aginni in Nitiobrigibus natum diſſerit, reiicit tanquam falſam, & potius in illa Aquitaniae parte, quæ ad Narbonenſem provinciam ſpectabat, non longe a Toloſa ſitam, fuiſſe Severi patriam coniicit. Cap. III. de Familia & fortunis: cap. IV. de anno natali, diſputat. De anno non plane conſtat, id unum conſtat, eum Paullino multo iuniorem fuiſſe, qui a. CCCLIII. natus ſit. Quare A. CCCLXIII. plus minusve Severum natum fuiſſe ſtatui poteſt. Cap.V. vitæ inſtitutum: cap. VI. uxorem eius prodit. Quod quidam ex celebri Baſſorum familia eam fuiſſe, coniecturam ducentes ex nomine ſocrus Severi, quæ Baſſula vocabatur, tradunt, non eſt probabile Auctori. Perturbata & inverſa fuit ſub Imperatoribus, nominum, tum viris, tum mulieribus imponendorum, ratio. Præterea ex illo ſequeretur, ſocrum Severi e Baſſorum familia ortam fuiſſe, non filiam, quæ ex patris potius familia appellanda erat. Errat Bailletus, qui Severum ſe mutuo conſenſu ab uxore, paullo antequam obiret, ſeparaſſe ſcribit. Hic coniicit Auctor, Baſſulam ſocrum, poſt filiæ mortem, Severum filii loco habuiſſe, & adoptaſſe. Cap. VII. Severum ſaeculo ſe abdicantem proponit. Quoniam eodem, quo Paullinus, tempore, i. e. circa annum CCCXCII. mundo valedixit, ut loqui amant, trigeſimum circiter ſecundum annum agens, ſeculo renuntiavit. Cap. VIII. num Severus monachus fuerit, A. quærit. Atque iſtud quidem adfirmat, ſiquidem Paullinus, qui monaſticam vitam amplexus erat, de Severi vitæ genere non ſecus ac de proprio loquitur: quoniam apud priſcos Scriptores, Severus Martini diſcipulus paſſim audit, atque ideo vitæ monaſticæ leges ab illo accepiſſe videtur: quoniam monachorum vitam egit, ciborum abſtinentiam adamavit, rudi & aſpero veſtitu uſus fuit, in ſolitudine & cellulis vixit: quoniam in Capitulari codice, tum poſt vitam Martini, tum poſt Dialogos legitur: *Per Severum Sulpicium, monachum Maſſilienſem:* quoniam a Paullino, in vita Ambroſii, titulo *ſervi Dei,* monachis tum temporis proprio, inſignitur. Neque Auctori monachus tantum, ſed etiam

etiam monachorum pater, ſeu abbas, Severus videtur. Id quod ex epiſtola Paullini V. n. 15. & XI. n. 4. & ex carmine ad Cytherium, v. 715. ſequ. apparere arbitratur. Cap. IX. in quos uſus Severus divitias ſuas impenderit, oſtendit. Cap. X. num Severus presbyter fuerit, & quo tempore, diſquirit. Vni cum Gennadii teſtimonio innitatur Severi presbyteratus, non videre ſe Auctor fatetur, quid hoc tacentibus ceteris valeat. In epiſtolis quidem a Baluzio editis, titulus *presbyteri* apparet, ſed in Capitulari antiquiſſimo codice nunquam hic titulus legitur, a librariis ſine dubio, ex auctoritate Gennadii, Severo additus. Cap. XI. quæ ab a. CCCXCII. ad annum CCCCV. egerit aut ſcripſerit Severus, commemorat. Cap. XII. num Severus a Pelagianis in ſenectute fuerit ſeductus, quærit. Auctor narrationem Gennadii, a quo omnis hæc ſuſpicio profluxit, in dubium vocat, illumque incertis & vanis rumoribus nimium fidei adhibuiſſe, exiſtimat. Neque enim, ut, ne longiores ſimus, reliqua taceamus, ſi Severus Pelagianis faviſſet, tam magnificis laudibus a Paullino Petrocorienſi, & Paullino Mediolanenſi, acerrimo Pelagianorum adverſario & accuſatore, celebratus fuiſſet. Cap. XIII. quæ de Severo Guibertus Martinus, Abbas Gemblacenſis, in Apologia ſcripſit, expendit. Varios in illa Auctor errores deprehendit. Falſum eſſe docet, Severum, relicta domo & cognatione, rebusque propriis in uſum pauperum conſumtis, ad Martinum ſe contuliſſe, & cum eo in Maiori-monaſterio, usque ad mortem illius, familiariſſime vixiſſe: falſum quoque, Severum mortuo Martino cellam Patris per quinquennium obtinuiſſe: falſum denique, Severum a Bituricenſi clero ex monaſterio eductum, archiepiſcopum eius urbis conſtitutum fuiſſe. Cap. XIV. num Severus hic ſit Severus ille, de quo Gregorius Turonenſis, in libro de gloria confeſſorum, c. L. loquitur, inquirit. Auctor ex temporum ratione nullam aliam inter hos Severos, niſi nominis ſimilitudinem, intercedere concludit. Cap. XV. coniecturam de loco & tempore, quo Severus mortuus ſit, proponit. Cenſet Auctor, Severum, ali-

quot

Digitized by Google

quot poſt CCCCVI. annis, a. CCCCX. circiter, aut aliquanto poſt, quinquagenarium fere, Maſſiliæ diem obiiſſe. Adductus eſt ad hanc coniecturam perpetuo Paullini poſt illud tempus de Severo ſilentio; Capitulari codice, Severum, monachum Maſſilienſem appellante; miſera denique & infeliciſſima temporum illorum in Gallia conditione, qua adductum veriſimile eſt ſe recepiſſe in maritimam aliquam urbem Severum, ubi tutus eſſe, & in alias, urgente neceſſitate, terras migrare poſſet. Cap. XVI. an Severo is cultus, qui Sanctis tribuitur, aut antehac habitus ſit, aut nunc habeatur, quærit. Profitetur quidem Auctor, hanc quæſtionem non ſui iudicii eſſe, ſed ad eccleſiæ arbitrium ſpectare: verum tamen addit, nec eſſe Severum inter Sanctos publico cultu honorandos hoc tempore computandum, nec unquam fortaſſe fuiſſe computatum, niſi ſecundario & oblique, quatenus cum Bituricenſi epiſcopo per errorem confuſus fuerit. Venimus nunc ad ipſos Sulpicii Severi libros, qui hoc primo Volumine continentur. Sunt vero ii, qui ad vitam Martini ſpectant, nimirum Vita, epiſtolæ ad Aurelium, Baſſulam, Euſebium, et Dialogi tres. In quibus edendis duo potiſſimum ſibi propoſuit, certe proponere debuit Cl. Prato, ut nos & verba Severi quam emendatiſſima haberemus, & dubia loca dilucide explicata legeremus. Iam illud cum non ſolum ex libris manu exaratis, ſed ex coniectura quoque ſæpenumero petendum ſit: nos quidem de illo iam diximus maxima ex parte, ſed ſunt adhuc aliqua monenda. Emendationes ex codicibus repetitæ ſunt nec paucæ, nec parvi momenti: præ aliis memorandæ videntur nobis hæ. In epiſt. ad Baſſ. init. pro *iuſto loro traheremus,* dedit *iuſto dolore.* In eadem ep. habent libri plerique *ſine delicto ullo,* unus Capitul. habet *dilecto,* ex veterum ſcribendi ratione, pro *dilectu* ſ. *delectu,* quod etiam in textu poſuit. In Dial. I. c. 28. *navigationis meae curſum longe ante praegreſſus,* quod iam Giſelinus coniecit, ex auctoritate codicis Capit. poſuit, cum vulgo haberent & *curſus* & *progreſſus.* In eod. dial. c. 10.

pro *duodennis*, quod in vulgatis antea fuit, & ex Pratonis opinione fortaſſe ex compendio ſcribendi *duodennis* pro *duodecennis* ortum, reponit *duodecennis*, idemque verbum, ut minime latinum, ex omnibus Lexicis expungi iubet. In Dial. II. c. 8. pro *Claudiomachus* ex MSS. ſcribit *Claudiomagus*. In Dial. III. c. 5. pro *totius ſermonis fidem apud te, Chriſte, depromimus*, invenit in codice uno *deponimus*, idemque melius huic loco convenire iudicat. Ibid. c. 13. invenit in codicibus *pſeudoforum*, & in textum recepit. Cap. 8. ibid. quod Giſelinus in Trudonenſi libro, Auctor in Brixiano invenit, & redonavit Severo, nimirum, *quae in conum ſublime procedens*, pro quo vulgo *thronum*. Ibid. c. 8. pro *quid me —ſic aſpicis!* ex MSS. ponit *accipis*. Ibid. c. 5. pro vulgato *omnes cuſtodia relaxari*, eleganter ſubſtituit *omnes cuſtodias relaxari*. Cap. 3. ibid. quoniam Capit. habet *ut pars ſummabonibus obſtr.* dedit *pars ſumma umbonibus obſtruendis* etc. in vulg. verbum neceſſarium, *ſumma*, deerat. Cap. 2. ibid. pro vulg. *Valentiniano*, ex Capit. ponit *Valentino*, quod, ut diligenter oſtendit, ponendum eſt. Dial. I. c. 28. *non poteſt omnium eſſe par gloria*, ex MSS. reſcribit. Ibid. c. 16. ex duobus codicibus *ſubinde reſtitans*, pro quo vulg. *reſpectans*, Severo donavit. In dial. II. c. 13. in Capit. invenit & antepoſuit vulgatæ, *ac obſtupentes*, lectionem elegantiorem, *mox horrore quodam circumfundimur, ac ſtupore*. In ep. ad Euſeb. ex capit. cod. *ne forte conſilio hoc, quod* etc. legit. Antea erat, *ne forte inconſultum hoc quod* etc. Præcipue memoranda eſt in Dial. I. c. 15. inſignis mutatio, qua pro *Memphis contiguum*, quod erat in omnibus codd. & edit. ex Brix. cod. poſuit *Blembis*. At in Dial. I. c. 12, contra omnium librorum auctoritatem, *τὸ faciam inquit Galle quod praecipis*, in *faciam inquit Sulpici, quod praecipis* etc. mutavit. Sed excedit medicina modum. Sunt profecto præcedentia verba, ut iam Giſelinus vidit, verba Galli, & *τὸ inquam* non indicat Sulpicium hic loqui, ſed eſt vox flagitantis vehementer, adhortantisque. In errorem adductus eſt Prato, quoniam ſuprá, poſt *Ego autem*, maiorem diſtinctionem

Digitized by Google

ctionem poſuit, quaſi eſſet, ego autem Sulpicius dico; ſed eſt ibi continuatus Galli ſermo, ego autem — graviter iraſcerer etc. Hæc profecto expoſitio huius loci eſt veriſſima. Sed fac quoque nos errare, non tam librariorum, quam ipſius Severi negligentia accuſanda, & verbum *Galle* erit retinendum. Notum eſt, talia in dialogis παροράματα apud optimos auctores inveniri, ut apud Ciceronem in L. V. de Fin. ubi Piſonem loquentem producit: *quando igitur & de voluptate cum Torquato, & de honeſtate cum Catone eſt diſputatum.* Qui ſermo non Piſoni, ſed Ciceroni convenit. Cui addas ipſum Severum in dial. 3. c. 5. *Exigit id infidelitas plurimorum, qui in aliquibus, quae heſterno memorata ſunt, nutare dicuntur.* At tertius dialogus, ut Prato quoque p. 266. obſervat, aliquanto poſt editus fuit; & quomodo Severus, qui die præcedenti usque ad noctem dixerat, & ſummo mane colloquium, ut finxit, redintegravit, de infidelitate, prioribus demum dialogis editis perſpecta, cognoſcere potuit? Sed non opus eſt ſubtiliori hac defenſione lectionis vulgatæ. Atque hic illud obſervamus, Pratonem ſæpius lectiones reiicere tanquam mendoſas, quæ vel æque bonæ ſunt, vel receptis meliores etiam. Sic in Dial. 2. c. 4. pro vulgato *tum vero omnis multitudo — Chriſtum Deum fateri*, habet unus liber *Chriſtum Domini. Mendoſe* ait Prato. Minime vero. Quin ſic ſcripſiſſe Severum certo nobis perſuademus, & alluſiſſe, ut ſæpius ſolet, ad verba Lucæ, c. 2. — *niſi videret Chriſtum Domini.* In Vita Mart. c. 27. vulgatas edit. cum non paucis MSS. fatetur habere, *non alii fuere inſectatores eius, licet pauci admodum, non alii tamen, quam epiſcopi ferebantur.* Hanc tamen lectionem *apertiſſimum mendum* pronuntiat, & ex quibusdam codicibus *fere* ſubſtituit. Quare tamen? eſtne hæc repetitio ſententiæ fortaſſe tam inſolens, ut ferri nequeat? at, ſi argutari luberet, illud *fere* diceremus mendum. Nam illa altera repetitio *non alii* etc. ſatis demonſtrat, non epiſcopos ſolos fere, ſed omnino ſolos inſectatores Martini fuiſſe. In Dial. 3. c. 17. habent vulg. pro *ut mox per illum*

ſacras viri laudes Roma cognoſcat, ſacra. *Inepte.* Nos nihil ineptum videmus. Vtrumque aptiſſime dici poteſt. In Dial. 3. extr. pro *ignoti pulveris regione* —, ex Capit. & Brix. ponit *ignoti pulveris ſyrte tegeretur.* Miramur profecto, quid ſit, quod ſe illam lectionem non aſſequi fatetur, multo faciliorem hac altera, tumida, barbara, & minime latina. Illam enim narrare tantum, eſt etiam refutare. In Dial. 1. c. 14. — *cum* — *beſtia non veniſſet, (nimirum audacis facti conſcia ad eum venire diſſimulans, cui feciſſet iniuriam,) aegre patiebatur eremita.* Capit. codex habet *diſſimulat.* Quod mendum putat Prato. At niſi diſſimulat legamus, nonne *et* ſaltem intrudendum eſt? Nonne hæc lectio elegantior multo? In Dial. 2. c. 7. pro *illi vero felices erunt, ſi a diſciplina exempli iſtius viri non recedant,* habet Lipſ. edit. *a diſciplina exemplo iſtius viri* etc. *Peſſime!* (eſt enim Lipſienſis editio,) clamat Prato. Optime arbitramur. Primum quid eſt *diſciplina exempli?* Vix ipſum Pratonem, qui illam ſyrten pulveris concoquit tam facile, hæc devorare poſſe credimus. Deinde, nonne optima eſt ſententia? Felices, ſi a diſciplina, quam eccleſia, quam religio præſcribit, quæ ſanctos viros & Chriſtianos decet, non magis recedant, quam ille. Diſciplinam vero pro obſervatione bonorum morum, pro inſtituto vitæ dici, docere pluribus, hoc eſſet ineptum. In Dial. 2. c. 8. utrumque bonum eſt, & tolerari poteſt, tam *eccleſia ibi eſt celebris religione ſanctorum, nec minus glorioſa ſacrarum virginum multitudine*, quam — *multitudo*, ut iterum ſubaudias *ibi eſt.* Hoc tamen non fert Prato, *res*, ait, *per ſe patet.* Idem denique dici poteſt de Dial. 2. c. 13. ubi in lectione Capit. *intente enim nos ſcilicet, intente* reiicit: idem de prooem. ubi, quod in quibusdam MSS. invenit, *omnia illius acta,* probat: de Dial. 3. c. 10. ubi *omnium ſpebus intentis,* lectioni alteri, *omnium aciebus intentis,* præfert: & in eod. Dial. de loco c. 9. ubi omnium MSS. lectionem, *nobis inſpectantibus,* ſive *ſpectantibus*, aptiorem multo altera, poſtponit lectioni Ald. edit. nobis *exſpectantibus.* Sic certe illa lectio, *fidei Evangelii derogatur*, quam *malam*

Digitized by Google

malam vocat, melior eſt hac, *fides Evangelii derogatur.* Etſi enim illam ex Cicerone defendere conatur, dudum tamen docti viri illius loci nullam eſſe auctoritatem docuerunt. *Dubius eſt*, inquit Cel. Geſnerus in Theſauro, in v. derogare, *hic locus. An ita interpungendum: Fides huius multis locis cognita: ne perfidia Naevii ei derogetur laborant. Illud ei hauſit forte Naevii.* Sic in Dial. 1. c. 10. non *confunditur quidem omnis verborum ſenſus*, ſi *ut* ponas pro *ac*, ut Vorſtius fecit, cuius verba non erant ad ridiculum trahenda: atque illa *cum prima ei lex obedientiae poneretur, ac perpetem polliceretur — patientiam*, bene explicari poſſunt ſic: haec fuit prima lex, cui obediret, ut patientiam polliceretur; *ac* tamen, MSS. auctoritate poſitum, & æque bonum, retinendum eſt. Nunc videamus de coniecturis, quibus Severi orationi ſubvenit Editor. Primum quidem laudamus verecundiam illius & religionem in hac parte præſtitam. Et quis eam non laudandam eſſe cenſeat hac tempeſtate, qua perpruriſcentes digiti Criticorum quorundam lubentisſime crudelem falcem in veterum auctorum libros immittunt, & illis quaſi formulam quandam dicendi præſcribunt. Nec adeo multæ ſunt hæ coniecturæ, etſi quædam abeſſe poſſunt, neque, niſi aliquoties, in textum receptæ. Sic p. 47. in ep. ad Aurel. pro *etſi rationem ullam dolor admitteret, gaudere deberem,* in textum recepit *etſi ſi*, ex ingenio: in Dial. 3. c. 8. ex coniectura Barthii *idolium*, pro *idolum* ſcribit. In Dial. eod. c. 13. pro *creditis,* quod in omnibus MSS. invenit, poſuit *credetis*. Nihil opus. In Dial. 3. c. 17. *etſi maxime curſus in devio ſit, non tamen tibi tanti ſint, vel magnarum morarum ulla diſpendia, quin illic adeas virum* etc. *τὸ etſi* ſeparatim adhuc editum, coniunctim legit. Obiter hic, quoniam a nemine obſervatum eſſe videmus, monemus, hanc totam ῥῆσιν expreſſam eſſe ex Virg. L. III. v. 493. *Hic tibi ne qua morae fuerint diſpendia tanta Quin adeas vatem.* Hæc de emendationibus ex ingenio in textu factis. Reliquas coniecturas in notis propoſitas eſſe, & videmus, & laudamus. Sic in Dial. 1. c. 14. *quaſi impleto*

Digitized by Google

officio & praeſtita conſolatione diſcedere, (nimirum lupam, quæ quotidie panem ab eremita cepit, variisque blanditiis illi gratias egit,) coniicit Prato *conſalutatione.* Nobis vero ſcrupulum iniicit locus infra eod. cap. ubi eremita, ad quem lupa non amplius accedebat, *aegre patiebatur ſe alumnae ſolatio deſtitutum.* In Dial. eod. c. 13. *alia ibi germina nulla ſuccedant,* coniicit *ſuccreſcant.* Sed quid opus? ſignificatio hæc verbi *ſuccedere* non adeo ab analogia, a reliquis ſignificationibus, abhorret, ut expungenda ſit vox. Sic in Dial. I. c. I. *quo minus amore tuo pendens,* coniicit, *ab ore tuo pendens:* c. 2. *neque gravabor quamlibet conſerte vobiſcum fabulari,* disiungendum eſſe coniicit *quamlibet,* ut ſit pro *quantumlibet.* Quin, ſi pro *conſerte* legas *conferre,* ut eſt in quibusdam libris, & *fabulari* in *fabulam* mutes, elegans reſtituetur Severo lectio. In Vita Mart. c. 21. extr. pro *videtis & videris,* quod erat in libris, coniicit *viderit is,* ſcil. qui bovis ictu periit, *cur tantam poteſtatem deus diabolo conceſſerit.* Vellemus, tota hæc ῥῆσις abeſſet; quomodocunque enim legas, vix cohærebit oratio, vix digna erit Severo. Ibid. c. 8. de ſervo laqueo ſuffocato, & in vitam redeunte, *mox viviſcente vultu, marceſcentibus oculis, in ora illius defunctus erigitur,* coniicit, *liviſcente, vel liveſcente.* Falſo. Non pingit hic locus hominem ſe ſuffocantem laqueo, ſed qui vitam, qui colorem vitalem, recipit. Ut c. 16. *tunc paullatim ſingula contactu eius membra coeperunt viviſcere:* & c. 2. *videt defunctum paullatim membris omnibus commoveri, & laxatis in uſum videndi palpitare luminibus.* Quare & lect. Ald. *inardeſcentibus* prætulerimus vulgatae, etſi etiam hæc bene explicari poteſt. Locus Paullini, quo Prato ſuam coniecturam ſtabilire cupit, nihil huc facit. Nam hic hominem mortuum & ſuffocatum proponit; ille, ut diximus, hominem reviviſcentem. Lubet hic aliquot exemplis oſtendere, quam turpiter lapſus ſit Prato interdum in cognitione accurata linguæ latinæ. Sic in vita Mart. c. 2. ubi pro vulg. *quibus rebus ita ſibi omnes — devinxerat,* habet Capit. *pro quibus, elegantem* hanc lectionem appellat, quæ analogiæ verbi

Digitized by Google

verbi repugnat, quæ nunquam in bono Scriptore inventa eſt. In Dial. 3. c. 1. *qui heſterno auditorium amiſit*, docet, hic *auditorium* ſumi pro ipſa auditione, gr. *ἀκρόασις*, vel pro materia, quæ ad diſputandum propoſita eſt, gr. *ἀκρόαμα*. Hæc ſignificatio eſt plane nova, inaudita, & ex capite ſolius Pratonis, tanquam Minerva aliqua ex Iovis, prognata. Vellemus illam exemplo confirmaſſet aliquo. Magis neceſſarium erat, quam docere, auditorium indicare auditorum turbam. Hoc pueris notum. Ibid. c. 6. ad *efferor ſiquidem ſpiritu*, hæc notavit: *non inutile puto lectorem monere, τὸ efferor non a fero verbum, ſed a ferus nomen, derivatum videri.* Inutile omnino & falſum. Sed inprimis bella eſt interpretatio in Dial. 3. c. 6. *Sicut plerumque per clericos rotatur turbo verborum?* Quis non putet, *turbinem verborum* hic ita poſitum eſſe, ut, ſicut apud Ovidium, *mentis turbine agi*, ſit metaphora a *turbine*, i.e. δῖνος, στρόμβος, deducta? Quis neſcit illud Lucretii, *Turbine rotanti portant res venti.* Quis, præter Pratonem, vel in ſomno *de trocho* vel *rhombo* hic cogitet? Nemo profecto ſanæ mentis ita loqui potuit, ut per turbinem verborum intelligat puerorum inſtrumentum luſorium, gr. βέμβιξ. Etſi meminimus, apud Patrum aliquem, cuius nomen excidit, *tormenta verborum, & verbis tanquam flagris verberari,* legere; hic tamen turbo tam ineptus eſt, ut vel a tumore Severi longe abhorreat. In Dial. 3. c. 2. *proclamat pater — & — fatebatur.* Vix dubitare ſe ait Prato, quin Severus ſcripſerit *fatetur.* Nihil mutandum, alias omnia poetarum & oratorum ſcripta ſingulis prope in verſibus obelo notanda eſſent. Age, ſtatim Virgilii illud corrige: *Anchora fundabat naves & littora curvae praetexunt puppes.* Sed de his, poſt egregiam Clarkii ad Iliad. Homeri diſputatiunculam, plura dicere velle putidum eſt. Tamen ſæpiſſime ſimili modo Prato, in temporibus verborum definiendis, haeret. Hæc de emendationibus dicta ſunt; dicamus, ut propoſuimus, etiam de adnotationibus. In iis, cum ex Paullino Petrocorienſi, Fortunato, Gregorio Turonenſi, aliis, quæ a

Severo

Digitized by Google

Severo narrantur, illuſtrantur & confirmantur, tum loca & verba difficiliora explicantur. In Dial. 3. c. 4. docet, *cuſtodias relaxari* dici pro *reos vinctos & in carcerem detruſos dimittere:* p. 130. uſum verbi *quantocyus* ex ſcriptoribus poſterioris ævi illuſtrat. Ibid. c. 3. obſervat, *diffluere* pro *redundare, ſupereffluere;* c. 5. *adſerere* pro *laudare*, ſ. *defendere;* & in Vita Mart. c. 5. *expetere* pro *accedere, ſe conferre ad aliquem*, poni. Ibid. c. 18. *elogium* ſumi in malam partem, pro *ſermone minus honorifico*, docet. In Dial. 2. c. 12. *benedictionem* explicat per rem uſu & contactu ſanctae perſonæ alicuius quaſi ſanctificatam, & cum veneratione conſervandam, uno verbo, *reliquiam.* Ibid. c. 9. *epiſtolam ad aliquam facere* exemplo illuſtrat: ibid. c. 6. obſervat, ſicut Imperatores *reges* dicantur, ſic Imperatorum uxores, matres & filias, *reginas* dici. Quibus addantur, quæ in Dial. 1. c. 13. de verbo *diſſimulare* pro *negligere;* ibidem de verbo *praeſumere;* in Dial. 2. c. 5. de uſu particulæ *cur* pro *quod;* et in V. M. c. 5. de verbo *diaconio*, habentur. Atque hic vellemus multa abeſſent, molem quæ libri nulla urgente neceſſitate augent. Quid opus erat monere p. 24. *puerum ſervum* dici? quid opus formulam, *ne fando quidem auditum*, tot exemplis illuſtrare velle? Quid verbum *praetextus?* in ep. ad Aurel. quid in Dial. 1. c. 22. *ſpumante equo?* quid in D. 2. c. 5. *rerum potiri?* quid opus in D. 2. c. 1. *crinem* de igne dici, cur, aimus, opus erat, haec exemplis comprobare? Cur ad verbum *rheda*, ſatis vel pueris notum, locum Quintiliani adſcribit? cur ad verba in ep. ad Euſeb. *inter fabulas iuges*, advocavit locum Idatii, *inter familiares fabulas?* cur p. 86. annotat, *cothurnum* ſtilum ſublimem & tragicum, *ſoccum* pedeſtrem & popularem ſignificare? Neque monere debuit in Dial. 3. c. 14. *laborare* de iis uſurpari, qui capite vel fortunis periclitantur. Contra, non pauca nobis legentibus occurrunt, quæ difficiliora ſunt, & illuſtratione indigebant, ut *monaſterium magnae diſpoſitionis*, ubi neque Vorſtius nobis ſatisfacit: — *non leviter apud me actum eſt, ut ipſe procederem:* Dial. 3. c. 4. — *cum futuris proventibus per aſſidua damna trepi-*

trepidaret; ibid. c. 7. *in orationem proſternitur;* ibid. c. 2. — qui *tanti viri conſtantiam* præmiſſa *auctoritate ſequerentur;* ib. c. 11. *huius diei communionem Martinus iniit;* ibid. c. 13. in Dial. 2. c. 1. *hoc ergo ſecretum beati viri pauper ille* captatum, *cum ei archidiaconus dare tunicam diſtuliſſet, irrupit.* an pro *cum* legendum forte *quam?* ut caperet veſtem, quam etc. nihil certe melius videmus. Ibid. c. 2. *longa linea copioſi lactis.* Ib. c. 5. *mortibus imperavit.* Dial. 1. c. 26. *ego autem profiteor, quia etiamſi mutus eſſes non defutura tibi verba.* Quid hoc? fortaſſe levi mutatione facta legendum *qui.* Sic paullo poſt, *ut excuſes imperitiam, quia exuberas eloquentia,* habet Venet. *qui,* quod melius placet. Ibid. cap. 13. *palmam cuius interdum pomis* uti *ſolebat.* Cap. 9. *tua nobis repetatur* orientalis *oratio.* Cap. 14. *parvo tugurio,* in quo *non niſi unus recipi poſſet.* In Vita M. cap. 13. *Tetradii cuiusdam* — *ſervus daemonio correptus dolendo exitu cruciabatur.* At in eodem capite dicitur Martinus immundum ab illo ſpiritum eieciſſe. Quid igitur illud *dolendo exitu* ſibi vult? an coniectura ſubveniamus huic loco, & legamus *dolendo cruciatu exercebatur?* ſed non lubet hariolari. Cap. 18. *leproſum miſerabili facie* — *oſculatus eſt atque benedixit: ſtatimque omni malo emundatus poſtero die ad Eccleſiam veniens* — *gratias pro ſanitate, quam receperat, agebat.* Quis agebat gratias? nonne leproſus? at niſi *ſtatim qui* legamus, neſcimus quomodo nos hinc expedire queamus. Explicari quoque poterant, Dial. 1. cap. 26. *Bosporus excluſa.* Cap. 22. *in hoc deſideriis meis aeſtuantibus:* cap. 20. *excludere a ſe confluentium populos.* Vita M. c. 20. *ut eſt noſtrorum temporum aetas:* et plura, quæ præterimus. Sunt præterea duo loca, in quibus inſignem librariorum oſcitantiam & incuriam deprehendiſſe nobis videmur, ſed a Pratone neglecta. Primus eſt in Vita M. cap. 22. *audiebantur etiam plerumque convicia, quibus illum turba daemonum* protervis vocibus *increpabat, ſed omnia falſa & vana cognoſcens non movebatur obiectis, teſtabantur etiam aliqui ex fratribus, audiſſe ſe daemonem* protervis vocibus *Martinum increpantem cur* etc.

 Illud

Digitized by Google

Illud prius *protervis vocibus* ſine dubio mendum eſt, inde ortum, quoniam curioſus oculus ſcribentis librarii hæc inferiora adſpiciebat, & per errorem ſupra intrudebat. Alter locus eſt in Dial. 3. cap. 6. *At parte in alia videres ſine interrogatione vexatos & ſua crimina confitentes, nomina etiam nullo interrogante prodebant.* Illud *ſine interrogatione vexatos* quid ſit, nemo facile divinabit. Quare tranſpoſita hæc verba ſuſpicamur, & ad ſequentia *& ſua crimina ſine interrogatione confitentes* retrahenda eſſe exiſtimamus. Sed hæc obiter. Proponamus vero quædam ex illis adnotationibus, quibus paullo uberius orationem & ſententiam Severi Prato exponit. In Dial. 2. c. 4. illum locum *non irrationabiliter in campo catechumenos fieri*, ex ſententia Valeſii interpretatur per campum, in quo martyres extremo ſupplicio afficiebantur. In Vita M. cap. 26. *nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulſerit, vel negotio: negotium* hic lites indicare cenſet, quarum componendarum cura epiſcopis mandata fuerit. Nobis hæc opinio vix probabilis videtur. Primum, quia, quod ipſe Prato fatetur, Martinus hanc curam presbyteris ſuis demandavit; deinde quoniam negotium ſimpliciter tantum *otio* oppoſitum eſt; denique totus locus nihil aliud indicat, quam Martinum ſive operibus quibusdam intentum, ſive negotiis liberum, ſemper de Deo cogitaſſe etc. De difficillimo loco in epiſt. ad Euſebium, *gentium praedicator, quem fluctus abſorbuit, & poſt triduum totidemque noctes* etc. Clar. Pratonis ſententia hæc eſt: ſuſpicatus eſt primum, Severum aut mendoſo Paulli codice uſum fuiſſe, aut prava ex græco interpretatione; atque ubi nunc legitur in vulg. *ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui,* fortaſſe ſic legiſſe: *tres naufragium faciens noctes & dies in profundo maris fui.* Neque ipſe tamen huic coniecturae magnum pretium ſtatuit: exiſtimat potius, non integram ad nos hanc epiſtolam veniſſe, ita ut, quæ nunc de Paullo dicta eſſe videantur contra veritatem S. S. ea potius ad Ionam ſpectaverint, ſed feſtinatione librarii fuerint omiſſa. Laudat percommode locum

locum quendam de Iona ex Append. Tom. V. Opp. S. Auguſtini, ex ſermone tertio in natali Petri & Paulli, ubi prope eadem verba Severi leguntur. Nobis quidem unum dubium, ſed fortaſſe non magni momenti, formula *gentium praedicator* movet. Hanc enim non facile de Iona intelligi poſſe, monet locus in epiſt. ad Aurel. *Si vero gentium doctoris exemplo gladio deputatus* etc. ubi nullum alium quam Paullum ſignificat, de quo in Hiſt. Sacr. Lib. II. cap. 41. In Dial. 1. cap. 11. *foribus affixam de poſte pendere:* hic ex Capit. cod. *ante poſtem* legit, & ianuam Romanam ſupponendam eſſe docet, quæ non intro impelli, ſed extra domum trahi debuerit. Verum hæc minime convenire videntur in tabernaculum, *quod ſibi inſtituit monachus, qui ad eremum ſeceſſerat.* Nimis docta hæc ianua eſt, & ſcholam redolet. Multo facilius omnia intelligi poterunt, ſi nobis proponamus caſam, non ad architectorum leges, ſed irregulariter, ut aiunt, exſtructam. Neque aliud tabernaculum, ſi de eremita cogitamus, noſtro animo obverſari poteſt. In Dial. 2. cap. 6. *liquet hinc,* inquit, *Severum ex iis patribus eſſe, qui Mariam, ſororem Marthae, & foeminam peccatricem, unam perſonam faciunt.* Sed ſi quis recte & accurate omnia conſideret, non videbitur Severus ita ſenſiſſe. Priora illa, *pedes ſancti fletu rigabat, crine tergebat,* foeminam peccatricem reſpiciunt, non vero *cum interim diebus ac noctibus* etc. In ſequentibus paullo infra: *ſicut Martha illa miniſtravit Domino — & audivit ut Maria,* longe alia eſt ſententia, quae reginam cum Maria comparat. Niſi igitur vim verbis Severi adhibeas, non extorquebis inde illam ſententiam. Hæc de commentario Pratonis in libros Severi de Martino. De diſſertationibus, quæ ſequuntur, alio tempore.

TRACTATIONES OMNIUM IVRIS CANONICI partium, ex hiſtoria eccleſiaſtica, & Conciliis ac Ordinationibus Principum, perpetuo illuſtratae, partim rarioris, partim nondum editi argumenti, ad Ius Eccle-

 ſiaſticum

Digitized by Google

ſiaſticum intra terminos ſuos revocandum accommodatae. Opus XX. annorum.

Brunswigae 1759. ſumtibus Schroederi heredum, Alphab. 4. & 4. pl. cum dimidia in 4to.

Auctorem agnoſcit hoc opus *Kippingium*, Helmſtadienſium nuper Anteceſſorem non incelebrem, qui tamen, dum pars aliqua operis iam ſub prelo ſudaret, diem obiit ſupremum. Cum vero integrum abſolutumque numeris omnibus opus in ſchedis auctoris defuncti reperiretur, nulla ratio fuit Schroederianis heredibus, cur a coepto deſiſterent, præcipue cum *Chryſander*, V. Cl. Verbi divini miniſter ad ædem d. Stephani Helmſtadii, provinciam operis edendi, atque indicis conficiendi, imponi ſibi paſſus eſſet. Conſtat autem totum opus Prooemio, Capitibusque viginti. Primum horum inſcribitur: *de indole iuris eccleſiaſtici recte conſtituenda:* ſecundum, *de natura eccleſiae verae:* tertium, *de perſonis eccleſiam conſtituentibus, & earum officiis generatim:* quartum, *de modis conſtituendi eccleſias earumque miniſtros:* quintum, *de exercitio religionis Chriſtianae publico, ſive Liturgia:* ſextum, *de primaria miniſterii ſacri parte, doctrina & doctoribus, paſtoribus & diaconis:* ſeptimum, *de Sacramentis eorumque adminiſtratione:* octavum, *de poteſtate clavium:* nonum, *de directione eccleſiae, Epiſcopis, Abbatibus, Praepoſitis, Superintendentibus, Decanis* etc. decimum, *de privilegiis, & immunitatibus, nec non ſtipendiis, & aliis miniſtrorum eccleſiae iuribus:* undecimum, *de eleemoſynis & officio Paſtorum circa eas:* duodecimum, *de locis & aedibus cultui divino publico aſſignatis, earumque immunitate:* decimum tertium, *de bonis eccleſiae, & officio Parochorum circa illa:* decimum quartum, *de temporibus cultui divino externo conſtitutis:* decimum quintum, *de rebus quasi eccleſiaſticis, ſpeciatim coniugio:* decimum ſextum, *de ſcholis:* decimum ſeptimum, *de orphanotrophiis, xenodochiis, & ſimilibus piis corporibus:* decimum octavum, *de ſepulturis:* decimum nonum,

Digitized by Google

num, *de delictis eccleſiaſticis:* vigeſimum denique, quod eſt ultimum, *de iurisdictione Eccleſiaſtica*.

Nemo exiſtimet, conſilium fuiſſe Viro doctiſſimo tradendi Ius Canonicum vel Eccleſiaſticum, quo noſtra aliave utitur eccleſia, eiusque uſum diſtributim monſtrandi, ut in quo plurimorum occupari ſolet opera, qui de Iure Eccleſiaſtico præcipiunt. Aliud prorſus ipſi propoſitum fuit. Scribit de iure conſtituendo, non de conſtituto. Principia itaque proponit, ſtabilit, ac vindicat, examinatque ſecundum ea, an recte nec ne conſtituta ſint, quæ inter Germanos uſu vigent, Eccleſiaſtica iura. Quod ad illa quidem attinet, *Thomaſium* inprimis, omnemque adeo eius ſcholam, confutandam ſibi ſumſit, utpote quæ, quo liberalior in imperantes, hoc iniquior fuerit in eccleſiam. Neque vero hoc demum opere bellum indicit opinionibus, quæ Cæſareo-Papiae obſtetricari exiſtimat. Actum id a ſe in Proluſionibus, ait, ubi ſimul demonſtrata fuerit falſitas opinionum plurium, axiomatum inſtar paſſim receptarum; quarum notabiliores ſint: 1) *Iuris Eccleſiaſtici ambitum ſolis externi cultus divini terminis circumſcribi.* 2) *Cultum Dei externum humani eſſe arbitrii;* 3) *regimen eccleſiae partem eſſe civilis imperii;* 4) *illius regiminis nullas iure divino poſitivo definitas eſſe partes;* 5) *rationes ſacrorum, a legibus, quas — Thomaſius & Boehmerus deſcripſere, diſcrepantes vel in fraudem abire, vel in tyrannidem;* 6) *iure Pontificio nos uti, etiam quoad capita nonnulla liquido a nobis repudiata.* Cum itaque contraria hiſce iam ibidem ſint evicta theoremata, ſe iisdem hic denuo demonſtrandis poſſe ſuperſedere non tantum, ſed & illis, ut fundamentis iactis, omnem *ideam Iuris Eccleſiaſtici rite conſtituendi* ſuperſtruere.

Hæc vero, qualis ſit, ex ſequentibus noſtri principiis, ex univerſo opere paſſim collectis atque decerptis, intelligi poſſe exiſtimamus. Cenſet autem, notionem Iuris Eccleſiaſtici nonniſi ex idea *verae* eccleſiæ poſſe derivari: hanc neminem melius adumbraſſe atque depinxiſſe Tertulliano, in Apologetico. Leges enim Eccleſiaſticas, non tantum

ex proximis, ſed & ex remotioribus eccleſiæ finibus, ſcilicet ex externo & interno Dei cultu, converſione, æternaque hominum ſalute, glōria denique Dei, eſſe eruendas atque definiendas. Fontes itaque Iuris Eccleſiaſtici eſſe oracula divina, Ius Naturæ, (quo nomine Noſter quaevis virtutis præcepta ſana ratione cognoſcenda intelligit,) ac denique conventiones a quacunque eccleſia conſenſu legitime declarato initas, nec ulla ratione ſuperioribus illis adverſas. Ius Canonicum vero ut retineatur a Noſtratibus, nec opus, nec ſuadendum eſſe. Eccleſiam univerſalem complecti omnes vere *fideles:* particularem vero eſſe quamcunque ſocietatem, veri Dei rite colendi cauſa, pactis conſtitutam: verum Dei cultum non tantum internum, ſed & externum eſſe; hunc vero ſua natura requirere Symbola Fidei, atque conventus; ex utrisque omnia iura Collegialia eccleſiæ competentia poſſe facile derivari, ac comprobari: hæc itaque perperam negari, & perperam in iuribus imperii cenſeri: neque vero Credenda, divinis oraculis palam definita, a iure eccleſiaſtico prorſus poſſe exulare: diviſionem receptam ſtatuum, in den Lehr-Wehr- und Nähr-Stand, utique eſſe non tantum adæquatam, ſed & utilem. (Nobis neutrum videtur: licet vindicias ab auctore conquiſitas ſatis diu penſitaverimus. Vera forte ſunt, quæ ille inde infert. Sed vera forent, etiamſi iſta diviſio nunquam innotuiſſet). Eodem iure cenſendam & alteram, in Clericos ac Laicos, hominum diviſionem. Neque enim docentium ordinem humano ſtare arbitrio, ſed a Chriſto divina auctoritate eſſe conſtitutum. Ius eligendi doctores penes eccleſiæ ſocios eſſe univerſos: poſſe tamen illud, turbarum cavendarum causa, in repræſentantes quosdam transferri, dummodo coetui ipſi ſalvum ſit ſuffragium *negativum.* Ius Liturgiam adornandi, definiendi, mutandique, quatenus ſcilicet lege divina poſitiva non ſit definita, commune eſſe tribus illis memoratis ordinibus. Mentio fit quoque diſtinctionis illius pervulgatae, qua cultum divinum alium publicum, alium privatum, alium denique domeſticum

Digitized by Google

meſticum dicunt. Sed ut facile quisque intellexerit, quid domeſtici nomine ſignificetur; ita differentiam, quæ inter publicum & privatum intercedat, ſi ſcilicet arbitrium paciſcentium atque legislatorum animo præſcindas, hic non magis quam alibi definitam, contra quam ſperabamus, deprehendimus: quæſtiones vero his nominibus agitari ſolitas, ſilentio plane preſſit Noſter. *Poteſtatem Clavium* ſacro ordini eſſe propriam, nec tamen cum iure *excommunicandi* temere confundendam. Hoc enim coetui univerſo competere. Eccleſiam Epiſcopis carere haud poſſe: eſſe & eidem ius eos vocandi, eligendi, conſtituendique; poſſe tamen & hoc ius Eccleſiæ collegiale, ut fere cetera omnia, in alios transferri exercendum, dummodo caveatur, ne iſti eo abutantur: eandem eſſe originem iuris viſitandi Eccleſias; poenas eccleſiaſticas conventionales, quas vocant, haud eſſe omnino reprobandas; bene quoque ac utiliter fieri, quod Theologis in *Conſiſtoriis* locus ſit, etc.

Ex his ſatis forte conſtabit, qualem Iuris Eccleſiaſtici ideam mente conceperit Noſter, quemque finem propoſuerit operi. Tuetur nempe Iura collegialia Eccleſiæ cum Canzio, Pfaffio, aliisque, contra eos, qui omnia, quæcunque ab eccleſia fiunt, ab Imperio repetunt: ſed tuetur etiam iura imperii circa ſacra contra Pontificios: monſtrat tandem, ex fine eccleſiæ proprio, qua ratione iura collegialia eccleſiæ, ab aliarum ſocietatum in civitate æque exiſtentium iuribus collegialibus, non poſſint non diſtare. In hoc ſane acutior illis ICtis fuiſſe videtur, qui, dum de iure collegiali eccleſiæ diſputant, non niſi ad ius ſocietatis in genere animum advertunt. Immo, cum Noſter eccleſiam non intelligat, niſi eam ſocietatem, quæ ad Deum rite, i. e. oraculis divinis convenienter, colendum coierit, non poterat non & plurima ex fine *veræ* Eccleſiæ tantum proprio, i. e. ex S. Codice, deducere. Enimvero, licet præceptis a ſummo numine revelatis obligandi virtutem nemo Chriſtianorum negaverit: nondum tamen conſtat, ea omnia ac ſingula in *Ius* poſſe deduci, & ſi etiam poſſint, forte inter

inter eos, qui veræ Eccleſiæ ſocios ſe profitentur, vix tamen, quoties libertas conſcientiæ adverſus diſſentientes tuenda venit, hiſce argumentis multum proficiemus.

Diximus hactenus, quid in genere de Iure Eccleſiaſtico conſtituendo ſentiat Noſter. Non ſubſtitit tamen in his, ſed potius ſpecialiora quoque larga ſparſit manu. Hiſce tamen fuſius commemorandis ſuperſedere facile poterimus. Vix quidquam enim novi in illis deprehendas. Enarrat ea, quae inter Evangelicos in Germania legibus Eccleſiaſticis moribusve conſtituta receptaque ſunt. In exemplum proponit inprimis Ius Eccleſiaſticum Saxonicum Electorale. Et tantum abeſt, ut novaturiat, ut potius de eo vel maxime ſollicitus fuiſſe videatur, qua ratione ea, quae noſtratibus hactenus probata fuerunt, cum *idea* ſua *Iuris Eccleſiaſtici recte conſtituendi* conciliaret, ex ea deduceret, illam his confirmaret, hæcque contra acriores quorundam recentiorum notas defenderet. Videtur interdum melius ſenſiſſe, quam elocutus eſt. Videtur etiam propius interdum abſuiſſe ab aliorum ſententia, quam ipſe exiſtimavit. In definiendo Philoſophorum exactitudinem imitandam ſibi propoſuit. An ſatis feliciter, alii viderint. Natus fuiſſet ad quæſtiones Iuris Eccleſiaſtici enucleandas, ſi diligentiæ par fuiſſet ſcientia Iuris univerſalis. Amavit loqui verbis alienis. Bene prolixa enim loca Thomaſii, Boehmeri, Schilteri, Canzii, Pfaffii, aliorum, immo & haud pauca ex *Ordinationibus Eccleſiaſticis* Evangelicorum, in ſuo opere extare voluit. Probat multa Boehmeriana, plura Schilteriana, Canziana & Pfaffiana vix non omnia. Vnus fere Thomaſius ſemper ei vapulat, etiam tunc, quando forte non male ſentit. Minus prolixum, immo & lectu minus taedioſum fuiſſet opus, ſi modo alienorum, immo & ſuorum, parcior verborum fuiſſet.

Des jetzigen Canzlers zu Gießen, und Hochfürſtl. Heßiſch-Darmſtädtiſchen General-Superintendenten, *D.* Pfaffen, Akademiſche Reden über den Entwurf der *Theologiae Anti-Deiſticae.*

i. e.

i. e.

LECTIONES ACADEM. CHR. MATTH. PFAFFII, Cancellarii Academiae Gieſſenſis, & Superint. Generalis terrarum Haſſo-Darmſtadienſium, ſuper Idea Theologiae Anti-Deiſticae: deteguntur & confutantur in his incredulorum obiectiones, quas revelationi toto die faciunt.

Francofordiæ, apud Raſpium, 1759. Alphab. 2. plag. 8. in 4.

In eâ nos Dei providentia ſervavit tempora, quibus homines, qui ſe ſale & ingenii acumine præ aliis inſtructos eſſe iactitant, religioni, quam ipſi profitentur, Chriſtianæ, arietem admovere, eandemque, quantum poſſunt, peſſumdare conantur. Quamvis autem hæc mala Eccleſiæ Chriſtianæ domeſtica lacrimis maiora ſint; non tamen alto ſopore ſepulti iacent Viri, de re ſanctiore optime merentes. Non intermittit Deus, pro ſua bonitate, excitare viros doctos, & caſtiori religioni bene cupientes, qui cauſam eius ſtrenue defendendam felici cum ſucceſſu recipiunt. Inter hos, magno ſuo merito, inprimis eminet venerabilis *Chriſtoph. Matth. Pfaffius,* eruditiſſimis copioſiſſimisque ſcriptis tam illuſtris, ut eius nomen venerentur Germani, eruditionem admirentur Galli, Angli, Itali, & quidquid eſt hominum litterarum amantium. Opus, de quo referre conſtituimus, ex lectionibus olim Tubingæ habitis, enatum eſt, prout in præfamine ipſe Auctor indicat. Non uno igitur tempore, ſed iam ab Anno MDCCLII. harum lucubrationum delineationes fuerunt inſtitutæ, dum, ex deſiderio eruditorum, in hanc, qua iam nitent, formam, cogerentur. Nemo neſcit, difficile eſſe, Deiſtarum Theologiam, Matæologiam potius dixeris, in certum aliquod atque diſtinctum ſyſtema redigere. Etenim, hi infelicis nominis homines, nullo certo ordine utuntur, ſed extra orbitam vagantes, quidquid demum in buccam

cam venit, magno cum hiatu effutiunt. Vt igitur hoc melius Deiſtarum argumenta, hinc & inde obtorto plerumque collo coacervata, intelligantur, Ven. Auctor omnem Naturaliſtarum matæologiam in certum aliquem ordinem digeſſit. Pauci omnino ſunt, qui Deiſtarum ratiunculas ex ordine examinarint, atque confutarint: plerique omnes illorum inſiſtunt, ſi quis eſt, ordini. Unus Ven. *Lilienthalius*, doctor & Theologus Regiomontanus, hanc ingreſſus eſt cum illis diſputandi viam, in ſpiſſo admodum libro, quem, germanico idiomate, bonam cauſam revelationis inſcripſit.
Pag. 3. Laudat Pfaffius hoc inſtitutum Lilienthalii, illumque paſſim preſſo pede ſequitur, cum totius theologiæ anti-Deiſticæ ambitum, decem ſectionibus, ſeu capitibus, abſolvit. *Cap.* I. p. 1—66. tradit Hiſtoriam Deiſtarum, & recentiores potiſſimum Deiſtas, quos Fabricius, in ſyllabo Scriptorum, qui veritatem religionis Chriſtianæ adverſus Atheos, Deiſtas etc. vindicarunt, prætermiſit, paulo curatius recenſet, ex ephemeridibus litterariis, etiam peregrinis. Multa in hac commemoratione occurrunt rei momenta, quæ hiſtoriam litterariam excellenter illuſtrant. Nimis prolixum foret, horum Scriptorum hic prodere catalogum. Id ſaltem monuiſſe refert, Ven. Auctorem *Io. Craigii* Principia Theologiæ Chriſtianæ mathematica, atro quoque notare carbone, ac fortiter improbare operam, quam in emitten-
pag. 23. da nova huius libri editione impendit Cl. Titius, Profeſſor Wittenbergenſis. *Caput* II. ſiſtit obiectiones Deiſtarum adverſus religionis Chriſtianæ doctrinas & myſteria, p. 67—138. Communis omnium Naturaliſtarum ſententia, eſt præiudicata opinio, nihil eſſe credendum, quod ſanae rationi ſit contrarium. Demonſtratur hic ex adverſo, rationem ſobriam cum revelatione non pugnare, quod multis fidei articulis confirmatur. Ita inter philoſophiam puram, & Theologiam, nullus eſt diſſenſus, quia myſteria, quæ ignorat ratio, plenius exponit revelatio. Si etiam impoſſibile eſt ſecundum rationem, parere virginem naturaliter, hoc eſt, ſine congreſſu cum viro; non tamen impoſſibile eſt, eam ſuper-

pernaturaliter & per miraculum concipere ac deinceps parere. Examinantur ulterius argutiæ adverſariorum contra ſpiritualitatem, omniſcientiam, ſapientiam, immutabilitatem, & reliquas Dei perfectiones confictæ. Obiiciunt inprimis Deiſtæ tria argumenta, quæ ſapientiam Dei imminuere ipſi putant. *Primo* Deum foviſſe aiunt fines, de quibus præviderit, illos nunquam eſſe futuros; *ſecundo*, Deum non ea elegiſſe media, quibus fines ſine impedimento aſſequi potuiſſet; *tertio*, contradictorium eſſe, Deum protoplaſtas ad felicitatem deſignatos tam ſtupidos creaſſe ac rudes, ut etiam a beſtia, qualis eſt ſerpens, decipi potuerint. Diluuntur hæc Deiſtarum ſcandala, & ſolide diſſolvuntur. Progreditur Auctor ad reliqua religionis arcana, ad circumciſionem, ſacrificia, imputationem peccati Adamitici, et cetera. Prolixe tandem infirmat opinionem paucis abhinc annis a Warburtonio, Theologo Anglo, inepte propoſitam, Deum in Pentateucho Moſis, doctrinam de præmiis & poenis, poſt mortem futuris, penitus præteriiſſe. Quam inſulſam Theologi, quem decebat religionem defendere, opinionem, Deiſtis oppido gratam, rationibus ſatis validis proſtravit Auctor. *Caput* III. eſt de obiectionibus Deiſtarum adverſus Theologiam Moralem, p. 138—158. Præteritas eſſe in Decalogo leges plerasque morales, ſatis impudenter adſerunt Deiſtæ. Porro dicunt, pleraque præcepta moralia, a Chriſto & Apoſtolis tradita, naturæ & conditioni humanæ repugnare: qualia ſint, de abnegatione ſui ipſius, de deſerendis fortunis, de vita pro fratribus ponenda, & iſtiusmodi. Vindiciæ circa has ratiunculas ita inſtituuntur, ut eædem ſuo robore, ſi quod eſt, ac veritatis ſpecie prorſus exuantur. Tenues autem hae plagulæ nobis non permittunt, argumenta utramque in partem ventilata commemorare diligentius. *Caput* IV. complectitur obiectiones adverſus vaticinia in codice V. T. tradita, p. 159—282. Impugnant inſipidiſſimi homines revelationis divinæ modum, per ſomnia, colloquia, & viſiones aliquando factum: ſed demonſtratur ab A. diſcrimen inter ſomnia, quorum

pag. 75.

pag. 111

Digitized by Google

rum alia ſint divina, alia vero humana, nec non diabolica, quæ in meras abeant phantaſias, illuſionesque; cum divina contra, ipſo rerum eventu ſe divina ſuſtentarunt inſpiratione. Ridiculum porro eſt Deiſtarum argumentum, cum aiunt demonſtrari nullo modo poſſe, hæc vaticinia ante rerum eventum eſſe conſignata. Evictum enim eſt, viros Propheticos illis omnino vixiſſe temporibus, quæ a complemento vaticiniorum fuere remota longius. Heu! quam temere fingitur perſonarum temporumque fallacia. Nec hic ſubſiſtit Naturaliſtarum inſania, ſed Chriſto, eiusdemque legatis, hanc quoque imprimunt maculam, eosdem male ac
p. 277. ſq. callide abuſos eſſe Prophetarum vaticiniis, illaque in ſuam traxiſſe rem. Hæcce deliramenta, ut everterent veritatem religionis Chriſtianæ, iam dudum attulerant Iudæi, quos ſolide confutarunt Guſſetius in libro Chizzuck Emmunah, & Limborchius in collatione cum erudito Iudæo. Progreditur Auctor in *Capite* V. ad Deiſtarum impedimenta, in miraculis divinis ex ipſorum quidem perſuaſione, obvia, p. 293—387. Adferuntur miracula ex V. & N. Teſtamento, & a criminationibus hoſtium veritatis vindicantur. Ex ampliſſima horum miraculorum ſegete, unicum ſaltem proferemus, ne hoc argumentum ſicco pede præteriſſe videamur. Commemoratur Num. XXII, 28. aſinum Bileamum eſſe allocutum. Iſtud miraculum confirmatur N. Teſtamenti oraculis, 2. Petr. II, 16. & in Epiſt. Iud. verſ. 2. conſpicuis. Mirantur nonnulli, nuper admodum Venerabilem *Chriſtoph. Aug. Heumannum*, illuſtrem Theologum Goettingenſem, fama & meritis inclutum, in Interpretatione nova duorum Scripturæ Sacræ locorum, Num. XXII, 20. ſeqq. & Ioh. X, 11. ſeq. Hanoveræ 1758. edito, veritatem huius miraculi negare eſſe auſum. Rem inter Bileamum & aſinum geſtam, pro mero ille habet ſomnio. Ab hac tamen Heumanni V. Cl. nova interpretatione
p. 352. longius recedit Pfaffius. Tranſit Auctor in *Capite* VI. ad facta quædam in codice ſacro commemorata, quæ omnem excedere fidem videntur, pag. 388—440. Huius commatis

matis ſunt, deſcriptio paradiſi, hiſtoria de coſta Adamo dempta, de loquela ſerpentis, & ſic porro. Prior obiectio facile corruit, ſi conſideres, orbis ſitum poſt diluvium ſine dubio eſſe mutatum; nec incredibile eſt, ſi alterum ſpectes, primum hominem Adamum dormiiſſe, neque dolorem ſenſiſſe; ad tertiam quod attinet obiectiunculam, in confeſſo eſt, ex ipſa poena ſerpenti impoſita, ſerpentem tantum fuiſſe diaboli inſtrumentum, quare illa poena duplex fuerit, altera ad ſerpentem, altera vero ad ſeductorem pertinens. Innumeræ adhuc adducuntur Deiſtarum obiectiones, ſed pleræque tam ieiunæ ſunt atque levidenſes, ut vix aliquam mereantur confutationem. *Caput* VII. commemorat nugas atque calumnias, quibus Naturaliſtæ onerant Patriarchas, Moſen, Davidem, quin immo ipſum Chriſtum atque Apoſtolos, pag. 450 — 533. Nihil non convitiorum in hos ſanctiſſimos viros evomunt, illorumque fraudulenter arrodunt ſanctitatem. Davidem inprimis nobis ſiſtunt tam deformem, ut monſtrum illum potius dixeris, quam hominem. Tanta eſt horum homuncionum veſania! Librum porro, qui appellatur Canticum Canticorum, pro libro quodam habent amatorio, atque obſcoeno. Permulta vero huic calumniæ obſtant argumenta. Etenim hic liber ſemper pro libro divino ac canonico ab Eccleſia Iudaica eſt habitus. Senſus porro divinus nullo modo cum pia pugnat interpretatione. Ex his igitur, quæ hoc loco parca manu adduximus teſtimoniis, facile colligitur, quibus criminationibus Chriſtus, eiusque legati, proſcindantur; ſed ab iis recenſendis, religione ducti, modeſte abſtinemus. *Caput* VIII. eruit difficultates a rebus Aſtronomicis inprimis petitas, pag. 534 — 548. E multis, quorum mentio fit, miraculis, ſumamus illud, quo ſol & luna ſtetiſſe dicuntur. Deiſtæ hoc miraculum cum fabula Muhamedis comparant. Narratur enim in Corano, hunc impoſtorem, lunæ, ut ſe demitteret, aliquando imperaſſe. Peperit vero hoc miraculum inter Aſtronomos ac Mathematicos ſententiarum divortia, iam omittenda. Elegit, quem ſupra excitavimus,

Digitized by Google

tavimus, Ven. Neumannus, novam interpretationis viam, adferens, verba דום de ſole, & צעד de luna uſurpata, nihil aliud ſignificare, quam ſilere, ita ut ſenſus ſit, ſolem & lunam obſervaſſe ſilentium; quo verbo *ſilere* utantur Scriptores profani de ſplendida ſolis & lunæ luce. Senſus itaque erit, radios ſolis & lunæ tam ſplendidos fuiſſe, ut victoriæ inſervire viderentur. Quæ ſi admittatur interpretatio, ſiderum curſus non fuit impeditus; nec in *totum*, ſed in *tantum*, τὸ ſtare ſolis & lunæ eſt admittendum. Non prorſus
pag. 536. alienus eſt Ven. Pfaffius ab hac ſententia. Deſcendit deinceps in *Capite* IX. ad ea, quæ in Scriptura Sacra videntur eſſe contradictoria, p. 549—560. Deiſtæ has contradictiones in rebus dogmaticis, ethicis, hiſtoricis, ſed & propheticis potiſſimum, quærunt. Unicum tantum adferemus exemplum, ex Matth. V, 17. petitum, ubi dixit Chriſtus ſe non veniſſe ut diſſolveret legem. Rident ad hæc Deiſtæ, aiuntque, hæc cum veritate pugnare: ſed dextre reſpondetur, Chriſtum hic loci agere de lege morali, non autem ceremoniali, quam implevit, ac eo ipſo extinxit. Stat adhuc legis moralis auctoritas immota, ſoluta lege ceremoniali, nonniſi ad certum ſtatum, conditionem, & tempus, genti Iudaicæ data. Finem operis facit *Caput* X. de obiectionibus contra inſpirationem certitudinemque Scripturae Sacræ inſcriptum, pag. 561. ad finem. Aggrediuntur armata quaſi manu Deiſtæ libros ſacros, eosque ſatis audacter ſpurios nominant. Tela inprimis in Moſis Pentateuchum coniiciunt, quod Ioannes quoque fecerat Clericus. Contrahenda vero iam ſunt vela, ſiquidem in alia rei argumenta excurrere, anguſtiae huius ſcriptionis non permittunt. Dignum ceteroquin eſt hoc Ven. Pfaffii opus, eruditum iuxta ac perpolitum, quod ii omnes, qui religionem Chriſtianam contra argutias Deiſtarum defendunt, diligenter legant, atque in uſus convertant ſuos.

MEMOIRES CONCERNANT CHRISTINE, REINE de Suede, pour ſervir d'Eclairciſſement à l'hiſtoire de Son

Son Regne, et principalement de ſa Vie privée, et aux Evenemens de l'Hiſtoire de Son tems, civile et litteraire: conténant entre autres un Ouvrage de cette ſavante Princeſſe ſur ſa propre Vie: de même qu'une courte narration de ce qui s'eſt paſſé depuis la mort de Guſtave Adolphe Son Pére, juſqu' au tems qu'elle reſigna la couronne: comme auſſi un Abregé de l'hiſtoire de ſon propre Regne, compoſé par ſes ordres, et accompagné de ſes remarques; ſes Negociations, ſon Commerce de Lettres, ſes Inſtructions données à ſes Miniſtres, depuis l'an 1657. juſqu' à ſa mort, etc. *Le tout accompagné de Remarques. Enfin on y a ajouté quelques autres traités de la Compoſition de la Reine.*

Vincet Amor Patriae. —
Virgil. AEN. L. VI. v. 823.

TOMVS III.

Amſtelod. ap. Io. Schreuderum, & Petrum Mortier iun. 1759. Alphabeta 3. quaternis, cum mappa Geographica ad belli tricennalis epocham eam, qua Guſtavus Adolfus & Chriſtina Germaniæ incubuerunt.

Quod in his *Actis* Noſtris profeſſi olim ſumus, (Anno 1753. menſ. Maio & Octobri,) cum duos priores egregii iſtius Operis Tomos recenſeremus, nempe, egregie iuvari hoc *Arckenholtzii*, Viri illuſtris atque doctiſſimi, ſtudio, non Chriſtinæ ſolum reginæ, ſed omnem propemodum eius temporis hiſtoriam: hoc eo lubentius iterum profitemur, quo ſunt ea omnia, quæ hoc tertio Volumine continentur, exquiſitiora, & ad argumenti aliquam ſeriem omnino pertinentia; quoque erat verendum magis, ne interirent, aut doctorum hominum oculos fugerent, quæ hic Editor ab Eminentiſſimo Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Albano, monumenta nactus eſt. Summo igitur iure, tanto litterarum Patrono, Albano Cardinali, Editor hunc Tomum

Digitized by Google

Tomum inſcripſit, quod eius Bibliothecæ debentur Supplementa hoc loco propoſita. Iam, quæ ſint, ordine, Voluminis iſtius bona, videamus.

Sunt igitur: I.) *Vita Chriſtinae Reginae*, ab ea ipſa deſcripta, octo annis ante, quam mortem Romæ oppeteret. Deo dicavit, quod hic de ſe ſcripſit; eſtque tota oratio grandis, & pudica, tributa in Capita IX, quibus exponitur de Regno Sueciæ in univerſum (Cap. 2.); de initiis religionis Chriſtianæ in Suecia (Cap. 3.); ubi tamen in calculo error eſt: non enim a. 940. demum religio chriſtiana apud Suecos recepta fuit, ſed iam, fatentibus omnibus, anno 829. Anſcharius, monachus Benedictinus, Regem Sueciæ Bioerner, Ludovico Pio intercedente, permovit, ut poſſet libere prædicari in Suecia Chriſtus. Quæ eodem hoc capite de Lutherana hæreſi Sueciæ inducta, ſuæ ipſius gentis opprobrio, ſcribit Regina, talia ſunt, ut videatur Romanæ curiæ, a qua fovebatur cum hæc ſcriberet, obtrudere palpum voluiſſe. Reliqua capita ſunt de Chriſtinæ maioribus, nativitate, infantia, atque educatione; qua occaſione Patris ſui imaginem regina pulcre delineavit p. 30: de rebus iis, quæ mortem Patris ſubſecutæ ſunt: de regni initiis Chriſtinæ: de ſtudiis litterarum; quo loco, quæ de moribus ſuis regina ſcribit, p. 56. legi merentur: de adminiſtratione regni, regina matre excluſa. Super qua re ita ſcribit Chriſtina: *Mon ſentiment eſt, que les Femmes ne devroient jamais regner; et j'en ſuis ſi perſuadée, que j'aurois ôté ſans doute tout le droit de ſucceſſion à mes Filles, ſi je me fuſſe mariée. Car j'aurois ſans doute plus aimé mon Roiaume que mes Enfans, et c'eſt le trahir que de permettre, que la Succeſſion tombe aux Filles. — Il eſt preſque impoſſible, qu'une Femme ſe puiſſe acquitter dignement des dévoirs du Trône, ſoit qu'elle gouverne pour elle même, ou pour ſon pupille. L'ignorance des Femmes, la foibleſſe de leur ame, de leur corps, et de leur eſprit, les rendent incapables de regner.*—
— Paradoxon iſtud *Arckenholtzius*, Eliſabethæ, Anglorum reginæ, & Amaliæ Eliſabethæ, Haſſiacæ, exemplis, (poterat

vero

vero & aliis multis, e veterum atque noſtrorum temporum memoria,) pulchre confutavit. Hic finis eſt eorum, quæ de vita ſua Chriſtina prodidit. Sequitur

II.) *Rerum geſtarum, a morte Guſtavi Adolphi, ad abdicationem Chriſtinae, anno* 1654. *factam, hiſtoria.* Ad extremum autographi, qui fuit Reginæ ab epiſtolis, *Guldenbladius*, adſcripſit, quæ eſſent in margine adnotationes, eas eſſe a manu Reginæ. Neque invidit eas Lectoribus *Arkenholtzius*. Recenſentur igitur hic potiſſimi eventus, ſecundum annorum ſeriem. Concinnæ omnes ſunt, atque elegantes, Reginæ adnotationes. Nihil unquam ingeniosius ſcriptum eſt a perſona regia. Eas autem adnotationes ab ipſa Regina eſſe, eaque ſola, etiam ipſa res loquitur. Admiſcentur iis adnotationes prolixiores Celeberrimi Editoris. Crebra in iis veſtigia veteris odii Danorum. Magis adhuc inviſus Saxo, propter Directorium rei Proteſtantium, & Pacem Pragenſem. Atris hic coloribus, neque tamen decebat, deſcribuntur, Elector Iohannes Georgius I. & Adminiſter eius, Arnheimius. Fata Meſſeniorum, eorumque vera cauſa, graphice deſcribuntur pag. 166. ſq. Ampla deinceps relatio, de Abdicatione Reginæ inſeritur: quam excipit pag. 180. Mappa Geographica, qua deſignantur loca, ad quæ durante bello tricennali a Suecis depugnatum eſt; urbium item ac munimentorum, quæ Sueci, occupata armis, pacis Weſtphalicæ tempore in Germania tenebant, auctore *Matthaeo Seuttero*, Geographo Imperiali. Habet eam & Dom. *de Meiern*, in Hiſtoria Pacis Weſtphalicæ Tom. VI. ad calcem præfationis, ſed tam mendoſam, ut neque nomen Lucenæ, oppidi, ad quod Adolphus, fortiter pugnans, occubuit, exhibeat. Sunt poſt hæc

III.) *Commentarii de iis quae geſta ſunt regnante Chriſtina*: iterum cum adnotationibus reginæ ipſius. Auctor iſtorum Commentariorum, ſine dubio eſt Scriba Reginæ, Galdenblad. Stilus fere tenuis, neque narrandis rebus tantis accommodatus, qualis in Hiſtoria ſuperiore etiam

Digitized by Google

regnare nobis videbatur. Notæ Reginæ & Arkenholtzii breviuſculæ ſunt, illuſtrando tamen contextui apprime utiles. Series chronologica commentariorum ab anno 1633. usque ad annum 1654. procedit. Pag. 212. occaſione Inſtrumenti Pacis Weſtphalicæ obſervat Ill. Editor, ſe Domino de Meiern indicaſſe, quod in Authentico Pacis Oſnabrugenſis, Holmiæ ſervato, ſint raſuræ quædam & correctiones vocum, quas Lambergius Comes, unus e Legatis Imperatoris ad paciſcendum, ſua manu, videntibus atque conſentientibus Legatis reliquis omnibus, feciſſe creditur. Ad pag. 218. adnotat Arkenholtzius, quod vulgo ſcribunt, & nuper admodum *Koelerus*, in Hiſt. Imperii p. 569. confidenter ſcripſit, 5. Milliones thalerorum, a 7. Germaniæ Circulis, ad pacificationis præſcriptum Sueciæ ſolvendos, ſolutos conſtituto tempore fuiſſe, id quidem certo non conſtare; abſurdum igitur eſſe, quod vulgo aiunt, Chriſtinam omnem eam ſummam ſuis deliciis impendiſſe. Hoc contra fide dignis teſtimoniis evinci, Electoribus, Moguntino & Palatino, itemque Haſſiæ Principi, reipublicaeque Ulmanæ, maximam ſummæ partem, quam ſolvere receperant, remiſſam fuiſſe. Bavarus de ſolvendo ne cogitavit quidem, tutus forte paroemia: procul a Iove, procul a fulmine. Sequuntur

IV.) *Negotiationes et Commercium litterarium Chriſtinae*, a pag. 225. usque ad finem Voluminis, ab anno 1654. quo regno ſe abdicavit Regina, ad annum 1679. Præmittitur ab Ill. Editore quædam quaſi Introductio, ut, quæ conſilia iſtis quidem Litteris & negotiationibus Chriſtina foverit, pateret eas ipſas lecturis ante, quam legerent. Pendebat Regina, poſt abdicationem ſuam, inter fidem popularium ſuorum, labefactatam bello Polonico, & benevolentiam Aulæ Romanæ; ita tamen, ut difficulter videretur privatæ vitæ adſueſcere, certe difficilius, quam Quintus olim Carolus, immortalis memoriæ Imperator. Cultui Pontificiorum cum ſe addixiſſet, multis modis eum in Suecia non ſolum, ſed & in Dania, atque in urbe Hamburgo, etſi incaſſum,

incaſſum, conſtituere allaboravit. Bis rediit in Sueciam; altera vice, non ſine inſigni taedio, repulſa e regni finibus; Hamburgi item anno 1667. plebis inſultibus, etſi ſuo aliquo merito, expoſita. Exantlatis deinceps mille moleſtiis, quum in tuto collocaſſe ſibi videretur reditus annuos e Suecia, adſpirat ad Regnum Poloniæ, quo ſe tum abdicatum ibat Rex Iohannes Caſimirus. Eduntur hic, pag. 338. ſqq. Acta Negotiationis huius, quæ, quod ſciamus, publice adhuc propoſita a nemine ſunt, imo neque ſuſpicatus eſt quisquam. Digna in his lectu inprimis eſt totius negotii iſtius, (quod clam Principibus Europæ reliquis, ſolo Pontifice conſcio, inſtituerat,) expoſitio, tradita Mandatario ſuo, P. Hackio, Ordinis Ciſtercienſium Monacho. Legitur autem a pag. 340. usque ad pag. 347. Deinceps pag. 375. ſq. ſunt reſponſa reginæ ad ea obſtacula, quæ Poloni electionem Chriſtinæ impedire dicebant. Sexum obiecerant, & coelibatum: ad utrumque regina pulchre reſpondet; niſi quod fallitur in hoc, quod, quæ Iagelloni deinceps nupſit, Hedwigen, Ludovici Magni, Hungariæ & Poloniæ regis filiam *unicam* dicit, cum ſoror eius, primogenita, Maria, Hungariæ regina, coniux Sigismundi Imperatoris fuerit. Pagina 367. proponitur Breve Pontificis, Clementis IX, ad Prælatos, Senatores, atque Nobilitatem Polonicam, ſuper eligenda Chriſtina. Pagina 386. memorabilis eſt Reginæ reſponſio ad obiectiones, P. Hackio, a Polonis, cum in Comitiis ſuper eligendo Rege conſulerent, factas. Sunt in his obiectionibus res tales, quas non poterat non regina, ſatyrica dictione, (qua legenda difficulter riſum teneas,) proſequi. Sed tamen irrita ſpes reginae fuit, electo in regem Michaele Koributh Wieſnowitzky. Qua in re, aut decepta a Romano Pontifice commentitia commendatione Regina; aut, ſuo more, hoc ſollicitius elaboravit, quo difficiliorem ſciret, atque adeo incertiorem, propoſiti conſilii exitum. Pag. 466. ſq. relatum legimus, reginam Chriſtinam, beneficio Clementis X. Pontificis maximi, Monaſterii S. Brigittæ, (Chartæ veteres utplurimum Birgittam nominant,)

 quod

Digitized by Google

quod Romæ, eſt, Protectionem ſuſcepiſſe. Regio Suecorum ſanguine nata fuit Brigitta haec, mortua Romæ anno 1373. ſanctis accenſa 1391. Biblia in veterem ſermonem Suecicum verti iuſſerat, quod nondum ſatis perita eſſet latinæ linguæ. Celebrantur eius revelationes, quas dicebat habere ſe ab Angelo. Sunt autem excuſæ typis aliquoties; atque inter eas tales, (in primis quæ ad Sueciam pertinent,) quae inſpirationem mentiuntur. Pag. 492. & ſeq. narratur, Status regni Galliæ adminiſtros, odio Chriſtinæ, edi curaſſe anno 1676. *Memoires tirés des Depêches du Sieur Chanut, par Linage de Vauciennes;* quo libro vita anteacta reginæ teterrimis coloribus depingebatur, amoribus etiam recenſitis. Ea omnia calumnias declarat Regina, & Bourdelotium, (quem Legatum in Gallia alebat,) per Epiſtolas, quæ hic leguntur, monet, ut ne deſiſtat urgere impoſtoris, ſi quidem detegatur, coërcitionem. Quid Cardinali Bullioneo in Galliis, in favorem religionis Pontificiæ in Regno Sueciæ, & ratione redituum ſuorum, in commiſſis dederit, legitur pag. 500 ſeq. Reliqua Voluminis huius ea concernunt, quæ in Pacificatione Noviomagenſi anno 1679. pro ſe decerni vehementer cupiebat. Facile vero ex iis, quæ nos non ſelecta, ſed ut quæque incurrerunt in oculos, hic propoſuimus, intelligitur, quam egregium Opus erudito orbi illuſtris Editor largiatur, quod & propter Sueciæ Reginam Chriſtinam, cuius ita res geſtæ in clariſſima luce collocantur, & propter rerum, quas nemo unus Scriptorum prodidit, memoriam, lubenter & cupide legent, quotquot hiſtoriarum amantes ſunt. Nos profecto vehementer cupimus, ut *Quartus Tomus* Operis, qui futurus eſt ultimus, atque ad finem vitæ Chriſtinæ Reginæ pertinget, quantocyus prodeat, ut illuſtri *Arkenholtzio*, non inſtituti ſolum Operis, ſed etiam abſoluti, gloria frui liceat. Sunt in Bibliotheca Academiae Lipſienſis Epiſtolæ Grotii, cum eſſet Legatus Lutetiæ Pariſiorum, ad Chriſtinam & Regni Proceres latine ſcriptæ. E quo Codice Epiſtolarum ſi quid volet Ill. Arkenholtzius depromere, non credimus negaturam Academiam.

COR-

Digitized by Google

CORNELII NEPOTIS VITAE EXCELLENTIUM *Imperatorum, e recenſione atque cum Animadverſionibus Ioh. Andreae Boſii: libellum variarum Lectionum et praefationem addidit IOH. FRIDER. FISCHERUS.*

Lipſiæ, in libraria Veidmania, 1759. Alph. 1. pl. 6. in 8vo.

Quod nuper Fiſcherus V. C. cepit, cum elegantioribus litteris ſaluberrimum, tum bonis & doctis viris gratiſſimum conſilium, foediſſimas ſordes, quibus, irato Apolline, & indignantibus Muſis, Minellii, Iunckeri, Stubelii, reliquorum eiusmodi capitalium Criticorum inepta diligentia, pulcherrima veterum Scriptorum monumenta conſpurcavit, abolendi, atque e conſpectu oculisque iuvenum quam longiſſime removendi, nondum abiecit; neque ut poſthac abiiciat hoc magis eſt optandum, quo maius & incommodum, & dedecus, a pueribus hiſce & ridiculis conatibus in bonas litteras redundavit. Neque enim quemquam, niſi iniquum, & negotii, de quo agitur, imperitum, Virum doctum non magis ſibi, quam litteris, honorificum laborem ſuſcipere, negaturum eſſe arbitramur; neque illi ea de cauſa ſuccenſurum, quod *Scriptorum Latinorum ſancta et veneranda monumenta ab impuris manibus et profanis ingeniis* eorum, quos modo nominavimus, hominum, *violata eſſe* dicit, notasque Stubelianas *peſtes litterarum* appellat; aut nobis etiam, qui lubentiſſime illi aſſentimur. Quemadmodum vero nuper Cl. *Fiſcherus* Ovidium & Iuſtinum ſic edidit, ut cum tironibus, tum iis qui longius in his ſtudiis progreſſi ſunt, conſuleret, atque, ut mediocri ære bonum ſibi quisque interpretem parare poſſet, efficeret: ita etiam, nec diſſimili ratione, in Cornelio edendo verſatus eſt. Verba ipſa expreſſa ſunt ex altera Boſii editione, quam non immerito Vir doctiſſimus priori praetulit. Diligenter enim ſecunda vice Cor-

Digitized by Google

nelium recognovit *Boſius;* ſuas animadverſiones auxit & emendavit; quæ in priore editione ſibi minus probabantur, omiſit; alias denique, & meliores fere lectiones, in priorum locum ſuffecit. Eiusdem Boſii animadverſiones integræ, ex eodem exemplo, ſubiectæ ſunt. Non opus eſt, ut in his laudandis commendandisque longiores ſimus, cum Boſiana editio prope omnium manibus teratur, ſitque vel ex Volumine Epiſtolarum, Boſiii manu ſcriptarum, (quod eſt in Paulina Academiæ noſtræ Bibliotheca,) cognitum, quam ſolerter doctiſſimos quosque viros, antequam Scriptorem eum ederet, ſuper variis locis, in quibus clarum ipſe non videret, conſuluerit. Unum dicimus, uberrima accuratæ eruditionis copia illas efflorefcere; diligenter teſtimonia aliorum auctorum laudari; de lectionibus iudicari acutiſſime; denique non ſolum verba Nepotis, ſed etiam orationem atque hiſtoriam egregie illuſtrari. Quare etiam ſuo iure Boſius a Fiſchero *ſoſpitator et ſervator Nepotis* appellatur. Sequitur dein index idem, quem ex Boecleriano excerptum, editio *Staveriana* altera exhibet, non ille quidem omnibus numeris abſolutus, ſed utilis tamen. Additus eſt etiam libellus variarum lectionum, e libris cum ſcriptis, a viris doctis excuſſis, tum editis antiquis, a Fiſchero V. Cl. inſtitutus. Contulit inprimis cum reliquis, & editionem primam *Ienſoni*, quam ipſe Fabricius ignoravit, quam nullus adhuc Editorum Nepotis evolvit, quam ſolus Metarius laudavit; & item aliam, quam ſeculo decimo quinto, anno fortaſſe extremo, adornatam eſſe ſuſpicatur. Eſt illa formæ quadripartitæ, & tota fluxit ex Ienſoniana, niſi quod Catonis & Attici Vitas, quæ in illa deſunt, exhibet, multis ceteroquin operarum vitiis contaminata. Exſtant in illa epiſtolæ tres: *Petri Corneri* ad Theodorum Platum: *Iac. Becheti* ad eundem Platum: *Franciſci* denique *Philelfi*, (celebris illius decimo quinto Seculo Grammatici, Poetæ, Oratoris, Philoſophi, cuius grammatica

matica ſcientia barba conſtitit Timotheo,) Mediolano ad Platum ſcripta. Quare Fiſcherus hanc editionem in eadem urbe curatam eſſe coniicit, & Mediolanenſem appellat. Excerpſit deinde lectiones diverſas, Vitæ Catonis & Attici, neque contemnendas eas; exemplo uſus, quod forma maxima Brixiæ, cum Vitis Plutarchi, anno nono & nonageſimo Seculi quinti decimi, prodiit. Inſpexit denique diligenter editiones Aldinam, Stephanianam, Argentoratenſem in ædibus Schureriis abſolutam, Pariſienſem ab Aſcenſio curatam, Venetam Aſulani, Colonienſem Ioh. Gymnici, ſive Longolianam, Lambinianam, Keuchenianam, Gebhardianam, Boeclerianam, Heuſingerianam, & Staverianas. Neque tamen his excuſſis, omnes Nepotis editiones excuſſas eſſe fatetur Cl. Fiſcherus. Non fuit illi copia Iuntinæ, non Parmenſis, anno octogeſimo Seculi decimi quinti editæ; non Brixianæ, a Iacobo Britanico anno duodecenteſimo curatæ, non Venetæ, anno undecenteſimo adornatæ, non Ingolſtadienſis, qua Schoppius uſus eſt, nec Ultraiectinæ, a Canteris Cauchiisque, ut Schottus putat, curatæ. Raro enim, ut in aliis rebus, ſic in hoc negotio, ſe tam benignam fortuna præbet, ut nihil, quod optemus, relinquatur. Coronidis loco impoſita eſt Cl. Heuſingeri, de codice Guelpherbytano & fragmentis duobus Cornelii, diſſertatiuncula, cuius nos nuper mentionem fecimus. In præfatione, quae copioſe & eleganter ſcripta eſt, quaſi hiſtoriam quandam editionum Cornelii Editor proponit, nec nudam hic aut exſanguem anni, typographi, editoris, formæ, commemorationem exhibet, ſed primum codices manu exaratos, quibus Italia, Germania, Hiſpania, Britannia, Gallia ſuperbiunt, enarrat; deinde de libris impreſſis ita exponit, ut iis prætermiſſis, quorum editores aut repetierunt priores, aut nullam in notis lectionis atque Critices rationem habuerunt, ut Cellarius, ut Chytræus, ut Curtinus, alii; ut igitur, quibus

e fon-

e fontibus quæque editio derivata ſit; quales illa lectiones exhibeat; quomodo in inſpiciendis comparandisque codicibus editores verſati ſint; quam fidem, quam diligentiam, in reddendis & recenſendis Cornelii verbis adhibuerint; an denique, & quænam lectiones ex coniectura natæ fuerint, & admixtæ, haec omnia accurate oſtendat. Hae ſunt virtutes Editionis huius, & prærogativæ, quas agnoſcent qui propius eam inſpicere, & componere cum aliis bene multis, voluerint Vehementer optamus, ut Cl. *Fiſcherus* in hoc, utili magis, quam iucundo labore, ſtrenue pergat; neque, virorum doctorum laudem, & reipublicæ eruditæ plauſum, laturum eum eſſe dubitamus. Videtur enim nobis, quod *Horatius* de poetis dixit, idem de veterum Scriptorum editoribus dici poſſe:

Si mala condiderit quis — mulio ſurque
Audiat, haud renuo, ſi quis mala: ſed bona ſi quis
Condiderit, ſano laudetur iudice. —

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iunii Anno MDCCLIX.

Pars I.

DELECTUS COCHLEARUM, CONCHARUM, aliorumque Animalium cruſtaceorum. Auſpiciis et iuſſu Auguſtiſſimi Regis, omnia ad naturae veritatem picta. In aes incidit et coloribus ſuis illuminavit FRANCISCUS MICHAEL REGENFUS.

Hafniae, 1758. fol. Alph. 1. F. 13.

Cum multi hoc ſeculo noſtro laboraverint mira diligentia, et pari felicitate, in rerum naturalium figuris ad naturae veritatem non modo caeli ſolertia, ſed etiam colorum imitatione, exprimendis; tum vero nemo felicior in eo genere fuit *Franc. Michaele Regenfuſio,* cui operis, cuius titulum poſuimus, et inſtitutionem, et abſolutionem debemus: adeo ille non modo caelum, ſed multo etiam magis colores omnes in poteſtate habet, ut ſpecies corporum naturalium, e vivis exemplis ductas, in chartas conferat eiusmodi, quae ita cum ipſa natura certare poſſint, ut ſi quis non ſatis attendat, aut moneatur, ipſa naturae opera in charta diſpoſita putare, et gratiſſimo errore circumveniri poſſit. In quo fortunae favor bene reſpondit ingenii manusque artificis felicitati. Neque enim res tanta, ac tanti ſumtus, perfici, certe non tanta cum magnificentia, potuiſſet, niſi Magni et Sapientiſſimi *Regis*

Digitized by Google

Daniae, FRIDERICI V, digna regis animo liberalitas, ſe promtam praebuiſſet artificis inſtitutis, nulli parcens impenſae, dum hoc tale opus quam pulcherrime et magnificentiſſime prodiret, quod ad ſeros poſteros et munificentiae regiae, et felicitatis temporum, monumentum pulcherrimum, et imitatione digniſſimum fore confidimus: praeſertim cum etiam dimiſſa ſint eius exempla in omnes terrae, qua literis honos eſt, partes, etiam ad noſtram Academiam, quarum tacito quidem ſed clariſſimo praeconio ea liberalitas celebraretur. Sed planius de operis deſcriptione et ratione dicendum videtur.

Habet igitur haec pars tabulas figurarum, apte, et ad adſpectum pulcre diſpoſitarum, duodecim, et earum interpretationes germanicas et francicas, auctoribus *Kratzenſteinio*, Phyſices Profeſſore, et *Spenglero*, Viris clariſſimis. In ordine ipſo conchyliorum nullam certam legem ſecutus eſt artifex, cum nec operis ratio id pateretur, nec neceſſitas aliqua cogeret. Nam et omnino arbitrarius eſt ordo in his rebus, nec ad docendos tirones comparatum eſt hoc opus, quorum memoriae redigendis ad certa genera conchyliis conſulitur. Ipſae conchyliorum deſcriptiones, nec longitudine, nec obſcuritate fatigant lectorem, ita temperata re univerſa, ut et diligentiae doctorum, et ſtudio ceterorum ſatisfieret. Operi univerſo praemiſſus eſt *primo* Index librorum, qui ad hoc genus rerum naturalium explicandum illuſtrandumque pertinerent, haud paullo locupletior et abſolutior iis, qui antea a *Leſſero*, *Adanſono*, aliisque dati erant. Ei ſubiecta eſt *Notitia Muſeorum*, cum regiorum, in Dania, tum privatorum, in quibus conchyliorum inprimis ſelecta copia reperitur, longe eminente inter omnia regio, quod a *Friderico III*, medio ſeculo ſuperiori, inſtitutum, illatis muſeis *Roſenburgico* et *Gottorpienſi*, denique ſub rege ſuperiori *Chriſtiano VI. Anderſeniano* e Batavis, ita auctum eſt omni genere et copia conchyliorum, ut vix quicquam ei par uſpiam, aut locupletius et abſolutius reperiatur. Quanquam et alia duo regia

Muſea

Digitized by Google

Muſea ſunt, alterum ab ipſo rege, ſub quo nunc beata eſt Dania, inſtitutum in *Arce Carolinae*, in quod ex omnibus Danici imperii partibus rerum naturalium exempla congeruntur, demonſtrationibus phyſicis ſervitura; alterum Auguſtae, *Iulianae Mariae*, quod illa otii regalis pulcerrimum oblectamentum ſibi paravit. His copia, delectu rerum, proxima ſunt amicorum regiorum, et Maecenatum illuſtrisſimorum, Comitis *Holſtenii* et *Moltkii*, denique ill. *Tottii* Muſea, cum aliis generibus rerum viſendarum, tum conchyliorum exquiſita multitudine conſpicua. Itaque haec eſt gloria Hafniae veriſſima, ut in hoc genere gazarum principatum teneat. Hanc notitiam excipit erudita praefatio, explicans primum breviter modum et rationem conchyliorum, bene, et ad uſus non modo phyſicos, ſed etiam vitae humanae accommodate, tractandorum; deinde hiſtoriam huius generis, eruditorum cura et ſtudiis tractati, tradit, initio facto ab *Ariſtotele*, qui in ceteris animalium generibus etiam teſtaceum attigit: quod etiam *Dioſcorides*, ſed, qua medicum uſum, *Aelianus*, *Athenaeus*, et *Oppianus* fecere. Paullo diligentior his eſt *Plinius*, in Hiſtoriae Naturalis admirando opere, deſcriptis paſſim exquiſita et vix imitabili elegantia conchyliis, eorumque natura et varietate. Sed quo exquiſitius eſt, ut in rebus ipſis naturae, ita in iis deſcribendis, ingenii artificium, hoc minus mirandum eſt, ſi barbaries, quae per tot ſecula dominata eſt late, totum hoc genus, omninoque naturam rerum, neglexit, et horridis Metaphyſicae cuiusdam ſpinis contenta fuit. Sextodecimo demum ſeculo vertente, cum ceterarum doctrinarum barbaries fugata eſſet, rediit naturae operum, in his conchyliorum cognoſcendorum, ſtudium, per *Bellonios*, *Rondeletios*, *Columnas*, *Geſneros*, *Aldrovandos*, *Nirenbergios*, et alios. Sed longius rem provexere *Rupefortius*, *Tertraeus*, externa conchylia complexi, et *Ionſtonus*, cum *Caroletono*, qui ſuperiorum obſervata in ordinem redigere tentarunt; ut *Bartholinum* et *Vormium* mittamus. Sed horum diligentia obſervandi fere in externis conſumta

 erat.

erat. Succeſſere, qui etiam ad interna penetrarent, et interiorem animalium talium fabricam et ſtructuram rimarentur, in his *Robertus Hokius*, *Th. Williſius*, *Io. Iac. Harderus*, et longe principes *Svamerdamus* et *Liſterus*. Sed deſcriptio quaedam, et ordo rerum elegans, deerat. Ad hanc ergo etiam partem adiunxere ſtudium plures, *Io. Eberardus Rumpſius*, Germanus natione, mercator et ſenator inſulae Indicae *Amboinae*, *Hebenſtreitius*, *Kleenius*, *Breinius*, *Linnaeus*, et alii. Sed nihil praeſtantius eſt operibus *Gvalteri*, Piſani, *Argentoppidani (Dargenville)*, et nuperrimi ſcriptoris *Adanſoni*, cui Hiſtoriam conchyliorum incomparabilem debemus. De quibus omnibus, eorumque in hanc partem hiſtoriae naturalis meritis, breviter et perſpicue traditur. Sequitur elegans et perſpicua inſtitutio, de hac parte hiſtoriae naturalis recte tractanda et cognoſcenda, quae et in illis operibus, et in hoc ipſo *Regefuſiano*, bene et fructuoſe cognoſcendo plurimum proderit. Ea, cum compendiaria ipſa ſit, in compendium mitti non poteſt commode, nec id eſt huius inſtituti noſtri. Nec vero exſpectabunt Lectores noſtri, ut aut ſingula genera, quae in hoc opere expreſſa et deſcripta ſunt, enumeremus, et ipſi deſcribamus. Commode autem factum eſt, ut unicuique tabulae ſubiiceretur indiculus latinus omnium generum, quae in tabula quaque viſuntur: ductus fere e *Linnaeano* opere, quo adiuto facile erit cuique harum rerum ſtudioſo ea ad ordinem *Linnaei* V.C. redigere.

Ceterum, has imagines intuentibus veniat fortaſſe in mentem admirari inexplicabile artificium, et ſummam pulcritudinem, quam in his tam levis utilitatis animalibus conſumſit natura. Sed res magnae, ſua vel magnitudine ipſa, vel utilitate, ſatis movent ſenſus animosque humanos: res minutas, et non admodum utiles, talibus illecebris voluit Deus hominum ſtudiis commendare: nec aliam magis ob cauſam ita inſtitutum eſt divinitus, ut, quemadmodum *Plinius*, ille hiſtoriae naturalis conditor, ait, natura nusquam magis, quam in minimis, tota ſit.

DAVI-

Digitized by Google

DAVIDIS MILLII MISCELLANEA SACRA, Ieſaiae Cap. LIV, Pſalmos CXXI et CXXII, aliaque argumenta, tam Theologica, quam Exegetica, enucleantia et exponentia. Inter illa eminent duae diſſertationes, quarum altera demonſtratur Obligatio hominis Chriſtiani ad S. Coenam: altera complectitur Errores Virorum doctorum in delineando Tabernaculo Moſis: figuris aeneis illuſtrata et ornata: binis Orationibus adiectis.

Amſtelod. ap. Adrianum Wor, A. C. 1754. Alph. 3. plagg. 10. quaternis.

Quo minor ſemper bonorum ſacrarum litterarum interpretum numerus fuit, et quo pauciores noſtra quoque aetate inveniuntur, qui ſtudio artis interpretandi libros divinos teneantur, magnis forte eius difficultatibus deterriti: eo maioribus apparet dignos eſſe laudibus hos, qui omnem operam, omnem induſtriam, omne ſtudium, collocent in explicandis veri Dei Oraculis, praeſertim quum horum interpretatione omnis Chriſtianorum theologia, veluti fundamentis aedificium, nitatur, quibus convulſis et everſis corruat ſimul omnis atque concidat religio. In numero huiusmodi interpretum fuit *Davides Millius*, humanis nuper rebus ereptus, Vir, quod e libris eius facile intelligatur, linguarum orientis valde peritus, qui et veterum et recentiorum ſcripta diligentiſſime legiſſet. Ratio, quam ſequutus eſt in interpretando, haec eſt. Primo de conſilio ſcriptoris quaerit, ut videat lector, qua de re in ῥήσει ſacrorum librorum quaque exponatur: deinde ῥήσεις ſingulas deſcribit et diſſecat quaſi in membra atque particulas minores, ἀνάλυσιν vulgo vocant: tum ſuſcipit interpretari ipſa verba, ita ut leges Grammaticae, uſumque et conſuetudinem loquendi ſequatur, et neque ſomniorum viſa ac vocem audiat, neque furoris impetu abripi ſe patiatur: denique ſi locus, quem enarrat, e libro

Digitized by Google

Veteris Teſtamenti prophetico eſt, docere ſolet, quæ res Novi Teſtamenti fuerit a Vate, divino inſtinctu atque afflatu, praedicta; ſenſus myſticus vulgo dicitur. Quod ut laudari probarique poteſt, ſi res illa eſt vel a Chriſto, vel ab Apoſtolis ipſis, quaſi digito demonſtrata: ita valde lubricum idem, perincertum, atque periculoſum, vanum certe, arbitramur, ſi quis proprii ingenii commenta in eo amplectatur; inprimis quum Novi Teſtamenti temporibus nihil acciderit et adhuc accidat, cuius non veſtigia quaedam in libris Veteris Teſtamenti deprehendantur. At ea omnia in mentem veniſſe Prophetis, quamvis plenis dei ſpiritu, quis mentis ſanae dixerit? Atque haec univerſe de ratione interpretandi Milliana.

Iam ſingulatim de iis videbimus, quae eo Volumine, cuius indicem ſupra poſuimus, comprehenduntur. Atque *primum* quidem *locum* in eo tenet *Commentarius Philologico-theologicus in quartum et quinquageſimum Caput Ieſaiae vatis.* Deſcriptus ille eſt et diviſus in *Partes duas:* quarum *priore* [pag. 1 — 148.] ſenſus litteralis, ut vocant, aperitur: *poſteriore* myſticus. Sed quia haec multa pie quidem cogitata et dicta, verum arbitraria atque incerta, complectitur; eam praeteribimus, lectores rerum talium cupidos ad ipſum librum delegantes. Altera Pars reiicit *primo* oppugnatque aliorum opiniones, qui Ieſaiam afflatum dei numine putant ceciniſſe vel de urbe Hieroſolymitana, poſt reditum e Babylonia ab Iudaeis renovanda et inſtauranda [§. 4.], vel de reverſione univerſae Iudaeorum civitatis ex toto orbe terrarum in Palaeſtinam, ubi Meſſias eorum venerit [§. 5. 6.], vel de barbaris, ethnicos vulgo nominant, qui ſint Novi Teſtamenti temporibus Chriſto daturi nomina [§. 7. 8.]. *Deinde* docetur, ſermonem eſſe loco Vatis divini memorato de Eccleſia Iudaeorum vera atque integra, Patriarchalem vocat ipſe Millius, eademque ſaeculo Meſſiae proxima [§. 9.]. Videtur enim ſibi Millius clavem, ut ita dicamus, huius interpretationis inveniſſe apud Paullum Apoſtolum Gal. 4, 22 — 26: qui locus ab eo pluribus

Digitized by Google

pluribus explicatur [§. 10—18.]. Verba *τὸ γὰρ Ἄγαρ Σινᾶ ὄρος ἐϛὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ* cum verbis ſequentibus connectenda, neque uncis ſeparanda, ut vulgo fit, ab iis eſſe cenſet: et *Ἄγαρ* ipſum Sinai montis vocabulum eſſe demonſtrat. Atque quemadmodum *ἡ νῦν Ἱερουσαλὴμ* eſt *urbs Hieroſolymitana,* ut erat aetate Apoſtoli, et *τὰ τέκνα αὐτῆς oppida reliqua cum incolis,* quorum caput et princeps Hieroſolyma erat: ita *ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ* eſt *pars* eiusdem *urbis altior* et *ſuperior,* quae etiam ab Iudaeis יְרוּשָׁלַיִם שֶׁל־מַעְלָה, et a Ioſepho *ἡ ἄνω πόλις,* appellatur. In qua quum templum poſitum fuerit, in quod conſtat Chriſtianos veteres, dei colendi cauſſa, propemodum quotidie itaſſe: intelligitur, et Evangelium inde propagatum ad omnes, et ipſam illam urbis partem *μητέρα πάντων ἡμῶν* recte dici poſſe. Conſtituto igitur hoc, Ieſaiam loqui de Eccleſia Patriarchali, utamur enim Millii verbis, cuius quaſi propago ſit Eccleſia Chriſtiana, ipſa tamen ſtirpe longe fecundior et laetior: exhibetur brevis *ἀνάλυσις* totius Capitis Prophetae [§. 20.]; quam excipit uberior et copioſior ſingulorum verborum interpretatio [§. 1—151.]. Ibi quum neceſſe ſit occurrere multa vulgaria et tralatitia: iis omiſſis, haec, quae Millio propria quodammodo queant videri, memorabimus. עֲקָרָה [v. 1.] arbitratur proprie de arbore radicibus carente dici: e qua quum nihil naſcatur, propterea ita feminam quoque ſterilem ab Hebraeis vocari [§. 2.]. שׁוֹמֵמָה quia opponitur *τῇ* בְּעוּלָה *τῇ* eſt *uxor marito orbata, vidua.* Sicut verbis רָנִּי, פִּצְחִי, צַהֲלִי, univerſe ingens gaudium, ſingularis laetitia, ſignificatur: ita ſingulatim verbo צהל ea gaudii ſignificatio declaratur, quae fit vaſto inconditoque clamore, [§. 4. 5.] ut quodammodo verbo Graecorum *ἀλαλάζειν* reſpondeat. E formula אָמַר יְהוָה Millius, contra Clericum, probat, etiam verborum, non modo rerum, *θεοπνευσίαν* patere [§. 12.]. Verbis הַרְחִיבִי וגו׳ [v. 2.] indicatur ingens multitudo liberorum Eccleſiae Chriſtianae, veluti matris; nam uxores ſingulae olim habitabant in ſingulis

gulis tentoriis [§. 17.]: quae tentoria, aucto liberorum numero, neceſſe erat ampliora fieri, unde intelligere licet atque aſſequi vim loci Moſaici Gen. 9, 27 [§. 21.]. Iubetur autem Eccleſia parens firmare paxillos tentorii ſui, quia ab nullis unquam hoſtibus poterit ſuperari et deleri penitus [§. 23.]. Verba יָמִין וגו׳ [v. 3.] monſtrant admirabilem illam celeritatem, qua erat Eccleſia liberis in univerſo orbe augenda [§. 24—28.]. עָרִים נְשַׁמּוֹת ſunt *urbes barbarorum:* et עָרִים בְשַׁמּוֹת הוֹשִׁיב notat *ex incolis barbaris Chriſtianos facere* [§. 33—35.]. בעל [v. 5.] eſt *maritus:* cuius cognominis variae ab Auctore afferuntur cauſae [§. 47.]. עֹשָׂה Deus dicitur non modo propter creationem, verum etiam ob novam generationem, ſive regenerationem, ut theologi loquuntur [§. 48.]: ex quo Hebraici verbi uſu illuſtrari poteſt nomen *ποίημα,* quod et ipſum a Paullo Apoſtolo [Eph. 2, 10.] de hominibus denuo generatis uſurpatur. Neque vero opus eſt cum Vitringa exiſtimare, verba בֹּעֲלַיִךְ עֹשַׂיִךְ eſſe tranſpoſita, quum commode ita explicari poſſint: *maritus tuus* eſt idem qui *creator tuus* [§. 62.]. Atque ut Millius praecipit, verbum הִקָּרֵא ſignare *coli celebrarique una voce ab omnibus* [§. 61.]: ita multis de cauſſis Deum nominari oſtendit יְהוָה צְבָאוֹת [§. 50.], גֹּאֵל [§. 52—57.], קְדוֹשׁ יִשְׂרָאֵל [§. 58. 59.], אֱלֹהֵי כָל־הָאָרֶץ [§. 60. 61.]. Neque omiſit multis docere, quomodo Deus diceretur עָזוּב [v. 7.] et הַסְתֵּר פָּנָיו [v. 8.]; porro quid eſſet רֶגַע et בְּשֶׁצֶף: et quam late pateret notio vocabulorum רַחֲמִים et חֶסֶד [§. 66—79.]. מֵי [v. 9.] dictum eſt pro כְּמֵי: nam particula כ aeque ſaepe deeſt apud Hebraeos, atque apud Graecos Coniunctio ὡς. Sic eodem verſu אֲשֶׁר ſatis manifeſtum eſt pro כַּאֲשֶׁר poſitum eſſe. Iam quum Pronomen זאת ad ſuperiora pertineat: e verbis מֵי־נֹחַ זֹאת לִי exiſtit hic ſenſus: *eadem erit miſeriarum proſperitatumque Eccleſiae ratio, quae fuit diluvii Noachici.* Quod quam vere, quam commode et eleganter, dicatur, fuſius explicat Auctor,

Auctor, oſtenditque, ſibi videri, ab iureiurando, quo deus confirmavit orbem non obrutum iri amplius aquis, ductum eſſe iusiurandum per ſtygias aquas, quod a barbaris tribuatur diis commenticiis atque fictis [§. 80—89.]. Verba quae ſequuntur [v. 10.] exponunt de conſtantia benignitatis liberalitatisque divinae erga Eccleſiam, quae ſit nunquam ceſſatura [§. 90—97.]: et ultima Capitis parte [v. 11—17.] proponitur expreſſa imago ſummae felicitatis florentiſſimique ſtatus eiusdem Eccleſiae [§. 98—152.]. סער proprie dicitur de mari ventis agitato, convenitque fere cum verbo Graecorum σαλεύεσθαι [§. 99.]. פּוּךְ, de cuius vocabuli origine et poteſtate variae ſunt diſcrepantesque inter ſe interpretum ſententiae, Millius opinatur proprie ſignificare *caementa*, hoc eſt, Vitruvio interprete, *aſſulas*, quae decidant quum lapides marmoraque caeduntur. hae quum adhibitae fuerint, vel ad ſtructuram colligandam arctius interlitae, vel fuci loco, pilis ferreis contuſae et comminutae cribriſque decuſſae, vel denique ad tectoria: putat apparere primo, cur deus dicat אָנֹכִי מַרְבִּיץ בַּפּוּךְ אֲבָנָיִךְ: deinde quare interpretes Graeci, nominatim Symmachus, Aquila et Theodotio, pro בַּפּוּךְ habeant ἐν στίμμει· tum cur nonnulli, ut Vitringa, τὸ פּוּךְ interpretentur *cruſtam*. Ex his docet qui ſint אַבְנֵי פוּךְ [1 Chron. 29.], et illuſtrat verba [2 Regg. 9, 30.] וַתָּשֶׂם בַּפּוּךְ עֵינֶיהָ [§. 106—110.]. כַּדְכֹּד [v. 12.] eſt aut omnino *carbunculus*, aut ſingulatim *carchedonius*, de quo etiam Symmachus accepit: et שִׁמְשׁוֹת videntur eſſe *tecta omninoque partes aedium altiores ſoli expoſitae* [§. 113—115.]. אַבְנֵי אֶקְדָּח ſunt haud dubie *margaritae*: et quia verbum קדח chaldaica in lingua valet *perforare*, *terebrare*: intelligitur, quid ſit quod lapides illi ab Aquila appellentur λίθοι τρυπανισμοῦ [§. 116.]. גְּבוּל *murus* eſt, et אַבְנֵי חֵפֶץ *lapides* omnis generis, *quorum ſpecies atque modus voluptate afficiant intuentium contemplantiumque oculos* [§. 117. 118.]. לִמּוּדֵי יְהוָֹה [v. 13.] ſunt *ii*, qui non praeceptis inſtitutione-

tioneque humana acceperunt accipiuntve doctrinam divinam, ſed *quorum animum atque mentem deus ipſe ita colluſtrat, ut vel reconditiſſima diſciplinae divinae dogmata atque myſteria perſpiciant* [ſ. 125 — 128.]. שָׁלוֹם eſt *pax inter deum atque homines* per Chriſtum *reconciliata*, et quae inde proficiſcuntur bona [§. 129 — 133.]: et צְדָקָה [v. 14.] ea *iuſtitia quam* idem *Meſſias peperit et conciliavit hominibus*, ut accuſati apud deum ne condemnentur, verum abſolvantur [ſ. 135. 136.]. רַחֲקִי aut pro Futuro poſitum eſt; Imperativus enim haud raro vim Futuri habet: aut eſt dei confirmantis Eccleſiam, non admonentis, hoc ſenſu: *ſecuram te et otioſam eſſe iubeo: defendo a te hoſtium impetum et iniurias* [ſ. 138. 139.]. Atque hoſtium quidem Eccleſiae inſidiae clandeſtinaque conſilia notantur verbis Prophetae ſequentibus. גּוּר eſt *confidere in inſidiis, inſidiari* [v. 15.] et verba הֵן גּוֹר וגו׳ Millio videntur ſic eſſe explicanda: *ecce omnino inſidiabitur* hoſtis *ſine me*, h. e. fruſtra, ita ut conſiliis non reſpondeat eventus: *quis tibi inſidiatus, ſuper te cadet?* i. e. nemo inſidiatorum imprudentem te aggredietur et opprimet [ſ. 142 — 144.]. חָרָשׁ ſignat [v. 16.] *fabrum ferrarium*, qui quatenus excitat ignem aura follis, dicitur נֹפֵחַ בְּאֵשׁ פֶּחָם [§. 145.]. מַשְׁחִית eſt *telum*, inſtrumentum paratum ad perdendum, quod apud Ezechielem [Cap. 9, 1.] nominatur plene כְּלִי מַשְׁחֵת. לָשׁוֹן, ut ſaepe univerſe de hominibus legitur uſurpatum, ita hic apud Ieſaiam [v. 17.] ſingulatim de *adverſariis* in iudicio debet accipi. id quod ſatis declaratur verbis קוּם et הִרְשִׁיעַ: quae eſſe forenſia verba, nemo ignorat [§. 148.]. Atque ex his iudicium ſerent facile lectores de facultate Millii, eiusque de *ῥήσει* Ieſaiae ſententia.

Iam progrediamur ad Commentarium eiusdem generis in Pſalmum CXXI. [pag. 213 — 260.] et CXXII. [pag. 261 — 326.]: quorum Pſalmorum interpretationem propterea coniunxiſſe videtur Millius cum Capite divini Vatis laudato, quia eos putavit exponere de eiusdem Eccleſiae felicitate atque bonis et commodis.

Atque

Atque prima quidem et viceſima Oda a Davide conatur oſtendere, prima Commentarii parte, qua ſenſus eius litteralis continetur, praedictam fuiſſe beneficiorum excellentiam, quibus deus cumulaturus eſſet N. T. temporibus eos de barbaris, qui ſe in diſciplinam Chriſti tradidiſſent [§. 5.], repudiatis et exploſis aliorum interpretum de argumento Odes ſententiis [§. 3. 4.]. Verba שִׁיר לַמַּעֲלוֹת, hic enim Pſalmi index eſt, dicit commodiſſime accipi cum Iudaeis de *eo Pſalmorum genere, quos Levitae aliique Iſraëlitae nobiles, exeunte primo feſti tabernaculorum die, cecinerint in quindecim* illis *gradibus*, quibus atrium mulierum, ut vocant, ab atrio Iſraëlitarum diremtum atque ſecretum fuiſſe novimus [§. 2.]. Praemiſſa, ut ſupra, ἀναλύσει brevi Odes [§. 7.], ipſam enarrare inſtituit [§. 1—29.]. Verba אֶשָּׂא עֵינַי אֶל־הֶהָרִים accipit interrogative, intellecte τῷ הֲ: quod ſane novum non eſt: et per הֶהָרִים indicantur aut *templa* et *delubra deaſtrorum;* quos in montibus cultos fuiſſe a barbaris, quis neſcit? aut *mons Moria*, in quo ſitum fuit templum veri dei; ſed tum ante verbum אֶשָּׂא interrogatio tolli debet [§. 1—4.]. Poſt עֶזְרִי [v. 2.] apertum eſt repeti debere Futurum יָבוֹא: quod iam Lutherus vidit [v. 5.]. Quia deus deinde [v. 3.] שֹׁמֵר dicitur: agit paucis Auctor de diis cuſtodibus et conſervatoribus barbarorum [§. 12.]. צֵל [v. 5.] imago eſt atque ſymbolum *defenſoris* et propugnatoris [§. 15.]: et poſt יָרֵחַ [v. 6.] intelligi e ſuperioribus oportet verbum יַכֶּכָּה. nam הִכָּה, ut Latinum verbum *urere*, de aeſtu non minus, quam de frigore vehementi et gravi, uſurpatur. Aeſtus autem, et frigus nocturnum vehemens, ſymbola magnarum calamitatum ſunt [§. 19—26.]. צֵאת וּבוֹא [v. 8.] ſignificant *omnem vitam, omnia conata, inſtituta, conſilia, actiones:* neque *mortem* et *ingreſſum in vitam meliorem*, ut perperam et contra uſum loquendi communem tradit Millius in altera Commentarii parte [§. 21.], quae, ut ante oſtendimus, ſenſum Odes myſticum patefa-

 cit

Digitized by Google

cit [§. 21 — 27.], ſed quam eadem de cauſſa neque hic, neque deinde, attingemus, qua adducti eam ſupra praetermiſimus.

Quae igitur nobis in Commentario in Pſalmum CXXII. [p. 261 — 326.] digna quodammodo commemoratione viſa fuerunt, haec ſunt. Docetur primo, agi Oda illa proprie quidem de urbe Hieroſolymitana, qualis poſt Davidis tempora fuerit, quo omnes Iudaeorum tribus ad colendum deum undique confluxerint [§. 4.]: ſed myſtice [§. 1 — 39.] de Eccleſiae chriſtianae N. T. felicitate et commodis. Deinde brevem eius ἀνάλυσιν excipit ipſa verborum ſingulorum interpretatio. Verbum חֻבְּרָה praeſtat de *incolis* atque *civibus*, qui iisdem ſacris, tanquam communi vinculo, copulati inter ſe atque coniuncti eſſe debeant, quam de aedificiis, accipere [§. 19 — 25.]. שִׁבְטֵי יָהּ [v. 4.] ſunt Iudaei [§. 30.]: et עֵדוּת לְיִשְׂרָאֵל intellige de praecepto dei, ut Iudaei Hieroſolyma proficiſcerentur ad celebrandos obeundosque ſtatos atque ſolemnes dies feſtos: ita ut verba illa Latine reddi poſſint: *ut imperatum iis a deo eſt: iuſſu dei* [§. 32.]. Quid ſint כִּסְאוֹת [v. 5.], fuſius demonſtratur [§. 36 — 38.], doceturque genti Davidis propterea tribui ſolia, quod penes poſteros eius ſumma fuerit poteſtas iudicandi [§. 39.]. Verborum שַׁאֲלוּ שְׁלוֹם יְרוּשָׁלָםִ [v. 6.] ſenſus eſt: *coniungite preces pro ſalute et incolumitate Hieroſolymorum* [§. 40 — 42.]. Per אֹהֲבָיִךְ ſine dubio intelligendi ſunt incolae et *cives Hieroſolymitani*: neque opus eſt, ut quis cum Geiero ante verbum יִשְׁלָיוּ arbitretur deeſſe Infinitivum לֵאמֹר, quum poſſint eſſe verba optantis, aut intelligi queat particula ו [§. 43. 44.]. Quia חֵיל *omnia quae ad defendendum pertinent*, ſignificat: non videtur dubitandum, quin eo nomine hic [v. 7.] *omnia ea* comprehendantur, *quae hoſtibus ante muros obiiciuntur*, quae eos morentur atque impediant, ne accedere illico ad ipſa moenia liceat; ita ut Alexandrini interpretes rectiſſime id per

προ-

προτείχισμα converterint [§. 45. 46.]. אַרְמְנֹת ſunt quaevis *aedificia alta* et magnifica, ut quodammodo reſpondeat nomini *turris* Latinorum [§. 47. 48.]. Formulae דַּבֵּר שָׁלוֹם [v. 8.] et בַּקְשׁ טוֹב [v. 9.] idem declarant, *precari pacem omnisque generis commoda atque proſperitates:* et אַחִים ſunt *gentiles, populares*, qui etiam a ſcriptoribus N. T. *ἀδελφοὶ* dicuntur [§. 50—55.]. Atque haec etiam de Commentario in hunc Pſalmum.

Quartum in Volumine *locum* occupat *Theologica diſſertatio de eo, quod Chriſtiani teneantur uti Coena Dominica* [*p. 329—*p. 414.]. Primo docetur quam cupide veteres Chriſtiani uſi ſint coena memorata [§. 1. 2.]: neque tamen negatur, fuiſſe iam primis Eccleſiae Chriſtianae temporibus inter haereticos, qui vel commentis humani ingenii coenam illam contaminarent et violarent, ut Encratitae, Artotyritae, alii: vel de praeſentia corporis Chriſti dubitarent, quod genus Docetae, Gnoſtici, Phantaſiaſtae: vel ab coena ipſa abſtinerent, ut Archontici et Aſcodrutae: vel conviciis eam proſcinderent, ut Priſcillianiſtae, Meſſaliani, Manichaei [§. 3. 4.]. Recentioribus temporibus idem facere auſi ſunt multi, in primis Quaqueri et Gichteliani [§. 5.]. Horum igitur aliorumque iſtiusmodi furioſorum contra uſum Coenae Dominicae ratiunculis reiectis et profligatis, quas in tres veluti claſſes deſcripſit Auctor [§. 6—43.], argumentis vincit confirmatque pluribus iisdemque gravibus, omnes omnino, qui velint digni diſciplina Chriſtiana alumni eſſe et haberi, oportere uti Coena Dominica. Rationes quas eam in rem affert, hae ſunt. *Primo* Coenam illam conſtat a Chriſto *θεανθρώπῳ* inſtitutam eſſe, qua de cauſſa a Paullo Apoſtolo [1 Cor. 11, 20.] *δεῖπνον κυριακὸν* vocatur. perperam enim Grotius aliique quidam id de agapis accipiunt [§. 45.]. *Deinde* Chriſtus, idemque moriens, iuſſit Coena illa omnes diſciplinae ſuae alumnos uti. nam *ποιεῖτε* laudato Paulli loco [v. 24.] Imperativus eſt, non Indicativus, ut Grotius fingit [§. 46. 47.]. *Tum* illa ipſa Coena eſt efficax quaedam

recordatio beneficiorum Chriſti, et publica quaſi commemoratio atque praedicatio [§. 48—58.]: certioresque nos facit de peccatis condonatis, remiſſisque eorum poenis; quod probatur contra Beniaminum Hoadleium, Vintonienſem Epiſcopum [§. 59—62.]. *Porro* non debet cum eodem Viro docto dubitari, quin uſu huius Coenae renovetur foedus, quod inter deum atque homines intercedit [§. 63—70.]. Et ſicut eo ad ſtudium ſanctitatis vehementer excitantur et inflammantur Chriſtiani [§. 71—73.]: ita arctisſime non minus cum Chriſto Capite, quam inter ſe, unius corporis membra, copulantur et coniunguntur [§. 74—78.]. *Praeterea* nemo erit qui neget, Coenam illam eſſe notam ſignumque religionis certisſimum [§. 79. 80.]. *Denique* haec ipſa Coena non modo facultatem praebet copiamque facit liberalitatis beneficentiaeque exercendae, qua virtute nihil eſt praeſtantius, nihil divinius [§. 81.]: verum etiam imago futurae felicitatis debet duci [§. 82. 83.]: cuius deſiderio quis tam inimicus ſibi ſuaeque ſaluti eſt, qui non ſummo teneatur opere? Atque haec etiam ſit adumbrata quaſi imago Millianae de Coena Dominica diſſertationis.

Sequitur ut videamus de ſumma illius *libelli, qui eſt de tabernaculo Moſis* [p. 329—402.], ornatus cum ipſius tabernaculi, tum partium eius, inſtrumentorum, et vaſorum, figuris, in lamnis aeneis, radii ope, eleganter deſcriptio. Abſolvitur *Capitibus duobus*. *Primo* Capite commemorantur nomina aedis Hebraica et Graeca [§. 1—3.]. *Alterum* Caput in *partes tres* diviſum eſt. *Prima* pars exponit de *atrio*, ut vocant, primo univerſe [§. 1.], deinde de ſingulis *eius partibus*. *Vela*, quae totum illud ſpatium, quod atrium dicitur, cingebant, putat Auctor cum Iudaeis fuiſſe reticulata, neque figuris ullis diſtincta [§. 2.]. Illud autem velum quod orientem verſus portam atrii conſtituebat, ſolidum, non reticulatum, erat [§. 3.]. Haec vela ſuſpenſa erant in columnis ligneis, non aeneis, qui Ioſephi error eſt: quamvis baſes aeneas habentibus [§. 4.]. Harum

rum columnarum fuere ſexaginta, de quarum ordine et intervallis diligenter ab Millio quaeritur [§. 6. 7.]. In ipſo atrio ad orientem erat *altare holocauſtorum*, factum tabulis cedrinis, quae obductae erant laminis aeneis; unde vocatur [2 Chron. 1, 6.] מִזְבַּח נְחֹשֶׁת; ſed cavum terraque repletum. Neque tamen propterea מִזְבַּח אֲדָמָה [Exod. 20, 24.] nominatur: immo loco illo Moſis videtur ſignificari altare longe aliud diverſumque ab altari holocauſtorum tabernaculi [§. 8. 9.]. Hoc vero inſtructum erat quatuor קְרָנוֹת: quae Millius ſuſpicatur fuiſſe totidem parallelipipeda, ſuperne aperta, intus cava, in quae ſanguis adſperſus influeret [§. 10 — 13.]. Focus eius erat triplex [§. 14. 15.]: et e ritu modoque cinerum inde colligendorum loca quaedam ſacrorum librorum [Prov. 25, 21 ſeq. coll. Rom. 12, 20. Apoc. 8, 5.] explicari debent [§. 17.]. Clivus quo conſcendebant ſacerdotes altare, erat ab eo ſecretus, non continens [§. 18.]. Poſt vocabulum כַּרְכֹּב [§. 19.] agitur de verbis מַעֲשֵׂה רֶשֶׁת, oſtenditurque, iis non ſignari craticulam in ſummo altari, ſed imam eius partem, reticulatam, quae ad medium altare pertinuerit, et ob foraminum multitudinem etiam מַעֲשֵׂה מִכְבָּר dicta ſit. Ei affixi erant anuli, per quos vectes transmittebantur, quibus portaretur altare [§. 20. 21.]. Inſtrumenta altaris memorantur סִירֹת, מִזְרָקוֹת, יָעִים, מִזְלָגוֹת, מַחְתּוֹת, [§. 22. 23.]. Prope ipſam aedem, auſtrum verſus, ſtabat *labrum* aeneum, cuius figurae eminentes a Moſe [Exod. 38, 8.] dicuntur מַרְאוֹת הַצֹּבְאוֹת [§. 24. 25.]. Caeterum e libris Iudaeorum demonſtratur [§. 26.], non procul inde fuiſſe octo menſas marmoreas, quibus imponerentur victimae a ſordibus purgatae. iuxta eas erant totidem columnae lapideae, atque in his trabes cedrinae, in quarum uncis ſuſpendebantur victimae. *Altera* pars *ſecundi Capitis* continetur *tribus Capitibus* aliis: quorum *primum* univerſe agit de prima et altera ipſius tabernaculi parte. Prima pars iuncta erat ab atrio aſſeribus, et velo quod loco portae

portae erat et מָסָךְ vocabatur; quemadmodum id, per quod aditus ad adyta patebat, פָּרֹכֶת nominatur [§. 1—4.]. Vtraque vero pars conteƈta erat velis quatuor, duobus internis, et totidem externis [§. 5—11.]. *Alterum* Caput deſcriptum eſt in *tria membra. Primum* eorum deſcribit *altare ſuffitus* [§. 1—3.], laudatque odores qui in eo incendebantur [§. 4.], neque praetermittit modum illos adolendi, notatque errores Virorum doƈtorum de turibulo, quod in hoc altari poſitum fuerit [§. 5. 6.]. *Altero* membro exponitur de *menſa* in qua panes erant poſiti, qui לֶחֶם פָּנִים vocantur, eiusque inſtrumentis, קְעָרֹת, מְנַקִּיֹּת, קְשׂוֹת, כַּפּוֹת, erroresque ea de re quorundam convincuntur [§. 1—9.]. *Tertium* membrum monſtrat materiem figuramque *lychnuchi* veram atque uſum: et explicat oleum ſanƈtum caeteraque candelabri inſtrumenta [§. 1—12.]. Denique *tertia pars ſecundi Capitis* compleƈtitur nomina *adytorum* [§. 1.]; et depingit formam atque ſpeciem *arcae foederis*, quam vocant: exponit porro de eiusdem *operculo*, docetque illud כַּפֹּרֶת dici a כפר quod verbum in lingua Arabica [كفر] ſignificet *tegere*, *obtegere* [§. 2—4.]. *Cherubi* Millio videntur praediti fuiſſe facie adoleſcentum, qui etiam varios de iis errores multorum caſtigat [§. 5—9.]. Praeterea quaerit de *tabulis foederis* quae dicuntur [§. 11.]: itemque de eo *vaſculo*, quod Moſi צִנְצֶנֶת audit [§. 12. 13.]; et de *ſcipione Aharonis* [§. 14. 15.], qui una cum vaſculo illo, praeter tabulas foederis, in arca fuit Moſis aetate [Hebr. 9, 4.]: et de θυμιατηρίῳ [§. 17.]. Haƈtenus de libello Milliano de Moſis tabernaculo.

Poſt quinque Indices verborum rerumque, comparent, corollarii loco, *duae Orationes. Prima*, quam recitavit Millius Traieƈti ad Rhenum, menſe Oƈtobri A. C. CIↃIↃCCXXVIIII, quum Profeſſor Theologiae Ordinarius evaſiſſet, docet *primo*, Theologiam Exegeticam fundamentum eſſe et baſin reliquarum Theologiae partium omnium:

omnium: *deinde* nominantur quidam et celebrantur, qui, cum primis Eccleſiae Chriſtianae ſaeculis, tum etiam poſterioribus temporibus, laude facultatis interpretandi divinos libros eximiae floruerint: quo pertinent apud Iudaeos Abenesra, Abarbanel, Kimchi; apud Chriſtianos Origenes, Euſebius Caeſarienſis, Iohannes Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus; Zwinglius, Calvinus, Paullus Fagius, Seb. Munſterus, Beza; Lutherus, Melanchton, Ioh. Brentius, Ioach. Camerarius, Flacius, Glaſſius, Aug. Pfeifferus; Cornelius a Lapide; Eraſmus, Druſius, Grotius, Cocceius, et alii. *Alteram* Orationem, *de erudita pietate*, habuit Millius eadem in urbe, menſe quidem Martio, A. C. CIↃIↃCC XXXXIII, quum iterum poneret faſces Academicos. Oſtenditur illa, ſolius pietatis auxilio nemini licere aſſequi laudem doctrinae litterarumque cognitionis, ſed opus ad eam parandam eſſe magna induſtria, flagranti ſtudio, asſidua et diligentisſima bonorum librorum omnis generis lectione: etſi ſponte intelligatur, ſine pietate adverſus deum omnia illa conata vana fore atque irrita; ita ut nemo vere eruditus fieri posſit, qui non idem ſit pius in deum, ſed non omnes pii evadant ſtatim etiam eruditi.

Et profecto e toto hoc Volumine, cuius ſummam indicavimus paucis, abunde apparet, in Millio quidem non minorem pietatem erga deum, quam doctrinam rerumque et humanarum et divinarum ſcientiam, fuiſſe coniunctam, ut exemplum boni Profeſſoris Theologiae proponi mereatur omnibus eiusdem ordinis hominibus. Ornatum eſt praeterea Volumen effigie Auctoris, radio in lamnis aeneis ſcite deſcripta, atque Elegiis Latinis Virorum quorundam doctorum ad eundem: in quibus maxime memorabilis eſt illa, quae *Ioh. Hildebrandum Vuithofium* auctorem habet; propterea, quod ei notam addidit, in qua locum Flori nobilem [lib. 3, 5.] a multis varie tentatum ita conatus eſt emendare: *Hieroſolymam defendere tentavere Iudaei: verum hanc quoque intravit, et vidit illud grande impiae gentis arcanum pătens ſub aureo* coli *caelo. Diſſidentibusque de regno*

 fratri-

Digitized by Google

fratribus, arbiter factus, regnare iuſſit Hircanum, Ariſtobulo, quia renuebat, carcerem et *catenas dedit.*

B. S. ALBINI ACADEMICAR. ANNOTATIONUM LIBER QUARTUS. Continet Anatomica, Phyſiologica, Pathologica.

Leidae, apud I. et H. Verbeek, Bibliopolas, 1758. plag. 15. in 4to, c. tab. aen. 7.

Celeberrimus harum annotationum Auctor, cui ſubtilior Anatome tantum debet, quantum alii fere noſtris temporibus nulli, artis medicae cultores novo hoc munuſculo ſibi devincit. *Cap.* I. disquirit, quomodo cranium, creſcendo, accommodet ſe iis, quae continet. Scilicet, nemini ignoti ſunt ſulci illi in interiore cranii parte, ramoſi, quadam arbuſcularum ſimilitudine conſpicui, quibus inhaerent arteriae craſſae meningis. Sulcos illos, ab ipſis arteriis, non vi quidem, ſed ſaepe pulſando, formari, Phyſiologiae doctores ad unum fere omnes opinantur. Hoc autem non ita habere, docet Auctor Clariſſimus, dum evincit, ſulcos illos cranio non ab arteriis imprimi, ſed circum arterias potius, creſcente demum oſſe, naſci. Aſſertum ex eo probat, quod ſulci in calvaria ſunt, quibus vena inhaeret nulla comite arteria. Exempla ſane eſſe notiſſima; veſtigia, et veluti ſemicanales magnos, quibus ſinus laterales, et qui ſupra proceſſum falciformem eſt, inſident. Et quemadmodum ſulci, quibus craſſae meningis arteriae inhaereant, in parvis embryonibus, ubi iam oſſea natura, inveniantur nulli, oſſe vero aliquantum confirmatiore, prima truncorum ramorumque maiorum initia, reperiri, quae deinde paulatim augeantur in maius, ac veluti radios emittant ſenſim ſenſimque ramoſiores: ita idem prorſus verum eſſe de ſulcis illis, quibus inhaereant venoſa vaſa. Haec quidem de ſulcis vaſorum. Sed ſimilem de encephalo quoque ſententiam fovet incomparabilis *Albinus*, atque ita exiſtimat, ut vaſis craſſae meningis, ſic encephalo,

lo, cranium ſenſim ſe circumcirca accommodare. Eandem rem illuſtrat iis, quae in arboribus fieri quotidie videmus. Nempe, quidquid incuſſum iis aut affixum firmiter eſt, diuturnitate temporis omne id a ſupercreſcente arbore comprehenditur. Paucis tandem rem totam Auctor complectitur, ac fatetur, quandam, ultra quam ſapere datum nobis non ſit, naturae legem eſſe, qua fiat, ut, vi interiore creſcente cranio, pariterque cum eo creſcentibus iis quae continet, calvaria ſe accommodet, aptaque inter ſe creſcere quaſi harmonice pergant, donec adoleverint, natura preſſionem temperante. *Capite* II. verba quaedam adiicit explicationi tabularum duarum, quibus impreſſae ſunt duodecim icones, aurem humanam interiorem repraeſentantes, ad quas delegamus lectores noſtros. Non enim exponi haec ſatis, nullis propoſitis tabulis, poſſunt. *Cap.* III. de vaſis deferentibus, veſiculis ſeminalibus, et emiſſariis, quibus ad urethram pertingunt, deque oſtiolis in capite gallinaginis, Auctor diſputat; atque ea, quae *Graſius*, *Svammerdamus*, *Leolis*, *Clarckius*, *Morgagnus*, *Boerhaavius*, ſuper his rebus commentati ſunt, expendens, ita tandem decernit, vas deferens, toto latere interiore veſiculae ſeminalis decurrens, ſenſim ſe in veſiculae ſpeciem dilatare, quae ſeminalem contingens, et cum ea connexa, in fine coarctet ſe, et coeat, atque adeo in unum quaſi confluat cum ſeminali, et ipſa ea parte contractiore; ex quo nata pars communis, ſenſim contractior, deſinat in emiſſarium canalem, ad urethram pertingentem. Cum veſica et urethra, veſiculae item ſeminales, vaſaque deferentia, modice diſtenta ſint, tunc emiſſaria a principio aliquantum diſiuncta, convenire angulo admodum acuto, poſt ſe invicem contingere. Proprium utrique exitum eſſe in urethra, oſtiolo contractiore, quorum alterum a dextra carunculae parte ſit, alterum a ſiniſtra, ibi, ubi capitis gallinaginis pars roſtro reſpondens ab ipſo capite, h. e. caruncula, procedere incipit. Semen etiam ex vaſe deferente, in veſiculam ſeminalem, inque commune emiſſa-

 rium,

rium, in quod deſinunt, penetrare poſſe. Ubi vero emittendum non ſit, recipere facilius veſiculam capaciorem, quam exitus contractior emiſſarii communis exire ſinat. Atque, ſive velis, veſiculas ſeminales, quem continent humorem, per deferentia accepiſſe; ſive in ipſis generatum eſſe veſiculis; ſive utrumque velis: quemque fabrica haud difficulter induci ad exiſtimandum, ſeminalem in re venerea humorem, tum ex veſicula, tum ex deferente, per commune his emiſſarium, ab utraque parte, dextra aeque ac ſiniſtra, erumpere. De carunculae foramine tertio, ſinuque, cuius oſtium eſt, a *Morgagno,* Anatomicorum, quotquot fuerunt, perſpicaciſſimo, egregie deſcriptis, A. addit hoc, inter demonſtrandum inflare ſolitum ſe fuiſſe, fiſtula non longe a foramine admota, ſic quidem, ut non contingeret; eoque ſinu diſtento, carunculam fuiſſe veſiculae membraneae ſpecie diſtentam. Carunculam in urethrae principio eminere, quod, ubi diſtentum, capacius ſit, inde ſenſim contractius. Proſtata principium illud contineri, una cum extremis vaſis deferentibus, proximaque parte veſicularum ſeminalium, cumque emiſſariis ad urethram pertinentibus. *Capite* IV. mentio iniicitur muſculi cuiusdam cephalopharyngei, orti a baſi cranii iuxta latus pharyngis, ac demiſſi ſub eius conſtrictore ſuperiore, deinde adiuncti ſtylopharyngei parti poſteriori, quocum deſiit. *Cap.* V. deſcribitur muſculus quidam ſubcruralis, in priori parte oſſis femoris inventus, pertinens ad membranam, quae articulum genu continet. Origo eius erat in femore, infra longitudinem huius mediam; lateſcens exibat in caudas duas, quae divergentes, inque tenuem tendinem verſae, membranae illi ſe innectebant, ab utroque latere patellae. Venter non continuus, ſed in faſciculos, tanquam in plura capita, diviſus. *Cap.*VI. A. narrat, ſe in procero robuſtoque homine reperiſſe muſculum extenſorem brevem digitorum manus, ad ſolum digitum medium pertingentem. Originem repetiit ex canali illo, per quem ſe a cubito ad manum tendines extenſoris communis digito-

rum

rum demittunt; ac per manus dorſum porrectus, tendinem ſuum tendini extenſoris communis, iuxta principium digiti medii, a parte indicis adiunxit, eo modo, quo extenſor digitorum brevis in pede. Fuit exilis, ſatis latus, ex anguſto ſenſim aliquantum plenior et latior, dein rurſus tenuior et anguſtior, ventre longo, carne pallida, tendine tenui, anguſto, longo. Alio tempore in manu utraque invenit muſculum, qui, tendine ad poſtremum extenuato, pertinuit ad indicis principium, ſub cuius tendinibus muſculorum extendentium, in membranis, quae ſunt circa articulum indicis cum metacarpo, evanuit, extrema parte in membranarum tenuitatem inſigniter dilatata. *Cap.* VII. ea, quae de tendinis ortu ex carne muſculi, in hiſtoria muſculorum, ſcripſit, icone illuſtrat A. *Cap.* VIII. de arteriae membranis, et vaſis, nonnulla profert. Et membranae quidem hae ſunt: primo muſculoſa craſſiſſima, ex fibris conſtans firmis durisque, flexilibus tamen, denſe compactis, quae neque carneis, neque tendineis ſimiles, circularem ductum ſequuntur omnes, nec tamen circulos integros oſtendunt. Dividi ea poteſt in multas veluti tunicas, fere pro lubitu. Hanc veſtit ex interiore parte alia tenuis, denſa, ſtricte adhaerens, ex interiore parte, qua capacitatem arteriae ſpectat, aequabilis et laevis, canalis capacitatem propria efficiens, et apta quae ſanguinem contineat, et libere ac facile ruere ſinat. Porro muſculoſae ab exteriore parte adhaeret alia, continens illam, tenuis, denſa, alba, firma, dilatabilis, cellulofa, condenſatior, nervoſa dicenda, perficiens ab ea parte arteriam, firmansque. Sed ex denſitate illa laxat ſe in exteriorem partem, vocaturque cellulofa, facile dilatabilis, et facile concidens, qua proximis cum partibus ita connectitur arteria, ut tum in loco ſuo retineatur, tum obſequente lubrica cellulofa cedat, et reſtituat ſe melius. Accedit tandem tunica, quam vocant externam, cuius vero ratio ibi, ubi de tunicis arteriarum agitur, non habenda videtur, cum ea non ubique, ſed ibi tantum reperiatur, ubi arteria iter per loca

 facit,

facit, quae ſingulari membrana inveſtiuntur, veluti per thoracis abdominisve cavum. Arteria etiam vaſcula in ſe recipit a vicinis. Exſciſſo rene, reſciſſo brachio, aliove membro, truncis vaſorum impletis, vaſcula parva impleta circa eos fuerunt. Glandulas arteria humana nunquam oſtendit, neque fibras per longitudinem iacentes. Neque telae celluloſae, inter muſculoſam intimamque membranam reperiundae, mentionem a ſe factam eſſe, ut nuper ſcripſit *Hallerus*, ſed a celeberr. *Monro* traditum eſſe, incipiente putrefactione tunica interna cum deceſſerit, celluloſam materiam, qua cum muſculoſa connectitur, cerni. *Cap.* IX. nonnulla inſeruntur, quae pertinent ad tabulam ab Auctore nuper editam, vaſis chyliferi cum vena azyga, arteriis intercoſtalibus, aliisque vicinis partibus. Hæc autem nec per ſe compendium admittunt, nec intelligi poſſunt niſi ab iis, qui tabulam eam, affabre aeri inſculptam, ipſi inſpexerint. *Cap.* X. obſervationes de hymene tradit Cl. Auctor. Nimirum, in maturo embryone, in recens natis, haec ait ſe animadvertiſſe. Rima virginali, nymphisque cum ſcaphula plane diductis, hymen intima in parte conſpiciebatur, ad vaginae introitum, membrana fere circularis, lata, media perforata, quadam uveae et pupillae ſimilitudine; latior autem, qua parte perinaeo propior, inde ſe ab utraque parte aliquantum anguſtans. Foramen rotundius; niſi quod, qua parte perinaeum ſpectabat, in angulum ſe contraxit, ob craſſiorem quandam hymenis partem, ab angulo illo ad ſcaphulam pertinentem, inſtar freni, quam tamen non invenit in aliis. Ubi autem rimam cum nymphis et ſcaphula non niſi modice diduxit, hymenis forma ovata, rima in eo recta, loco foraminis rotundioris, hymen anguſtior, non extentus, laxus, aliquantum rugoſus. Ubi tam parum diduxit, ut modo cernere hymen poſſet, hymen laxior, contingentibus ſe lateribus, rima eius clauſa, et laxitate contingentium ſe marginum ne quidem apparens; hymen colliculum referens rectum, ex lateribus ſurgentem, inſtar columnae, vel potius columellae.

Digitized by Google

mellae. Haec in mortuis. Sed ſimilia etiam in viventibus, recteque valentibus, vidit. Interim, hymenis integritatem, non vitiatae virginitatis ſignum non ſemper eſſe, inter alia docuit puella nubilis, cui viventi hymen magnus, amplus, firmus, et, cum rima eius admodum diducta eſſet, ore tanto hians, ut virum pati potuiſſe videretur, nec tamen corrumpi. *Capite* XI. diverſitates quasdam in oſſe ſacro interdum conſpicuas deſcribit Auctor. Aliquando os illud, quod plerumque e quinis partibus conſtat, partes ſex oſtendit, quae utplurimum quidem inter ſe coaleſcunt, in raro tamen exemplo, quod aſſervat Auctor, et Tab. VII. fig. 5. propoſuit, prima vertebra a ſecunda ſuo corpore ex toto notabilique intervallo disiuncta eſt, opplentibus intervallum ligamentis, ut inter corpora vertebrarum verarum; totaque praeterea vertebra illa prima imae lumborum ſimilis, ſeparataque, niſi quod proceſſu ſuo transverſo altero cum ſuperiore parte lateris ſacri coniuncta eſt, ſic ut partem eius efficiat. *Capite* XII. labium leporinum in puero recens nato deſcribitur. Labium ſuperius ſub utraque nare fiſſum erat, fiſſa quoque naſi ala utraque iuxta globulum, item gingiva ſuperior iuxta utramque labii fiſſuram. Praeterea totum defuit palatum, tum ſtabile, tum molle, cum uva, ſic ut capacitas os nareſque eſſent una. Interſtitium narium, quia palatum, cui inniteretur, nullum, ſublime pendens; infra autem, qua parte ceteroquin palato innititur, veſtitum cute capacitatis narium, ab altero latere in alterum circumeunte imam oram. *Cap.* XIII. A. de *Ruyſchii* involucro penis nervoſo externo ſuperaddit quaedam illis, quae iam Lib. II. et III. ſuper ea re tradiderat. *Cap.* XIV. eſt polemicum, quo Cel. Auctor ſibi inventa nonnulla, ab *Hallero* ipſi erepta, vindicat. Et recte quidem. Etiam extra Hercyniam ſapiunt homines. Artes quaevis terra alit: ſuntque praeter eos, quibus ſolis ii, quos confutat Albinus, eruditis eſſe concedunt, bene multi, qui iſtorum hominum rident nugas, atque invidiam; quae, quia non laudant niſi ſua, in propatulo eſt. Nos

vero

Digitized by Google

vero gratulamur rei medicae univerſae Albini Commentarios, atque, ut Vir ſummus quam diutiſſime fruatur nominis ſui gloria, vehementer optamus.

NOVI COMMENTARII ACADEMIAE SCIENTIArum Imperialis Petropolitanae. TOMUS III. ad annum MDCCL. et MDCCLI.

Petropoli, typis Academ. Scientiar. 1753. Alph. 2. pl. 13. Tab. aeneae 13. quatern.

Omne ſtudium atque operam inclutae Academiae Petropolitanae in eo potiſſimum collocari, ut quae in Phyſicis et Mathematicis, vel obſcura, vel nondum confirmata ſatis, et illuſtrentur, et confirmentur, atque etiam nova, et adhuc ignota, in lucem conſpectumque protrahantur, et ſatis iam conſtat, atque ex his quoque Commentariis apparet, quibus quae proponantur, breviter iam indicabimus.

I. Methodus aequationes differentiales altiorum graduum integrandi ulterius promota, Auctore L. EULERO. Iam in Miſcellan. Berolinenſibus doctiſſ. Auctor ſpecimen methodi, innumerabiles altiorum graduum aequationes tam expedite integrandi, ut unius operationis ope integralis ſtatim aequatio obtineatur, ita propoſuerat:

$$0 = Ay + \frac{Bdy}{dx} + \frac{Cddy}{dx^2} + \frac{Dd^3y}{dx^3} + \frac{Ed^4y}{dx^4} + \frac{Fd^5y}{dx^5} + \text{etc.}$$

ubi elementum dx pro conſtanti ſumitur, coefficientes autem litterae A, B, C, D, etc. indicant quoscunque conſtantes. Hanc vero methodum nunc ad hanc formam multo latiorem extendit

$$X = Ay + \frac{Bdy}{dx} + \frac{Cddy}{dx^2} + \frac{Dd^3y}{dx^3} + \frac{Ed^4y}{dx^4} + \frac{Fd^5y}{dx^5} \text{ etc.}$$

ubi X quamcunque quantitatem, ex x variabili et conſtantibus compoſitam, utcunque indicat. Neque ſolum Auctor hanc

hanc operationem ſemper ſuccedere demonſtrat, ad quemcunque demum gradum differentialium aequatio aſcendat, ne infiniteſimo quidem gradu excepto: ſed etiam, ut huius methodi prae vulgari praeſtantiam oſtenderet, caſum admodum ſimplicem, aequatione hac $d^3y = ydx^3$ contentum, ex methodi vulgaris legibus perſequitur, et, quam prolixum ac taedioſum calculum eius ſolutio requirat, exponit. Perduci quidem docet illo ad aequationem differentialem primi ordinis, ſed integrationem eius non exiguis laborare difficultatibus: huius vero methodi ope, facillima operatione, et ſpecialem aequationem, et generalem, tam perfecte reſolvi, ut aequatio integralis completa ſtatim appareat: operationem illam reduci ad Algebraicae aequationis reſolutionem, cuius forma ſic ex propoſita differentiali aequatione deducatur, ut ſit

$$0 = A + Bz + Cz^2 + Dz^3 + Ez^4 + Fz^5 + \text{etc.}$$

Omnem nunc rem in huius aequationis Algebraicae reſolutione contineri, atque hoc quidem facillimum eſſe in quaeſtione de integratione inſtituta: omnes huius aequationis eſſe indagandas radices, quamlibet earum ſimpliciſſimae regulae ope portionem integralis quaeſiti ſuppeditare, atque tali modo cunctis radicibus pertractatis, obtineri univerſum integrale completum.

II. De Serierum determinatione: ſeu nova methodus inveniendi terminos generales ſerierum, Auct. L. EULERO. Nactus eſt hac materia tractanda Auctor occaſionem, uſum methodi, in priori diſſertatione traditae, demonſtrandi. Docetur, ſeriem nondum pro determinata eſſe habendam, omnibus licet eius terminis datis, qui indicibus integris reſpondeant: innumerabiles diverſas ſeries inveniri poſſe, quibus iidem conveniant numeri: eandem eſſe ſerierum rationem, quae linearum curvarum, per data puncta ducendarum: ſicut, etiamſi numerus punctorum infinitus ſit, infinita genera curvarum linearum proponi poſſe, quae omnes per eadem puncta tranſeant; ſic, quamvis infiniti ſeriei termini ſint dati, neque tamen inde

 ipſam

ipſam ſeriem determinari, neque veram illius intelligi naturam: tum demum naturam ſeriei cognoſci, ſi et omnes terminos, indicibus integris convenientes, et indicibus fractis quibuscunque reſpondentes aſſignare poſſimus: eiusmodi cognitionem perfectam continere terminum ſeriei generalem, quo terminus cuicunque indici indefinito reſpondens, generaliter deſignetur: hoc termino generali perſpecto, ipſam ſeriei naturam nobis perſpectam eſſe: pleroſque alios modos, quibus ſeries deſcribi ſolet, hoc laborare vitio, ut ſeries non perfecte determinentur: tradi poſſe methodum latiſſime patentem, cuius ope omnium ſerierum, quarum termini per antecedentes, ſive ſine indice, ſive cum indice definiantur, terminos generales univerſaliſſime invenire liceat. Quare ſequentia problemata pertractantur; invenire terminum ſeriei generalem, cuius quilibet terminus aequalis ſit antecedenti, terminus vero primus $= 1$: Invenire terminum generalem ſeriei, cuius quilibet terminus excedat praecedentem data quantitate, et cuius terminus primus ſit datus: Invenire terminum generalem ſeriei, cuius quilibet terminus prodeat, ſi praecedens per datum numerum m multiplicetur, et cuius terminus primus ſit $= a$: Invenire terminum generalem ſeriei, cuius quilibet terminus oritur, ſi antecedens per datum numerum m multiplicetur, atque ad productum datus numerus c addatur, cuiusque ſeriei terminus primus ſit pariter datus $= a$: Invenire terminum generalem ſerierum recurrentium ſecundi ordinis, in quibus quilibet terminus aequatur aggregato binorum terminorum antecedentium per quoscunque numeros multiplicatorum: Invenire terminum generalem ſerierum recurrentium cuiuscunque ordinis, quarum quilibet terminus aequatur aggregato aliquot terminorum antecedentium per numeros quoscunque multiplicatorum: Si ſeriei quilibet terminus aequetur quantitati cuipiam conſtanti c, una cum aggregato aliquot terminorum antecedentium per datos numeros multiplicatorum, invenire huius ſeriei terminum generalem: Invenire terminum

num

num generalem ſeriei, cuius quilibet terminus indici x reſpondens, aequatur praecedentis multiplo cuicunque, una cum multiplo ipſius indicis, et quantitate quapiam conſtante: Invenire terminum generalem ſeriei, cuius quilibet terminus aequetur praecedenti una cum functione quacunque ipſius indicis: Invenire terminum generalem ſeriei, cuius quilibet terminus aequalis ſit praecedenti, per ſuum indicem multiplicato.

III. Conſideratio quarumdam ſerierum, quae ſingularibus proprietatibus ſunt praeditae, Auct. L. EULERO. Poſuit in praecedenti diſſertatione Auctor ſeriem aliquam ſingularem, cuius terminus primus ^{0}, decimus ^{1}, centeſimus ^{2}, milleſimus ^{3}, decies milleſimus ^{4}, etc. ita ut in genere indici, qui denarii quaecunque poteſtas fuerit, terminus reſpondeat, ipſi exponenti huius poteſtatis, ſiquidem numerus integer ſit, aequalis. Unde, cum fundamento huic logarithmi ſint ſuperſtructi, quivis ſeriei terminus ſui indicis logarithmus videatur: Auctor tamen demonſtrat, terminum nonum huius Seriei eſſe 0,89705085, atque adeo logarithmo novenarii minorem; ſimulque caſum ſingularem memoratum exponit, qui generaliori hac forma continetur, ut cuicunque indefinito indici x in ſerie conveniat terminus

$$= \frac{1-x}{1-a} + \frac{(1-x)(a-x}{a-a^{3}} + \frac{(1-x)(a-x)(a^{2}-x)}{a^{3}-a^{0}} + \frac{(1-x)(a-x)a^{2}-x)(a^{3}-x)}{a^{6}-a^{10}} + \text{etc.}$$

quae expreſſio etſi eſt in infinitum continuanda, quoties tamen x ſumitur aequalis cuipiam rationali poteſtati ipſius a ea non ſolum abrumpatur, ſed ipſi quoque exponenti ipſius a fiat aequalis: unde, ſi pro a denarius ſumatur, caſus memoratus oritur. Priorem vero generaliorem formam conſiderans intelligit, ſi terminus indici x reſpondet, ponatur $= s$, qui autem indici ax reſpondet $= t$, fore

$$1+s-t = (1-x)\left(1-\frac{x}{a}\right)\left(1-\frac{x}{a^{2}}\right)\left(1-\frac{x}{a^{3}}\right)\left(1-\frac{x}{a^{4}}\right) \text{etc.}$$

Digitized by Google

Unde apparet, ſi pro x capiatur poteſtas quaepiam ipſius a ob unum factorem certò evaneſcentem eſſe $t = 1 + s$. Atque hanc formam Auctor variis modis immutat, plurimaque alia, quibus doctrina ſerierum illuſtretur, proponit.

IV. De diviſoribus numerorum indagandis, Auct. G. W. KRAFFT. Inquirit Auctor, qui numerum propoſitum ex certis regulis diviſores admittere ſimplices docet, in generales numerorum formulas, et, quosnam illae admittant diviſores, indagat, ſimulque, quo modo diviſorem invenire poſſis, tradit. Sed etiam Theorema hoc: ſi numero quovis quadrato ſubtrahatur binarius, reſiduum nunquam dividi poſſe per ternarium: illuſtrat; et ſequens ſolvit problema: dato numero quocunque ita mutare notam unicam, ut certum ſit, numerum ita mutatum per omnes transpoſitiones poſſibiles non exhibere quadratum. Ambo propoſita ſunt in horum Actor. Supplement. Tom. VI. p. 471.

V. De partitione numerorum, Auctor L. EULERO. Fuit quondam Auctori quaeſtio propoſita, quot variis modis numerus 50 in ſeptem partes dividi poſſit? In qua ſolvenda cum vulgarem viam per inductionem iniret, valde incommodam eam eſſe intellexit; igitur omnino novam methodum ſolutionis huius problematis inveſtigavit. Inductioni igitur nihil auctoritati et fidei tribuens, ex certis analyſeos principiis formulas deducit, quae, quot variis modis numerus quicunque propoſitus in tot, quot volueris, partes ita dividi poſſit declarant, ut ne in maximis quidem numeris haereamus. Exponit etiam duplex problema, quorum altero quaerit: quot modis datus numerus in tot partes inaequales tantum, quot requiruntur, diſſecari poſſit; in altero, quot variis modis datus numerus in partes diſſecari poſſit, partium aequalitate non excluſa. Sic numerum 50 modis 522 in ſeptem partes inter ſe inaequales diſſecari poſſe; aequalitate autem omnium partium obſervata, numerum partitionum eſſe omnium 8946 intellexit. Addidit etiam Auctor tabulam bene longam, quot variis modis quilibet numerus per additionem produci poſſit, indicantem,

tem, ex qua ſine difficultate propoſitas huiusmodi quaeſtiones diſcutere licet.

VI. Meditationes de quantitatibus imaginariis conſtruendis, et radicibus imaginariis exhibendis, Auctore HENRICO KUEHNIO. Optat Auctor, ut, quas de quantitatum imaginariarum impoſſibilitate atque inaſſignabilitate imbiberint opiniones, dimittant eruditi, earumque Theoriam magis excolant. Hac enim exculta, viam aequationum altiorum exacte reſolvendarum aperiri, atque etiam radicum ad aequationes cubicas pertinentium conſtructiones genuinas dari poſſe, arbitratur. Ipſae meditationes longiores ſunt, quam ut hic exhiberi poſſint.

VII. Solutio problematis Geometrici, Auct. L. EULERO. Problema hoc eſt: datis diametris coniugatis ellipſeos, tam magnitudine, quam poſitione, invenire axes coniugatos tam magnitudine, quam longitudine. Huius problematis Auct. tres conſtructiones adfert, earumque rationes ſubiungit, ſed ipſe fatetur, conſtructionem, quam Pappus Alexandrinus ſine demonſtratione exhibet, his palmam praeripere. Qui quoniam demonſtrationem omiſit, ipſe conſtructionem Pappi cum ratione illius addit.

VIII. De perturbatione motus planetarum, ab eorum figura non ſphaerica oriunda. Auctore L. EULERO. Conſtat de motu lunae, illius Apogaeum fere duplo celerius progredi, quam per theoriam Newtoni inveniatur. Exhibent enim obſervationes, motum lunae medium ad motum anomaliae mediae ut 1, 0085193 ad 1, ita ut motus medius ſit ad motum Apogaei ut 1, 0085193 ad 0, 0085193, hoc eſt, ut 1 ad 0, 0084473. Ex theoria autem ob actionem Solis motus lunae medius ad motum Apogaei tantum eſſe deberet ut 1 ad 0, 0041045, unde exceſſus motus Apogaei veri ſupra theoreticum eſt ad motum medium ut 0, 0043428 ad 1. Quare probabile videtur Auctori, hunc motus Apogaei lunae exceſſum inde oriri, quod lunae corpus ſit oblongum, eiusque axis longior perpetuo ad centrum terrae fere directus. Unde etiam

Digitized by Google

rationem figurae iſtius oblongae definiri poſſe cenſet, cum eſſe debeat $\frac{{}^6ab}{bb} = 0,0043428$. Lunam quidem cum non ſit virga duobus globis onuſta, ut eius figura quaſi aequivaleat, multo longiorem dicit eſſe debere, ac fortaſſe 3. diametros terrae ſuperare, ita ut eius axis longior plus quam octies breviorem excederet, quod vix veritatis ſpeciem ullam habere videtur. Haec ſi igitur lunae oblonga figura non toleranda ſit, quamvis forte minor a figura ſphaerica defectus ad Apogaei accelerationem aliquid conferre poſſit: aliam tamen vim adeſſe debere exiſtimat inſuper in lunam agentem, tanto Apogaei motui producendo quae par ſit; ſeu ſtatuendum eſſe, vim terrae, lunam trahentem, non exacte eſſe quadratis diſtantiarum reciproce proportionalem. Quod etiam ex nonnullis lunae exiguis inaequalitatibus, theoriae repugnantibus, et inde, quod parallaxis lunae vera integro fere minuto maior deprehenditur, quam ſecundum theoriam eſſe deberet, concludendum Auctori videtur.

IX. De Machinis in genere, Auct. L. EULERO. Admodum imperfectam et mancam adhuc eſſe Machinarum cognitionem theoreticam Auctor exiſtimat; eumque, qui ſolis regulis in Mechanicae elementis traditis imbutus ad Machinarum fabricam ſe accingat, de earum ſucceſſu vel nihil certi promittere poſſe, vel ſpe concepta ſaepius deiici. Frictio, etſi actionem Machinarum non mediocriter perturbat, immerito tamen omnis culpa in eam transfertur. Vulgaris Mechanicae defectus ſola Analyſi ſublimiori tolli poteſt, et cognitione principiorum, et legum motus. Hoc variis exemplis Auctor illuſtrat. Perpendit caſum, ubi onus 1000 librarum, ope ponderis 100 librarum, elevari debet, ad quod axis in peritrochio adhibendus ſit. Hoc iam in vulgari doctrina traditur, ſi radius maior capiatur ad minorem in ratione 10 ad 1, onus a pondere in aequilibrio ſuſtentari, neque tamen adhuc moveri poſſe. Unde, ad

Digitized by Google

ad motum producendum, radium maiorem plus quam decies minorem ſuperare debere apparet. Radius igitur ille ſi undecies longior capiatur, motus ſequetur tardus: celerior contra motus, ſi undecies vel duodecies. Unde diſcimus, ſi nimis longus; ut centies vel millies longior, ſtatuatur, ponderis quidem deſcenſum celeriorem, ſed oneris aſcenſum tardiorem fore.

X. De motu Tautochrono pendulorum compoſitorum, Auct. L. EULERO. Laborant pendula vulgaria hoc vitio, quod omnes oſcillationes, et ampliores et minores, non paribus abſolvantur temporis intervallis. Quae inaequalitas originem trahit, cum ex motu circulari, qui ad aequalem oſcillationum durationem minus convenit; tum ex reſiſtentia medii, in quo oſcillationes abſolvuntur. Hanc quidem cauſam Auctor totam ſeponit, quoniam veram curvam, quae in fluido tautochroniſmum gignit, invenit, et ad praxin accommodavit. Nam cum cyclois penduli tantum ſimplicis oſcillationes iſochronas reddat, Auctor pro quovis pendulo compoſito curvam, ad tautochroniſmum aptam, inveſtigat, quae pro varia oſcillantis corporis figura varie mutari poteſt.

XI. De argento vivo calorem celerius recipiente, et celerius perdente, quam multa fluida leviora, experimenta et cogitationes, Auct. G. W. RICHMANN. Examinavit Auctor variis experimentis, quomodo ſolida diverſa calorem inter ſe et cum fluidis communicent, iisque deprehendit, argentum vivum, vel in medio aere denſiori aqueo, vel in nive frigidiori, maiora, quam aqua, ſpiritus ordinarius vini, petroleum, oleum terebinthinae, ſpiritus rectificatiſſimus, et oleum lini, decrementa caloris capere: idem accipere in medio aqueo calidiori maiora, quam petroleum, oleum terebinthinae, et ſpiritus vini ordinarius, incrementa: eſſe ferme aequalia in aere incrementa et decrementa caloris mercurii et petrolei, et decrementa caloris olei terebinthinae, petrolei, et mercurii: decrementa et incrementa caloris aquae et ſpiritus vini ordinarii in aere

aere minora decrementis et incrementis caloris argenti vivi et petrolei, olei autem lini decrementa in aere eſſe minora decrementis petrolei et mercurii.

XII. De ratione calorum et ratione denſitatis radiorum directorum ad denſitatem per lentem refractorum definienda, Cogitationes, Auct. G. W. RICHMANN. Radiorum ſolarium efficaciam augeri vitris cauſticis, maiorem quidem animadverti in minori, minorem vero in maiori a foco vitri diſtantia, Auctor docet. Cum etiam radiorum ſolarium, vitrum cauſticum penetrantium, et in foco concurrentium, denſitates ſint in diſtantiis a foco diverſis, ceteris paribus, ferme in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum a foco, facillimum videri poſſe, poſitis caloribus in ratione denſitatum radiorum invenire rationem calorum per Thermometra ordinaria, et diverſis expanſionibus liquoris Thermometrici numeros rationi praedictae congruentes aſſignare. Patere tamen, non eodem tempore, in diverſis a foco diſtantiis, Thermometra in axe coni radiantis locari, et obſervationes ſimultaneas inſtitui poſſe: ſucceſſivas obſervationes, cum unico Thermometro, in diverſis a foco diſtantiis, erroribus anſam praebere poſſe, quoniam efficacia radiorum ſolarium ſemper mutetur: radios naturalis denſitatis, cum radiis artificialis denſitatis non facile comparari poſſe; cum ipſo vitro et vaporibus multi radii intercipiantur: efficaciam radiorum ſolarium, per aerem his radiis antea calefactum transeuntem, minui poſt vitra cauſtica, variis experimentis confirmari: neque culpam eſſe in tranſitu ignis in aerem calefactum largiori, quam in alia corpora, ſed intercipi potius radios a vaporibus inter vitra cauſtica et ſolem haerentibus. Deinde Auctor ex variis obſervationibus concludit, radios directos, cum radiis refractis, commode comparari non poſſe. Nam ſi comparare liceret, et creſcente efficacia radiorum directorum creſcere quoque conſtanter deberet efficacia radiorum refractorum, et contra; et eidem gradui a radiis producto directis, idem gradus a refractis produ-

ctus

ctus reſpondere deberet, et contra; quod utrumque fieri nequit, quoniam calor a radiis ſolaribus in Thermometris productus non aeque velociter decreſcit, ac radiorum ſolarium numerus vaporibus minui poteſt. Tandem, ut diverſas radiorum in diverſis ſpatiis collectorum efficacias comparare poſſimus, non parum facere Auct. docet, ſi duas lentes aequalium diſtantiarum focalium, et earundem amplitudinum et craſſitierum, ex ſimili vitro confectas, verbo, duas lentes ſimiles et aequales eligamus, et in diverſis a foco diſtantiis, in utriusque coni radiantis axe Thermometri bulbum collocemus. Sic enim obſervabimus: 1) tantum radiorum ab una lente intercipi, quantum ab altera: 2) tot radios penetrare per unam lentem, quot penetrant per alteram: 3) per idem tempus in unius Thermometri bulbum efficaciam ſuam exercere radios ſolares, per quod exerunt in alterius Thermometri bulbum: 4) diſtantias radiorum ferme in ratione inverſa quadratorum diſtantiarum Thermometrorum a focis, et in eadem ratione efficaciae radiorum refractorum eſſe.

XIII. Emendatio laternae magicae ac microſcopii ſolaris, Auct. L. EULERO. Emendat Auctor primum vitia horum inſtrumentorum, et deinde novam proponit eorum conſtructionem. Primum vitium eſt, quod per laternam magicam et ſolare microſcopium non omnis generis obiecta repraeſentari poſſunt, ſed tantum ea quae maximam partem diaphana ſint. Inde figurae, laterna magica exhibendae, in tabulis vitreis coloribus dilutis valde pingendae ſunt; et microſcopia ſolaria non alia obiecta repraeſentant, niſi ita tenuia, ut lumini liberum tranſitum permittant, et pro diaphanis habenda ſint. Alterum vitium eſt, quod, cum obiecta in parte averſa illuminentur, unde depingendae partes propter pelluciditatem lumen accipiunt, radii libere transmiſſi in tabulam, qua pictura excipitur, incidentes, et imaginem perturbant, et, tabulam illuſtrantes, ipſam repraeſentationem minuunt. Quare, ut obiecta etiam non diaphana exhiberi poſſint, nullaque perturbatio a lumine

 alieno

alieno fiat, Auct. obiecta non per radios a tergo transmiſſos, ſed a parte antica incidentes illuſtrare ſuadet. Obiectis repraeſentandis vult illuminationem ſatis fortem induci, ſic ut nullus radius a luce, ad hoc adhibita, directe in tabulam poſſit incidere: lux iſta illuminans ad latera tubi, per quem repraeſentatio accidit, conſtituatur, omnisque ei ad tabulam, imaginem recipientem, praecludatur aditus: adiungatur denique talis mechaniſmus, quo obiecto ſive a ſole, ſive a lumine plurium lampadum, ſpeculorum lentiumve convexarum, illuminatio magna induci poſſit. Dein Auctor pro cognita obiecti illuminatione per theoriam, in ſplendorem ſeu quantitatem luminis, quo ipſa imago exprimi debeat per lentem refringentem inquirit, ſplendoremque hunc cum lumine, quo ipſum obiectum a luna plena illuſtraretur, comparat, et ſic lumen, quo imago quovis ſub caſu ſit apparitura, a priori deſignat. Denique, pro magnitudine obiectorum repraeſentandorum, et ratione multiplicationis in imagine factae, quatuor talium machinarum genera proponit. Primum ad obiecta ſex pedum repraeſentanda; alterum ad obiecta unius pedis; tertium ad duorum digitorum; ultimum ad duarum linearum obiecta, eſt accommodatum. Horum in quolibet genere tam magnitudo, quam apertura lentis idoneae, ab Auct. determinatur, et ſplendor imaginis, cuilibet multiplicationi conveniens, aſſignatur.

XIV. Annotationes circa conſtructionem horologii marini, Auct. C. G. KRATZENSTEIN. Recenſet Auctor imperfectiones clepſydrarum mercurialium, a Dudlaeo nautis commendatarum; quo pertinere videtur 1) alteratio aeris vitro incluſi, propter calorem et frigus, modo plus, modo minus fluxui reſiſtens: 2) dilatatio et contractio vitri et luminis mercurium transmittentis, caloris mutationibus oriunda: 3) humiditates, modo plus, modo minus mercurio adhaerentes, et fluxum retardantes: 4) acceleratio et retardatio fluxus, per vim centrifugam oſcillatione navis mercurio impreſſam: 5) irregularitas fluxus, ex diverſa cohaeſione

haeſione Mercurii inter ſe et cum lateribus vitri, pro diverſo caloris frigorisve gradu. Hiſce imperfectionibus Auct. mederi ſtudet. Primam putat per aeris evacuationem tolli; alteram, tertiam, et quintam, per conſervationem clepſydrae in eodem caloris gradu; quartam vero inevitabilem eſſe iudicat. His diſputatis proponit Auctor, quibusnam proprietatibus horologium marinum, ſi perfectum in ſuo genere iudicandum ſit, praeditum eſſe debeat. Requirit potiſſimum, ut nulla motus variatio in eo contingat 1) ex oſcillatione et ſuccuſſione navis, 2) ex differentia gravitatis ſub diverſis ab aequatore diſtantiis, 3) ex penduli elongatione et contractione, calore et frigore oriunda: ex mutatione denſitatis et humiditatis aeris: ex aucta tenacitate olei ad inunctionem adhibiti: ex variatione vis elaſticae ſub diverſo caloris gradu, ſi elater adhibetur: ex nova intenſione vis motricis. Quae quomodo praeſtari poſſint, Auct. exponit, variaque de conſtructione horologii marini addit.

XV. Obſervationes meteorologicae, factae Tubingae, annis 1747, 1748, et 1749. Auct. G. W. KRAFFT.

XVI. Obſervationes Anatomico-practicae, communicatae a IO. FREDERICO SCHREIBER. In Obſerv. I, ut in chirurgia capitis ſuturarum varietates, quot poſſunt, cognoſcantur, figura capitis delineatur, in quo oſſa, quae triquetra appellantur, accurate proponuntur; in II. traduntur ſingularia viſa in cadavere G. T. Iunckeri, ſodalis Academiae; in III. enormis fractura delineatur, poſt obitum in cranio adoleſcentis viſa, dies 19. ſine malis ſignis ſuperſtitis; in IV. valde ingens anevriſma in pectore, ex cadavere viri proponitur; in V. cor villoſum nautae ſiſtitur; in VI. mentio fit ſcroti iuvenis, in quo praeter duo teſticulos, recte conſtitutos, repertum corpus tertium, illis, quoad externa, ſimillimum, quaſi teſticulus tertius, ſed vera hydatis.

XVII. Obſervationes generales, univerſam hiſtoriam piſcium concernentes, Auct. G. W. STELLERO.

XVIII. Summarium obſervationis Eclipſeos ſolaris d. 8. Ian. 1750. ſt. n. a Cl. KRAFFT Tubingae habitae, e litteris ad Winsheimium datis cum Academicis communicatum.

XVIIII. Obſervatio eclipſis lunae totalis d. 19. Iunii ſt. n. 1750. Lipſiae habita Auct. G. HEINSIO.

XX. Obſervationum Lipſienſium a. 1748. habitarum continuatio, Auct. G. HEINSIO. Primo eclipſes Satellitum Iovis, deinde occultationes fixarum a luna, poſt Cometa 1748. viſus, porro apparitio Veneris, denique obſervationes meteorologicae a. 1748. inſtitutae, proponuntur.

XXI. Obſervationes Aſtronomicae Eclipſium Satellitum Iovis, durante expeditione Kamtzatkienſi, in diverſis Sibiriae locis habitae, a Centur. Vicario, ANDREA KRASILNICOW.

FATA ECCLESIAE CHRISTIANAE, INDE AB Eccleſia apoſtolica, usque ad initia Reformationis. Sive Commentarii in Apocalypſin Iohannis PARS I. continens quinque epiſtolas, ſigilla, et tubas, ſive Capita II—III. 6. VI. 1—11. VIII. 2—IX. 12. explicata per BERNARD. SEBAST. CREMER, dum viveret Theologum Harderovicenum, curante eius filio Succeſſore, FRANCISCO LUDOVICO CREMER. PARS II. continens Capita XII. XIII. XIV. usque ad vſ. 5. et Caput XVII. integrum.

Zutphaniae, apud A. I. van Hoorn, Bibliopolam, 1757. Alphab. 8. quaternis, c. effigie Auctoris.

Interpretationem Scripturae Sacrae myſticam variis libris exornavit *Bernardus Sebaſt. Cremer,* Theologus quondam Harderovicenſis, anno 1750. mortuus. Primum ſuam de hac S. S. interpretandi ratione ſententiam expoſuit in *Typologia* et *Naziraeo,* deinde in *Antiquitatibus Mo-*

ſaico

ſaico typicis, et in Oedipo. Eius filius, Franciſcus Ludovicus, qui patri in munere ſucceſſit, hunc in Apocalypſin Iohannis commentarium edendum curavit, praemiſſa praefatione, in qua, cum ſtudium ipſum Theologiae propheticae commendat, tum hypotheſin patris et methodum, qua in hoc libro uſus eſt, exponit. Nos eius ſummam exhibebimus Lectoribus prius, quam, in ipſo Commentario quid praeſtitum ſit, oſtendamus. Statim ab initio praefationis inſperſit Cl. Editor diſputationem Patris ſui, *de neceſſitate Theologiae propheticae*, et de eo quod requiratur ab his, qui ei operam navare velint, ad 1 Theſſ. V, 20. Ipſa vero hypotheſis, quam Auctor in explicatione Apocalypſeos fundamenti loco poſuit, hunc in modum a Cl. Editore exponitur. *Septem epiſtolae* Apocalypticae poſſunt quidem ſenſu hiſtorico accipi; praecipue vero ſenſus propheticus eſt inveſtigandus. Etenim, ſub ſtatu ſeptem illarum eccleſiarum, fata eccleſiae omnium temporum repraeſentantur; ita ut unaquaeque diſtincte exhibeat, quid in eccleſia laudandum aut reprehendendum fuerit. Quia vero ex ipſis *Epiſtolis* non intelligitur, quomodo eccleſia ſe geſſerit ad iſtas admonitiones, reprehenſiones, comminationes, vel promiſſiones: *Sigilla* ſunt aperienda, quae docent, utrum eccleſia priſtinas virtutes receperit, an in vitiis, ob quae reprehendebatur, perſeveraverit. Atque ita in *ſigillis* fata eccleſiae *continuantur* ab eo tempore, in quod quaeque *epiſtola* deſinit. Sigilla *Tubae* excipiunt, quae poenas, per ſanctorum preces hoſtibus eccleſiae infligendas, annunciant. Sed quinque tantum Epiſtolae, Sigilla, et Tubae, ab Auctore explicantur. Etenim, quia in his fata eccleſiae usque ad tempora Waldenſium, Wiclefitarum, et Huſſitarum praedicta ſunt, et poſthaec tempora reformationis Lutheri et Zwinglii incipiunt, huius prophetiae implementum, nondum ſatis clare oſtendi poteſt, ubi initium, ubi finem ceperit. Quod ad *methodum* attinet, primo verba textus literaliter aut hiſtorice explicantur, atque ex criteriis ipſis illis rebus inſitis ſubiectum

 pro-

propheticum inveſtigatur et determinatur; deinde ex hiſtoria eccleſiaſtica implementum vaticinii demonſtratur; tandem ex *parallelia* typorum vel prophetiarum realium et verbalium, nec non parabolarum miraculorumque, atque ex precibus Pſalmi CXIX. confirmatur. Hanc methodum vindicare ſtudet ab obiectionibus diſſentientium Cl. Editor inde a pag. 28. praef. Longe certius ac tutius eſſe, ſubiectum propheticum ex inſitis rei criteriis determinari, quam ſi alia argumenta pro periodorum diſtinctione allata fuiſſent, quae a multis improbentur; eos vehementer falli, qui parallelismum propheticum non admittant, qui hiſtoriam patriarchalem veteris Iſraëlis typicam eſſe negent, qui per parabolas non facta futura praedicta putent, ſed mores hominum formari et inſtrui, qui in miraculis myſtici aliquid nolint concedere, et Davidem dicant in Pſ. CXIX. et in reliquis, de ſe tantum rebusque ſuis loqui. Suadet igitur, ut, ſepoſitis omnibus praeiudicatis opinionibus, regulae interpretationis, quas Auctor in hoc Commentario ſecutus ſit, legantur atque examinentur in *Antiquitatibus Moſaico-typicis;* in his enim data opera probatum eſſe, hiſtorias Vet. Teſt. typice eſſe exponendas, omnemque prophetias recte explicandi rationem eſſe indicatam; minime vero verendum eſſe, ne ſenſus literalis pereat, atque omnia in nudam allegoriam convertantur, ſi in parabolis et miraculis Ieſu myſticus ſenſus admittitur et propheticus, quemadmodum ex verbis Pauli 1 Cor. X, *petra erat Chriſtus,* nemo neget petram vere in deſerto percuſſam eſſe.

(Hoc credimus Paullo viro θεοπνεύςῳ, qui ex inſpiratione divina vere dicere poterat, quae res in Vet. Teſt. typus fuerit, atque eſſe debuerit ex voluntate divina. Sed ſcire velimus, unde Auctor probare poſſit, Cainum typum fuiſſe Pſeudapoſtolorum, Lamechum Nicolaitarum, etc. Leviſſima harum rerum ſimilitudo, nobis quidem ſufficere non videtur, ut dicamus, Spiritum Sanctum, praeter ſenſum literalem, res alias ſub his verbis latere voluiſſe, cum ne minimum quidem huius volun-

tatis

Digitized by Google

tatis divinae indicium inveniamus. Quid igitur faciunt, qui hoc aſſerunt? Venditant ſcilicet nobis ſuas cogitationes pro divinis. Num igitur tam bene de nobis merentur, quam quidem videri volunt?)

Auctor ipſe praevidit fore, qui dubitent, an Pſalmi et prophetiae recte poſſint de certis perſonis, e. g. Pelagio, Ario, explicari; igitur Cl. Editor quandam illius diſſertationem inſeruit, *de certis perſonis in prophetiis inveniendis*: cuius haec ſumma eſt. Cum *prophetia, hiſtoria futura* eſſe debeat, de certis perſonis certo tempore victuris loquatur neceſſe eſt. Quando igitur prophetae de Meſſia, iisque rebus loquuntur, quae ad munus eius pertinent, neceſſario etiam de iis perſonis ſpeciatim agunt, quae cum rebus ad Meſſiam pertinentibus coniunctae fuerunt, e. g. Iohanne Baptiſta, Apoſtolis etc. Quia vero prophetae de hoſtibus Meſſiae ſunt vaticinati, e. g. Iudaeis et gentilibus, etiam de haereticis et Antichriſto loquuntur, cum hi non minus atque illi hoſtes ſint Meſſiae. Obiectionem eorum, qui dicant, nullam utilitatem fuiſſe hominibus in Vet. Teſt. viventibus ex prophetiis, quae de noſtris temporibus loquuntur, ita removet, ut primo dicat male ita concludi: quia nos utilitatem iſtorum vaticiniorum clare iudicare non poſſumus, ad tempora noſtra omnino non pertinent; cur conceditur, Moſen et prophetas de rebus poſt aliquot ſaecula futuris eſſe vaticinatos, cum tamen non appareat, quae ex iis prophetiis, e. g. de Alexandro M. Antiocho Epiphane etc. ad populum Iſraëliticum redundarit utilitas? Deinde diſputat ex hypotheſi: ſi nos ex Pſalmis Davidis, quorum maxima pars de Saulo et Davide agit, ſi nos ex vaticiniis de Babyloniis, Tyro, Moabitis etc. fructum aliquem capere poſſumus, etiam hominibus in Vet. Teſt. vaticinia, quae noſtra tempora ſpectant, utilia eſſe potuerunt. Porro multas harum prophetiarum primo literaliter, deinde myſtice vult explicari, quemadmodum quondam prophetae orali inſtitutione hunc duplicem ſenſum ſuis expoſuerunt. Tandem provocat ad dicta quaedam

Nov.

Digitized by Google

Nov. Teſt. e. g. quum prophetae, 1 Petr. I, 12. non tantum ſibi, ſed inprimis etiam nobis miniſtraſſe dicuntur.

Quod ad alteram partem ipſius Commentarii attinet, Auctor in ea eſt opinione, ut putet, *inde a Cap. XII. Apocalypſeos ea uberius exponi atque illuſtrari, quae brevius in antecedentibus eſſent deſcripta, et curſui fatorum eccleſiae, a prima epiſtola, ſigillo et tuba, usque ad ſeptimam, una ſerie decurrentium, commode inſeri non potuiſſent.* Quam vero harum viſionum, quae inde a Cap. XII. Apocal. leguntur, explicationem dederit, dicemus, ubi ad alteram partem ventum fuerit.

In Capite igitur praeliminari, Auctor methodum ſuam, cuius ſupra iam mentio facta eſt, commendat, ſeque dicit propter eius utilitatem, quoties vaticinium aliquod Vet. Teſt. explicandum ſit, *omni ope niti* illud cum *filo apocalyptico* componere. Quem *niſum* nos quoque ubique deprehendiſſe non negamus. At enim vero ne in idem nimiae prolixitatis vitium incidamus, quod non immerito in Auctore reprehendi poteſt, breviter tantum indicabimus, de quibus temporibus in *Epiſtolis, Sigillis, et Tubis apocalypticis,* pro eius hypotheſi dictum ſit; addemus pauca exempla, ſpeciminis loco, ex parallelismo prophetico et typico, cum certisſime nobis perſuaſum ſit, nos bene mereri de Lectoribus, ſi non plura addamus, quod in tanta copia, quam Auctor larga manu ſuppeditavit, facile fieri potuiſſet; etenim ſatis iam ex his intelligitur, minimam, eamque extortam ſimilitudinem, Auctori ſufficere, propter quam Vet. Teſt. hiſtorias de fatis eccleſiae chriſtianae explicet. Quodſi vero ſunt, qui putent, hoc genus interpretandi admodum lubricum eſſe atque incertum, ne quid gravius dicamus; tantum abeſt, ut aliquid contra dicamus, ut potius nos quoque idem ſentire libere profiteamur.

Primam Epiſtolam ſcriptam ad Eccleſiam Epheſinam, Apoc. II, 1 — 7. Auctor intelligit, ut omnes fere faciunt, qui ſenſum propheticum harum epiſtolarum defendunt, de

Eccleſia

Eccleſia Apoſtolica, inde à prima eius plantatione, usque ad tempora Nervae. Typi eccleſiae apoſtolicae fuerunt Adam, Eva, inprimis Abel, qui in *grege paſcendo* ſuam moleſtiam et laborem habuit, atque ut Angelus Eccleſiae Epheſinae magna fuit *patientia.* Cain typus fuit Pſeudapoſtolorum: Lamech Nicolaitarum, *quia duxit uxores duas*, atque illi homines profani et voluptuoſi fuerunt. *Lex cibaria* Levit. XI, 2. ſtatum eccleſiae apoſtolicae egregie, ut Auctor putat, exprimit; quemadmodum *exploratio leprae* typus fuit explorationis Pſeudapoſtolorum, quae in Epiſcopo Eccleſiae Epheſinae, verſ. 2. laudatur. Hypotheſin, quod in ſeptem *epiſtolis* eccleſiae ſtatus deſcribatur, additis promiſſionibus, ad quas quomodo ſe geſſerint eccleſiae *ſigilla* docent, quemadmodum ſeptem *tubae* plagas hoſtium annuncient, hanc igitur Auctor in Pſalmo XXXVII. invenit, in quo ſeptem Epiſtolas, Sigilla, et Tubas apocalypticas vidit. quod quam argute exſculptum ſit, legant, ſi ſcire cupiant, Lectores, inde a pag. 42—84. In *Oedipo* Auctor probaverat, Pſalmum CXIX. vaticinia apocalyptica continere. Igitur eum pro numero Epiſtolarum, Sigillorum, et Buccinarum, in totidem pauſas dividit, in quarum prima a verſ. 12—16. Iohannes ex Pathmo loquitur. Quomodo ſe geſſerit eccleſia poſt primae epiſtolae promiſſionem, ex *Sigillis* debet cognoſci, haec enim de futuris agunt Cap. IV, 1. atque *incipiunt* ab eo tempore, in quo *deſinunt* epiſtolae. Poſt *praeparationem primi ſigilli* Cap. VI, 1. ſequitur *ipſum ſigillum* verſ. 2. Equus eſt eccleſia, Eques Chriſtus, Arcus Evangelium, Corona ſignum victoriae. *Implementum* huius Sigilli quaerendum eſt a morte Domitiani usque ad initium vel finem Hadriani, in quo temporis intervallo eccleſiae ſtatus felix et tranquillus fuit, multae magnaeque Evangelii victoriae fuerunt in convertendis gentilibus. Poſt *primum Sigillum prima Tuba* audienda eſt Cap. VIII. 7, nam verſ. 2—6. eſt tantum praeparatio ad tubarum viſionem, per quam iudicia in Iudaeos exercenda annunciantur ſub Veſpaſiano, Traiano, Hadriano.

Typus ſummae Iudaeorum malitiae, poenarumque de iis ſumendarum, erat fratricidium Abelis a Caino commiſſum; Achan ob ſacrilegium, et alii plures pag. 137 ſqq. Ex *miraculis* Chriſti huc pertinent expulſio mercatorum e templo, et ficus maledicta; primae tubae reſpondet in Pſalmo CXIX, verſus 121—128. *In Epiſtola ſecunda* Cap. II, 8—11. ſcripta ad Eccleſiam Smyrnenſem, Status Eccleſiae deſcribitur inde a fine Eccleſiae Apoſtolicae, qui eſt circa tempora Traiani vel Hadriani, usque ad tempora Conſtantini M. Quibus temporibus reſpondet ſecunda periodus eccleſiae patriarchalis, a Setho usque ad Noachi diluvium. Eadem tempora deſcripta videt Auctor Cantic. Cant. Cap. III. et in Pſalmo CXXI. ex Pſalmo vero CXIX. huc pertinet tertia Pauſa, a verſ. 17—24. *Sigillum ſecundum* pag. 202. explicatur cum Vitringa de perſecutione Diocletianaea, excluſa tamen Deciana; quia huius iam in Epiſtola ſecunda mentio facta ſit: ſigilla vero materiam Epiſtolarum continuant. Cuius immanis perſecutionis typus fuit *Diluvium*, et *dominium Philiſtaeorum* in populum Iſraëliticum, 1 Sam. XIII. Ex prophetiis, quas Auctor verbales nominat, pertinet huc Pſ. IX. atque verſ. 73—80 Pſalmi CXIX. Sequitur *Tuba ſecunda*, Cap. VIII, 8. 9. Per montem ardentem, non, quod Cocceius voluit, Politia Iudaica in *mare* gentiliſmi proiecta ſignificatur; neque, ſecundum Vitringam, irruptio barbarorum in Romanum Imperium: ſed totius gentiliſmi ſubverſio per Conſtantinum M. Ad quam quoque reſpicitur in Pſalmo XLVI. et LXXVI. Cant. III. et Pſ. CXIX. 129—136. *In Epiſtola tertia*, ſcripta ad Eccleſiam Pergamenam, Cap. II, 12—17. ſtatus Eccleſiae deſcribitur inde a Conſtantino M. in quo tuba ſecunda definit, usque ad tempora Arcadii et Honorii. Per *thronum Satanae* tempora inprimis Valentis ſunt intelligenda, quibus Arianiſmus ſummum faſtigium adſcenderat; ſub *Antipa Athanaſius* latet, qui occiſus dicitur, cum ab Epiſcopatu eſſet deiectus. His temporibus tertia periodus Eccleſiae patriarchalis reſpondet, hiſtoria nempe *Noachi*, qui huius *Antipae*, h. e.

Digitized by Google

h. e. *Athanaſii* typus fuit. In eccleſia Iſraëlitica huc tempora pertinent inde a ſuperato Goliatho, usque ad Davidem, qui etiam b. Athanaſio ſimillimus fuerit. Omittimus reliqua: haec iam ſpeciminis loco ſufficiunt. Pſalmus LIX. omnes huius eccleſiae notabiles partes in Davidis typo delineat, prouti Auctor putat. Igitur copioſa eius ſequitur expoſitio, ſive potius verborum ſententiarumque detorſio, et cum his temporibus collatio pag. 294. ſqq. *Pauſa quarta* Pſalmi CXIX, 25 — 32. agit de Eccleſia Pergamena. *In Sigillo tertio* Cap. VI, 5. 6. imago ſiſtitur *Pelagii* et *Semipelagianorum*, quorum typus *Gibeonitae* fuerunt, 2 Sam. XXIV: ex Pſ. CXIX. pauſa Caph a verſ. 81 — 88. huc pertinet. *Tuba tertia* Cap. VIII, 10. 11. iudicium in *Arianos* denunciat. Eſt *Arius* iſte ſtella illa magna caelo deiecta, quod in Concilio Nicaeno factum videtur. In Pſalmo LII. haec omnia praedicta ſunt, nam *Doëg Arii* typus fuit; nec non in Pſalmo CXIX, v. 137 — 144. *Epiſtolam quartam* ad Eccleſiam Thyatirenſem, non, ut plurimi, de Eccleſia Romana, et *Ieſabelem* de Pontifice Romano, Auctor intelligit; ſed, quia Iſraël, ſive decem tribus, typus fuerunt Eccleſiae Orientalis, ut Iuda et Beniamin Eccleſiae Occidentalis, *Ieſabel* quaerenda eſt in Eccleſia Occidentali. Periodus igitur, quae in hac Epiſtola deſcribitur, *incipit* poſt tempora *tertiae Tubae*, h. e. ſub finem Quinti Saeculi, a ſciſſione Eccleſiae Orientalis et Occidentalis, propter Eutychianiſmum et Henoticum Zenonis, et *definit* in deportatione Eccleſiae Orientalis in captivitatem a Turcis, facta ſub finem Saeculi XI. Typus horum temporum fuit exſtructio turris Babylonicae; ex Pſalmis Pſ. CXXIII. ex parabolis Matth. XIII, 33. Luc. XII, 24 — 28. ex Pſalmo CXIX, v. 33 — 40. eadem tempora reſpiciunt. *Sigillum quartum*, Apoc. VI, 7. 8. faciem eccleſiae ſiſtit, qualis fuerit Saec. IX. X. et XI. ſub imagine *equi pallidi*, quia eam ſibi ſubiecerant Epiſcopi, in quibus dominabantur *mors* ſecunda et *infernus*, quae *pallida eccleſiae facies* copioſe ex *Uſſerio*, *Heideggero*, et *Morneo* deſcribitur, pag. 493 ſeqq. Typi vero eius fuerunt

Digitized by Google

runt Ioiada pontifex, 2 Reg. XI, 17 ſeqq. Lex, de civitate idololatrica, Deut. XIII. ſeqq. et Locus Ieſ. LVI, 9 — 12. inprimis huc pertinent: ex Pſalmo vero CXIX, v. 89 — 96. *Tuba quarta* annunciat, poſt Arianos punitos, Lucem veritatis in Concilio VII. univerſali fulſuram pure; ſed quod *ad tertiam ſui partem,* quae agit de Chriſto, obſcurandam eſſe in Concilio Nicaeno II. tunc *Lunam* et *ſidera* oritura eſſe in *Concilio Francofurtenſi; ſed hanc etiam lucem tertia ſui parte* obſcuratum iri in Concilio octavo generali. Tempora Eliae, Eliſae, et regnum Iehu, hunc eccleſiae ſtatum indicarunt: atque ex Pſalmo CXIX, verſ. 145 — 152. huc pertinet. *Quinta Epiſtola* ad Eccleſiam Sardenſem, non, quod *Coccejus* exiſtimat, Eccleſiae Reformatae ſtatum deſcribit. Rectius *Vitringa* ſtatuit, eam a Saeculo XII. ordiri. Terminus enim *a quo* ſunt tempora Gregorii VII, quibus *Mors* et *infernus graſſata* erat. Igitur incipit in fine Saeculi XI. neque poteſt ſe ultra reformationem plenariam extendere. Nihil enim huius tanti operis in hac eccleſiae deſcriptione occurrit, in qua tantum Antichriſtus dominatur. Ex hiſtoria typica pertinet huc Periodus quinta, ab Achazo usque ad Zorobabelem; ex lege typica *aves impurae, vultur, aquila, ciconia, locuſtae ſex pedes habentes,* Levit. XI, 18. Ex parabolis, ſervus ille nequam, et hypocrita, Matth. XXIV, 48: ex Pſalmo CXIX, verſus 41 — 48. *Sigillum quintum* Cap. XI, 9 — 11. eadem tempora, quae Epiſtola quinta, pro ſigillorum et epiſtolarum inter ſe connexione, reſpicit. Igitur *tempus illud parvum* ſilentii, usque ad tempus, quo poſtulabant *vindictam* Confeſſores et Martyres, eſt tempus proximum ante reformationem, usque ad *vindictam* fruſtra tentatam ac deſideratam a *Bohemitis* et *Huſſitis.* Aliud illud tempus, ubi *Animae ſub altari* mactatae recumbunt, tempus monſtrat perſecutionum *Waldenſium, Albigenſium,* et *Wicleſitarum,* Saec. XIII. et XIV. *Quatuor Locuſtarum ſpecies,* quae purae erant, et comedi poterant ſecundum legem cibariam, typi fuerunt *Waldenſium, Wicleſitarum,* et *Huſſitarum.* Querelas fidelium, de miſeria horum temporum

rum

Digitized by Google

rum, expreſſit *Ethan* in Pſalmo LXXXIX, 47—53. et Davidi de iisdem rebus ſermo eſt in Pſalmo CXXIV. et in Pſalmo CXIX, 97—104. *Tuba quinta*, Apoc. IX, 1—12. ultimos Antichriſti *ante* reformationem eccleſiae conatus deſcribit, qui, ut ſuum poſt lapſum ex caelo chriſtiano interitum totalem praeveniret, primo *fumum* (confuſionem) excitavit, deinde *Locuſtas*, h. e. *Monachos*, *Dominicanos*, *Franciſcanos*, aliosque ſuſcitavit, qui ſibi labanti auxilium ferrent. Verum, providentia divina factum eſt, ut hae *Locuſtae* ipſa Pontificiae Eccleſiae membra ſummis cruciatibus afficerent. Quae geſta ſunt inde ab Innocentio III. initio Saeculi XIII. usque ad initium Saeculi XVI. a Salomone Prov. VI, 12—19. horum temporum impietatis monſtra deſcripta putantur. Ex Pſalmo vero CXIX. huc pertinet verſ. 153—160.

Supra iam dictum eſt de hypotheſi Auctoris quoad alteram partem Apocalypſeos: *hanc non eſſe continuationem rerum in primis Capitibus praedictarum, ſed uberiorem explicationem earundem rerum, quae brevius eſſent deſcriptae, iisque commode inſeri non potuiſſent.* Sequitur ergo in *Parte ſecunda* Commentarius in Capita XII. ad XIV, 5. et Caput XVI. integrum, qui haec fere continet. *Mulier ſole amicta*, eſt Emblema Eccleſiae apoſtolicae. *Filius*, quem peperit, eſt Chriſtus, in cordibus gentilium natus, ope eccleſiae primitivae, Cap. XII, 1. 2. Diabolus cum ſuis aſſeclis eſt *Draco* ille *ſepticeps*, cum cornibus decem et diadematibus ſeptem, qui, cum in gentiliſmo hactenus eſſet dominatus, eius converſionem ad religionem Chriſtianam impedire conabatur, ſuaque *cauda*, h. e. per falſos prophetas, multas ſtellas ſ. doctores de caelo detraxit, qui homines ad errores ſeducerent, Cap. XII, 3—6. *Pugna* hinc orta inter Michaëlem et Draconem in *caelo*, i. e. Eccleſia, ex qua Michaël ſ. Spiritus S. ſuperior diſceſſit, et Draconem, diabolum, cum ſuis, de ſtatu ſuo deiecit, Cap. XII, 7—17. Quae inde ſequuntur, ad *Epiſtolam, Sigillum, et Tubam ſecundam* pertinent. Deſcribuntur ibi perſecutiones, quas

Digitized by Google

eccleſia ab imperatoribus gentilibus perpeſſa eſt, quas tamen Eccleſia, *duabus alis aquilinis ipſi datis*, effugit, et per tempus 1260. dierum in deſerto ſervata eſt. Quae a verſu 18. Cap. XII. usque ad verſ. 4. Cap. XIII. leguntur, uberius exponunt ea, quae *in Epiſtola ad Eccleſiam Pergamenam* brevius erant ſcripta. Per *Beſtiam primam*, quae vulnus lethale, quod tamen ſanatum eſt, non *Pontifex Romanus*, ut plurimi putant, ſed *Clerus orientalis* intelligendus eſt; ex quo *Muhammed* ortum ſuum traxit, de quo, ut et eius progreſſu et fine, agitur Cap. XIII. a verſu 5 — 10. *Beſtia ſecunda* Cap. XIII, 11 ſeqq. ſiſtit *Clerum occidentalem, cuius imago* invenitur *in Collegio Cardinalium. Spiritus* vero iſtius imaginis delineat ipſum Romanum Pontificem, atque numerus beſtiae Χξϛ 666. explicandus eſt ex literis initialibus Χϱιϛος ξυλω ϛαυϱωθεις, quod nempe in papatu Chriſtus in ſacrificio miſſatico cruci affigitur. Quanquam vero *ſecunda illa beſtia* magnam creaverat apoſtaſiam, tamen erant qui huius ſe non reos facerent, nempe *Waldenſes*, de quibus iam in Epiſtola et Sigillo quinto actum eſt. Caput XVII. *de bello Huſſitico* explicatur. Quae vero a verſu 6. Cap. XIV. usque ad Cap. XVI. occurrunt, *de reformatione Lutheri et Zuinglii*, in ſexta Epiſtola ad Philadelphiam praedicta, Auctor explicanda putat; ad quod tempus etiam *ſeptem phialae* in beſtiam effundendae pertinent, a quibus exponendis abſtinuit, cum deſtructionem beſtiae nondum in ſuo eventu conſpici putaret.

Novum *paralleliſmum prophetiarum* huic parti non addidit Auctor: nam cum, ſecundum ſuam hypotheſin, in Capitibus Apocalypſeos poſteriori Commentarii parte illuſtratis, de iisdem eccleſiae temporibus agatur, de quibus iam in priori parte dictum erat, repeti facile poſſe exiſtimavit ſuo quaeque loco vaticinia, quae e Vet. Teſt. temporibus Novo Teſt. accommodanda duxerat. Huic igitur rei acceptum referre debent Lectores, quod haec altera Pars non ad primae partis magnitudinem excreverit. Ne quid tamen Operi deeſſe videretur, Auctor ſubinde indicavit, ubi

in

Digitized by Google

in Vet. Teſt. inveniri poſſet, quod in Apocalypſi viderat, ita ut abunde reperiant quo ſitim extinguere poſſint, qui iſtiusmodi coniecturali interpretatione, et ingenii luſibus, delectentur.

NOVA LITTERARIA.

Hoc menſe Octobre, quo haec Acta menſis Iunii eduntur, de Legato Stolpiano haec heic loci, etſi ante diem, inſerenda accipimus.

Profeſſores Academiae Lugduno Batavae, qui curando Legato STOLPIANO praeſunt, latis in ſolemni conſeſſu, d. XIII. Octobris habito, ſuffragiis, de Diſſertationibus, quas plurimas undiquaque a Viris doctis ad ſe miſſas acceperant, ad problema anno ſuperiore propoſitum:

Ex eo, quod aliquid eſt, ſolidis rationibus efficere, dari ens neceſſarium, aeternum, immutabile, et ab hoc univerſo diſtinctum:

cenſuerunt, Numiſma aureum ducentorum et quinquaginta florenorum, pro praemio conſtitutum, deberi GODOFREDO ARNOLDO MAAS, S. S. Miniſter. Candidato, Herena Marcano, Autori diſſertationis Belgico idiomate conſcriptae, ſub Symbolo: *Sic demum rerum naſcitur ordo.*

Quum vero nec aliae deeſſent ſuper eodem argumento diſſertationes laude dignae, quae palmam priori fere dubiam redderent; viſum iudicibus eſt, has inter tres praecipue ſeligere, ceteris praeſtantes, quae iuxta ſuperiorem typis evulgentur: ut et debitus eruditorum hominum laboribus honos habeatur, et momentoſae veritatis, primarii univerſae Theologiae naturalis fundamenti, demonſtratio, ipſa cum ſtili, tum argumentationis varietate, tanto cumulatior, et ad quorumvis lectorum captum guſtumque accommodatior, evadat.

Rogan-

Digitized by Google

Rogantur itaque humaniſſime Auctores diſſertationis Belgicae, ſub Symbolo:

Opus artificem probat:

et alterius Latinae, quae Symbolum fert:

Philoſophia obiter libata a Deo abducit,
Sed penitus exhauſta ad Eumdem reducit:

tertiae denique itidem Latinae, inſcriptae:

Etiam non aſſecutis abunde pulcrum:

velint ante proximi anni initium ſignificare, liceatne effractis ſchedulis in eorum nomina inquirere, ſuumque cuiusvis diſſertationi edendae adſcribere, an contra malint latere anonymi? Hoc tamen ſi quis prae illo elegerit, non eſt, cur reſpondeat: habebitur enim, ut qui innoteſcere nolit, eiusque ſchedula, uti transmiſſa fuit, obſignata flammis tradetur.

Literae autem poſthac inſcribentur H. D. *Gaubio*, Medicinae et Chemiae Profeſſori, Inſtituti Stolpiani h. t. Actuario. Leidam.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iunii Anno MDCCLIX.

Pars II.

IOHANNIS DAVIDIS MICHAELIS, PROF. ORD. Philoſ. et Societ. Regiae Scientiar. Goettingenſis Collegae, Syntagma Commentationum.

Goettingae, apud viduam Abrami Vandenhoeck, 1759. 1. Alph. 7. plagg. quaternis.

Quamvis nihil eorum, quae Vir Clariſſimus ſcripſerit, elabi ex hominum memoria, aut interire videatur poſſe: tamen, cum tenues harum commentationum pagellae facile de manibus effugiant, curandum omnino fuit, ut illae uno coniunctae volumine certius tenerentur. Sunt in his ſeorſim olim publicatae, quarum exempla hodie deſiderantur; aliae nunc primum editae; aliae Collectionibus maioribus adhuc incluſae, ſed rectius ab iis divulſae. Proponuntur etiam duae, ſermone patrio ſcriptae, quod latinum refugeret occaſionis et argumenti ratio. Nos de ſingulis, quod ſatis videbitur, dicemus.

I. *Beſchreibung einiger alten Deutſchen Bibel-Ueberſezungen vor D. Luthers Zeit:* h. e. de nonnullis Bibliorum Verſionibus Theotiſcis, quae Lutheri aetatem praeceſſerunt, relatio, pag. 1 — 22. Ea primum prodiit in Symbolis Halenſibus *(den Hälliſchen Anzeigen)* anni 1744, ſpectante tum verſiones illas Auctore doctiſſimo in biblio-

theca Viri illuſtris, Ioh. Petri Ludovici. Hic, aucta egregiis acceſſionibus, in lucem redit. Prior harum verſionum in forma folii, charta proba, litteris obſoletis, *(mit Mönchs-Schrift)* excuſa, nullam auctoris aut temporis mentionem refert. Sed vero proximum eſt credere, eſſe illam eandem cum ea, quae Moguntiae A. 1462. typis deſcripta fuit, hoc eſt, Bibliorum theotiſca lingua editorum antiquiſſima. Nam exſtat exemplum horum Bibliorum in bibliotheca Senatus Eccleſiaſtici Würtembergenſis, deſcriptum illud accurate a *Clemmio*, A. M. in Amoenitatum Academicarum Faſciculo ſecundo. Habet autem in exitu, ab eadem manu, quae titulos per omnem codicem effinxit, adſcripta haec verba: Pñs *Bibliae clariſſimum opus Iohan Fuſt Moguntinus civis non atramento plumali canna neque erea ſed arte quadam perpulcra manu Petri de Gernsheim pueri mei feliciter effeci finitum anno* MCCCCLXII. *in vigilia Aſſumcionis virginis Mariae.* Nihil horum in exemplo Ludoviciano; ſed reliqua annotata a Clemmio oſtendunt, vix ac ne vix quidem utrumque codicem differre. Invenit etiam in Bibliotheca Ampliſſ. Senatus Lipſienſis, Doctiſſ. Michaelis Biblia Theotiſca, ſuis illis, quorum notitiam porrigit, adeo ſimilia, ut parum dubitet, ea eiusdem editionis exiſtimare *). Utique in quibusdam locis a ſe diſcrepant; verum illa inter ipſas excudentium operas mutata eſſe putat.

Ludovicianum exemplum his verbis Geneſin orditur: *An dē Angang beſchuff Got den hymel und die erde* **). Ineſt

*) Nos haec ipſa commentantes, exemplum iſtud Bibliorum ad manus habemus. Conſentit in plerisque cum Ludoviciano, in paucioribus ab eo diſcedit; quae cuius momenti ſint, ut iudicare poſſint Lectores, faciemus. In adiuncta chartula obſervatum legimus, credi hanc primam bibliorum theotiſcorum editionem, excuſam Norimbergae A. 1467. Quae coniectantis opinio partim vera videtur, partim falſa eſſe.

**) Lipſienſe habet: *An dem anegang geſchieff got den himel und die erde.* Voce admodum una, et ſcribendi minutiis quibusdam differt.

Ineſt autem praeter libros biblicos univerſos, ficta quoque Pauli ad Laodicenſes epiſtola, obtinens locum media inter epiſtolas ad Galatas et Epheſios. Eius inſcriptio praeter alia habet: *Den Brüdern die do ſemt zu Laodoci* *), Actus Apoſtolorum inter Epiſtolas ad Hebraeos et Iacobi poſiti, titulum referunt: *das Bottenbuch*, exulante ex hac verſione voce *Apoſtoli*.

Verſio autem omnis non de Hebraeo et Graeco fonte expreſſa eſt, ſed, quod tum mos ferebat, Vulgatam verſionem reddit. Sed qui vertendi hunc laborem ſuſcepit, nec latinae linguae ſatis gnarus fuit, et plerumque verbum de verbo, pueriliter atque inepte, reddidit. Ecce tibi, Lector, exempla quaedam: Dan. V, 1. *optimatibus ſuis mille*, vertit: *tauſent ſeinen beſsten*, verſ. 30. *Darius Medus ſucceſſit in regnum, annos natus LXII: und D. M. wüchſ in das Reich, geborn. LXII. Jar.* Iobi XXXVIII, 36. *Quis dedit gallo intelligentiam? wer gab dem hanen die vernunſt?* Riſu autem digniſſimum eſt, quod Matth. XVI, 13. pro *Caeſarea Philippi* poſuit *das Keyſerthumb Philips*, tamquam ſi ea urbs regnum eſſet Philippi.

Sed Vir Clariſſ. non naevos ſolum huius verſionis conſectatur, verum et multa inde promit, ſermoni patrio, imo et locis Scripturae S. nonnullis idonea illuſtrandis, neque criſeos exercendae locum praetermittit. Mirari quis poſſit, diſcedere eam Matth. VI, 11. a Vulgata, et pro *panis ſupraſubſtantialis* habere *teglich brot;* ſed verſio vulgata ante Hieronymum omnino referebat *quotidianus*, quod *Martianaeus* docet in Vulgata antiqua latina et itala verſione Evangel. ſec. Matth. Pariſ. 1695. pag. 20. Aliis locis, ubi á vulgata aberravit, aut vitioſo exemplo uſus eſt, aut oculos non ſatis ad legendum attendit huius verſionis artifex. Luc. I, 31. verterat: *du empfechſt mein Leyb;* quod videtur

*) Lipſienſe: *die do ſeind.* Sed illud *ſemt* in Ludov. ſine dubio eſt *ſeint*, omiſſo puncto, quod ex una littera duas faceret.

Digitized by Google

detur indicare, angelum qui Mariae adparuerit hominem fuiſſe. Haec ſuſpicio ut tolleretur, vox *mein*, duabus poſtremis litteris deletis, manca remanſit *).

In vocibus theotiſcis obſoletis, ſed in hac verſione adhuc conſpicuis, hae ſunt: *Ehe* ſeu *Ee* pro *lex*; *Ellenden* pro *inter peregrinos morari*; *Herberge* pro *caſtra*; *Brittel* pro *fraenum*, (cum qua voce coniungendum eſt Gallorum *Bride* et Anglorum *Bridel*;) *Magenkraft* pro *maieſtas*; aliae. *Solis* et *lunae* vocabula, ſecus quam hodie ore noſtro, heic frequentantur, illud maſculino genere, *der ſunn*, hoc feminino, *die menin*.

Iudic. XVIII, 30. Vulgatam ſecuta verſio noſtra, pro *Manaſſe* habet *Moſe*. Recte hoc quidem. Nam et ratio ſcriptae vocis מנשה docet, τὸ נ dubiae auctoritatis eſſe, et tribus Leviticae mentio Abendanaeque teſtimonium comprobat, quendam ex poſteris Moſis hic notari. 2 Paralip. XIII, 17. illum omni fide maiorem numerum *quingentorum millium*, qui in acie ceciderint, mutat in *quinquaginta millia*. Sed verius eſt, cum Cl. *Michaële* exiſtimare, hanc numeri hyperbolen ortam eſſe ex permutatis כ״ אלף (20000) cum ד״אלף (500000) Lectionem tamen noſtrae verſionis recepit quoque altera illa item memorabilis, quam V. D. deſcriptam ſiſtit.

Ea Noribergae A. 1483. duobus Voluminibus in folii forma, excuſa eſt ab Anton. Koburgero *), paginis omnino 583. Sub finem dicitur, eam Bibliis omnibus, theotiſca adhuc lingua editis, palmam praeripere, et ad Vulgatae normam adcurate emendatam eſſe. Sed hoc magnificentius ſcriptum eſt, cum pauca admodum loca ex male redditis in verſione priore, correxerit; quaedam etiam in peius mutarit. Dialecto tamen multo clariore utitur quam prior: ut adeo vix credere poſſis, intra annos viginti, ſermonis noſtri tam diverſam faciem exſtitiſſe.

Com-

*) In Lipſienſ. clare legitur: *du enpfechſt mein leip*.

*) Servatur huius editionis exemplum in Bibliotheca Academiae Lipſienſis.

Commendant autem et hanc verſionem nonnulla, diligentiore ſpectatore non indigna. Nam praeter voces Theotiſcas, hodie ſepultas, ut ***griſsgrammen***, fremere, ***durchechten***, perſequi, cet. eximium praebet teſtimonium illius ipſius doctrinae, qua profitenda *Lutherus* primam a Rôm. Eccleſia ſeceſſionem fecit, hoc eſt: homines fide in Chriſtum, non operibus ſuis, ſalvari. In hanc enim ſententiam diſerte loca Gal. II, 16. et 19. reddidit. Matth. V, 35. recte legit: ***des groſſen Königs Stadt***, urbs magni illius regis; cum obſcurius poſuerit Lutherus noſter: ***eines groſſen K.*** magni cuiusdam regis. Inſcriptiones capitum, eorum argumentum ſatis concinne tradunt. Additae ſunt figurae ex buxo ductae, quarum una ad Cap. IX. Apocalypſeos, in magna caeſorum a quatuor angelis turba, hominem quoque triplici corona ornatum oſtendit.

II. et III. *Commentationes duae de poena homicidii*, pag. 23—79. Harum prior A. 1747. prodiit, recuſa A. 1750. quo poſterior acceſſit. Utraque, ſed maxime poſterior, recuſa hic eſt auctior. Disquiritur primum de praecepto divino, Noachi poſteris circa poenam homicidii dato, Geneſ. IX, 5. 6. Docet Vir Cl. non praedictionem, ſed legem hoc loco contineri, occaſionem autem latae legis fuiſſe caedes ante diluvium graſſatas, et magiſtratus abſentiam. Comma 5. non dicit, Deum ipſum, repudiata magiſtratus & reipublicae opera, homicidia vindicare velle, ſed potius uſurum eorum opera indicat. Id clarius etiam verſ. 6. proditur; ubi quidem שׁוֹפֵךְ et ad homines et ad beſtias referendum eſt; ut adeo velit Deus, beſtiarum etiam ſanguine hominibus laceratis parentari. Similes leges Exod. XXI, 28. et Levit. XX, 15. leguntur. Neque aliena ab his Plato aliique veterum praecepere. Lex ergo Noacho lata primum poteſtatem homicidas interficiendi tribuit familiae Noachidarum; neceſſe enim erat, ut Deus hanc poteſtatem reſiduis ex diluvio mortalibus edicto propoſito concederet, quoniam illis rite creatus deerat magiſtratus. Tribuit autem eam non ordinario magiſtratui, qui tum

 nullus

Digitized by Google

nullus erat, ſed univerſae hominum ſocietati. Imo non ius modo largitur, ſed et neceſſitatem eo utendi.

Leges Iſraëlitis de poena homicidii praeſcriptae habentur Exod. XXI, 12. 18. 19. Levit. XXIV, 17. Num. XXXV, 16 ſqq. 31 ſqq. Deuter. XIX, 11—13. Prioribus duobus locis graviſſime confirmatur, homicidas ſanguine poenas ſuſcepti ſceleris luere debere; reliquis duobus inculcatur haec ſententia, docenturque iudices, nihil de eius rigore remittendum, nec redimendam argento vitam eſſe. Non vult Deus, impunita caede terram *profanari;* ita enim verbum חנף Num. XXXV. reddendum eſſe, et Syrorum uſus probat, qui inde חנפא *ethnicos* dicunt, et Arabiae; hoc tamen diſcrimine, ut pars huius regionis Chriſtiana prorſus hunc ſenſum voci tribuat, pars Muhammedana contrariam vim ei adſignet iſtam: *orthodoxus fuit,* adſcito, ut videtur, eo ipſo vocabulo, quod primum convicii loco Muhammedanis impertitum fuerat. Prima autem ſignificatio حنف חנף apud Arabes eſt, *tarſum pedis flaccidum habuit,* cuius generis homines omnino a templo et ſacerdotio arcebantur, adeoque *profani* erant.

Sed lex Moſaica de puniendo homicidio tam ſevera fuit, ut ſi auctor caedis lateret, ſupplicium ei debitum in vitula caeſa demonſtrandum eſſet, Deut. XXI, 1—9. ubi quidem נחל איתן eſt *rivus perennis,* qui numquam exſiccatur; quod ex parte docuit b. *Schultenſius* Origg. Hebr. Tom. I. Cap. VIII. Exſecutor ſupplicii de homicida apud Iſraëlitas erat Goël, ſeu is qui caeſum proximo cognationis gradu attingebat. Hunc morem Orientis, ſervatum etiamnum Arabibus, populo ſuo permittebat Moſes. Dedecus enim erat opinione Hebraeorum, caedem cognatorum non ulciſci, et cum tamen eſſent olim, qui lytrum acciperent ab homicida, Moſes hoc fieri vetuit. Praeter hunc vindicem, ſeu Goëlem, teſtium quoque vel militum manibus, iubente magiſtratu, ſumebatur ſupplicium. Genus ſupplicii ultimi lege definitum non erat, ſed ab arbitrio Goëlis pendebat. Plurimos tamen Goëles ventrem

rei

Digitized by Google

rei gladio perforaſſe, eiusque viſcera effudiſſe, plura Scripturae S. loca, quae hoc mortis genus tradunt, ut credamus ſuadent.

Supplicio autem dignus non cenſebatur, niſi qui *dolo malo* hominem occidiſſet. Huic homicidio duplex nomen erat, צרה, unde צריה, quaſi *ſitis ſanguinis,* et הזיד בערמה *proaeretice agere cum calliditate.* Fortuitum homicidium ac ſervi, a poena capitali immune erat: nec eidem obnoxii, qui non mortifero inſtrumento hominem occiderant, aut in ipſo rixae ardore eum vulneraverant, ſed ita ut convaleſcere inciperet. Altaria ius aſyli habebant, ne Goël prius vindictam ſumeret ab homicida, quam conſtaret, eum lege damnari. Protervi vero homicidae ab ipſo altari ad mortem rapiebantur, iubente quidem magiſtratu. Urbes aſyli poenae loco erant homicidio non doloſo. In eos etiam, qui, quamquam non ipſi hominem imprudentes interfecerant, commiſerant tamen ſua iniuria, ut homo periret, ſevera eſt lex Moſaica, adeo ut nonnumquam capitale ſupplicium iis minetur; v. c. Exod. XXI, 29—31.

Iam pag. 56. propius accedit Vir Cl. ad id, cuius cauſſa maxime utramque Commentationem ſcripſiſſe videtur, ad ius Principum diſpenſandi de homicidarum poena. Vindicaſſe ſibi hoc ius reges Iſraëlitarum, docet exemplum Davidis, qui Abſalomum, quamvis nefarium fratricidam, a poena abſolverit, 2 Sam. XIV. Huius regis, qui iuris populi ſui gnarus, prophetarum familiaris, ipſeque propheta et a Spiritu S. actus erat, auctoritas gravis omnino eſt. Colligit ergo hinc Vir D. *ſi vel ad noſtras reſpublicas pertineret lex divina de poena parricidii,* (quod tamen poſtea negat:) *tamen Principes noſtros ius adgratiandi habere.* Quod ut ſtabiliat, docet, quo iure diſpenſare a lege politica divina ſuae reipublicae lata princeps poſſit. Leges politicae eius fere indolis ſunt, ut nonnumquam exceptione a lege opus ſit. Quis enim legislator omnes caſus complectatur? Licet ergo magiſtratui, cui omnia ſua iura tradidit

didit respublica, a lege *ſingulares ob cauſſas* divertere. Hoc maxime in poenis locum habet, quae omnes ad commodum reipublicae inſtitutae creduntur. Nam fieri poteſt, ut eiusdem reipublicae maius commodum in impunitate ſingularis cuiusdam rei verſetur, nec tamen, hac illi impunitate data, malis civibus animus ad ſcelera ſuſcipienda creſcat. Quodſi Deus ſive uni populo, ſive univerſo hominum generi, leges politicas ferat, ſalus reipublicae finis harum legum erit. Haec ergo ſi exigat, ut a lege recedatur, licebit illud facere, atque ipſe legislator id velle cenſendus erit. Accedit quod Deus ſingulares cauſſas contra legem a ſe ſive latam, ſive ferendam, iudicavit. Sic ille Caino et Davidi, parricidae utrique, impunitatem praeſtitit. Si quis autem regerat, legislatori quidem licere a lege aliquando diſcedere, non item magiſtratui, cui eam ſcripſerit: is in quavis ſingulari cauſſa magiſtratum ad oraculum divinitus edendum releget, neceſſe eſt, neque eum mente ſua uti patiatur, ut iudicare poſſit, quando caſus adſit, qui diſcedere a lege politica ſinat. Poſthaec indulgentiam Davidis erga Abſalomum defendit Cl. Michaelis, ſolvitque obiectiones, quibus hanc de facto Davidis ſententiam oppugnavit Vir S. R. *Io. Car. Koken*, apud Hildeſienſes ſacrorum antiſtes.

Sed pag. 70. praecipuum laborem adgreditur hunc, ut demonſtret, legem Noacho eiusque filiis de poena homicidii latam, non ad omnes Noachi poſteros pertinere; ſed iis tantum temporibus tributam fuiſſe, quibus poſteri Noachi nullam haberent rempublicam humanis legibus formatam. His vero argumentis utitur. I. Cauſſam latae huius legis fuiſſe, quod nulla tum respublica, nullum ius univerſorum in ſingulos, adeoque nec metus poenae eſſet, qui revocare ſceleratos a parricidio poſſet. II. In republica Iſraëlitarum a Deo per Moſen conſtituta, alia et huic legi contraria decreta fuiſſe in eo, quod caedes ſervi vindicanda non erat. III. Non totam legem Noacho latam rebus publicis noſtris aptam eſſe. IV. Coniunctam legem

de

Digitized by Google

de ſanguine non comedendo non ad univerſum genus humanum pertinere; ergo neque hanc. Removet iterum Vir doct. obiectiones nonnullas, tandemque concludit, licere Principi, poenas homicidii remittere, ſi id leges civitatis, aequitas in cives, atque prudentiae rationes ſuadeant.

IV. *Argumenta immortalitatis animorum humanorum, et futuri ſeculi, ex Moſe collecta.* Pag. 80 — 120. Haec diſſertatio A. 1752. publice defenſa fuit. Quo graviore momento dogma de futura poſt hanc vita conſpicuum eſt, hoc magis mirum plerisque viſum eſt, nullam eius a Moſe mentionem factam eſſe. Ac poſſunt hoc ſilentio hoſtes religionis Chriſtianae ad eam oppugnandam uti; eaque, quam *Warburtonus,* in libro de legatione Moſis divina, paravit, defenſio, non ſatis apta eſt. Sed ex iſto Moſis ſilentio effici profecto non poteſt, eum aut ignoraſſe futurum ſeculum, aut negaſſe. In ſcribendo certe Pentateucho non tam *theologi*, quam *hiſtorici*, *legumque latoris* et *compilatoris* perſonam induerat; ut adeo eum iniuria reprehendas, ubi theologica omittit. Leges porro politicas non poterat poenis poſt hanc vitam infligendis ſancire, neque illae quas de ritibus et cerimoniis tulit, cum imagines tantum rerum divinarum et umbrae eſſent, promiſſionibus ſpiritualibus gaudere poterant. Ignorare autem Moſes futurum ſeculum qui potuiſſet, multos annos inter Aegyptios, immortalitati animorum faventes, verſatus? Supereſt ut hoſtili in hoc dogma animo, illud tacuerit: quod quam vanum ſit oſtenditur, ſive verum prophetam dicas Moſen, ſive cum hoſtibus religionis, impoſtorem.

Sed quamvis a Moſe exigi nequeat, ut futuri ſeculi in hiſtoria ſua mentionem iniiciat; non tamen omnino nullam eius mentionem in hiſtoria lapſus feciſſe videtur. Nam cum Cap. III. ait, vulnus a ſerpente ſeductore Evae eiusque poſteris factum, quod nos immortalitate exutos mortales fecerat, ſanari poſſe, omninoque a Deo ſanatum iri: ſequitur, ut poſt mortem, qua omnes fungimur, vita alia immortalis parata ſit. Quae porro de Abrahamo narrat Cap. XXII.

 oſten-

Digitized by Google

oſtendunt, hunc reſurrectionem mortuorum ſperaſſe, obſervante id Paulo Rom. IV, 17. et Hebr. XI, 17—19.

Docet iam Vir Cl. ne in illis quidem capitibus, in quibus Moſes populo rebelli poenas divinas longo ordine denuntiat, v. c. Deut. XXVII. XXVIII. poenas et praemia futuri ſeculi commemoranda fuiſſe, quoniam leges illae non ſingulis Iſraëlitis, ſed toti populo, latae fuerint. Eccleſiaſticas autem Moſis leges imaginem futuri ſeculi continere, ex combuſtione victimarum morte adfectarum, et adyto templi probatur pag. 93 ſqq. Tum reiectis nonnullis futurae vitae argumentis, ex Pentateucho a Iudaeis petitis, pag. 97. in Enocho immortalis vitae exemplum proponitur, quod ſpectari poſſit, ſi vel in coelum raptum eſſe neges. Gravius argumentum pro vita piorum immortali ex Exod. III, 5. ducitur; quo in loco ſingularis Dei erga ſuos poſt mortem amor indicio eſt, eum illis alteram ſine dubio vitam largiturum eſſe. Hoc eodem argumento Chriſtus ipſe Matth. XXII, 23—33. Marc. XII, 18—27. Luc. XX, 27—40. uſus eſt, unde illud ſummum robur accipit. Adfine illi eſt aliud, quod ſanctio primi praecepti in decalogo complectitur. Etiam verba Bileami de morte et *futuris* iuſtorum, Num. XXIII, 10. veſtigia vitae futurae habent. Huc pertinet illa de non lugendis nimium mortuis, qui filii Dei ſunt, lex, Deut. XIV, 1. 2. Nam niſi hos poſt mortem nova vita exſpectet, magis etiam quam ceteri lugendi erant, amiſſis quippe bonis, quae eis, dum viverent, Moſes promiſerat. Accedit, in ipſo nomine *filiorum Dei* immortalitatis ſpem ineſſe viſam Hebraeis, Pſ. LXXXII. Aſſecutus eſt hoc ex vetito luctu argumentum R. *Bechai*, numerandus ille in optimis Iudaeorum Theologis.

His vero futurae vitae argumentis mirificum pondus accedit, ſi cogites, Moſen ex gente Aegyptia egreſſum eſſe, quae immortales animos omnino credebat, ita tamen, ut eos aut in alia corpora tranſire poſt exactos mille annos,

nos, aut ad coelum tandem evolare, exiſtimaret. Ex loquutionibus Aegyptiorum, quibus futuram poſt mortem vitam ſignificabant, in primis illa Moſis phraſis: ויאסף אל עמיו clarius definitur. Eſt enim האסף non *congregari* ſolum, ſed et *hoſpitio excipi*. Itaque Moſes Abrahamum, Iſaacum, aliosque, hoſpitio exceptos apud patres ſuos dicit, omnemque hanc vitam itineri et peregrinationi comparat. Denique cum idem ſcriptor divinus *angelos*, hoc eſt, mentes quasdam coeleſtes a corpore craſſo liberas, admittat, probabile fit, eum et animos humanos, corporis ſarcina depoſita vivere poſſe, exiſtimaſſe.

V. *Briefe von der Schwierigkeit der Religions-Vereinigung*, cet. hoc eſt: Epiſtolae tres de difficultatibus uniendarum partium in religione Chriſtiana enatarum, ſcriptae ad *Aurandum*, V. D. M. et Academiae Syncretiſticae Neovidanae ab epiſtolis. A pag. 121 — 170. Eae hic primum publice ſiſtuntur. Prima epiſtola oſtendit, quam non ſit ſuadenda Proteſtantium cum Rom. Eccleſia reconciliatio. Mittit V. d. religionis utriusque placita; in auctoritate duntaxat et poteſtate Romani Pontificis haeret. At illa terreat neceſſe eſt Proteſtantes, ſi vel maxime, (quod hic ſumitur,) Pontifex Rom. religioni eorum accedat. Quis enim libertatem, qua in coetu ſuo fruitur, cum imperio alieno commutare cupiat? Quis Batavos audeat ad reditum in moderamen ſceptri Hiſpanici, quamvis ſatis temperati, invitare? Simulac vero falli neſcium Pontificis Rom. iudicium agnoſcis, credendum tibi erit quidquid ille decreverit, non animo ſolum, ſed etiam ore, niſi poenis obnoxius eſſe velis. Relinquendus erit omnis diſſenſus, quo multi noſtrum a ſe invicem ſeiunguntur. Non licebit amplius in veritatem inquirere. Quodſi controverſias forte exortas ita dirimat, ut parti erranti faveat, cum ipſo errandum erit. Sed dicat aliquis: adiungatur Pontifici Concilium univerſale, cuius conſenſum ſequi debeat. Verum et hoc potior nobis iure eſt libertas noſtra. Neque pactis cum Rom. Pontifice ineundis incommoda

illa tolluntur. His omnibus ſuperaddi poteſt et illud, nefas eſſe privatis hominibus, inſcio Principe, de unione cum externo eccleſiae antiſtite inſtituenda cogitare, quae non poteſt non eſſe periculi pleniſſima.

Secunda harum epiſtolarum (pag. 143.) docet, multa coniunctioni Eccleſiarum Evangelicae et Reformatae obſtare, ſi vel neges, (quod negari tamen non poteſt,) grave eſſe earum diſſidium, et capitale. Fac enim eas in unam coire, ſupererunt tamen ſemper ex utraque, qui unionem hanc reſpuant, et antiqua dogmata retineant. Ita non iam una erit Eccleſia, ſed triplex. Hos autem pertinaces quomodo in ordinem cogas? Imo erunt in his et viri ſapientes, qui aegre ferent ſuperficiariam illam conciliationem, quae diverſas opiniones in eadem Eccleſia admittat, locumque querelis et contentionibus variis aperiat. Conſilium novi libri Symbolici condendi merito hic exulat.

Cum igitur irenici hi labores vani ſint, Epiſtola Tertia (pag. 153.) disquirit Vir Cl. nonne tamen leges Chriſti, qui unam in terris eccleſiam conſtitui voluerit, iubeant, ut coniunctionem Eccleſiarum ſtudioſe promoveamus, nec in amica duntaxat perſiſtamus toleratione? deinde: qua in re comis et manſueta toleratio, utramque Eccleſiam Proteſtantium intercedens, a plena earum unione differat? denique: utrum ſchiſma inter eas ortum perpetuo duraturum ſit? Primam quaeſtionem ita ſolvit, ut oſtendat, non omnino neceſſariam eſſe coniunctionem illam per ipſa Scripturae Sacrae praecepta. Secundae reſpondet, tolerationem illam ſenſim nos ad unionem ducere, et dum haec perficiatur, optabiliorem eſſe, quam vehementiora ſtudia ſyncretiſtica. Quod ad tertiam attinet, ſperare ſe ait, providam ſummi Numinis curam, quae adhuc Proteſtantium Eccleſias magis magisque coniunxit, omnem tandem inter eas diſſenſum ſublaturam eſſe. Ceterum Academia, cuius iudicio has epiſtolas medio anno 1758. ſubiecerat Vir d. eodem anno exſtincta et quaſi in fumum reſoluta eſt.

VI. *Ora-*

Digitized by Google

VI. *Oratio de ea Germaniae dialecto, qua in ſacris faciundis atque in ſcribendis libris utimur;* cum munus Profeſſoris Ordinarii Philoſophiae ſuſciperet Auctor, d. XII. Septemb. MDCCL. habita, et A. MDCCLI. typis deſcripta. A pag. 171 — 192. Caſu potius, quam conſilio accidiſſe dicit Vir Cl., ut et paginae noſtrae, et cathedrae ſacrae ea dialecto loquantur, quae Salam inter et Albim, ſeu in Miſnia viget, cuius Lipſia vicinaeque urbes domicilium et ſedes propria habentur. Mirari ſe, Miſniam potiſſimum lectam eſſe, quae dicere et ſcribere Germanos doceat, regionem ne nomine quidem Germanam, a Slavis diu habitatam, a Germanis recuperatam, ita tamen ut victrices coloniae cum gente victa coaleſcerent, et fere nobiliores familiae a Slavis originem repetant. Periiſſe illam priſcam Miſniae et germanam dialectum; nec ergo Miſniam dialecto ſuae antiquitatis gloriam vindicare poſſe. Duplicem eſſe dialectum Germaniae, Borealem et Auſtralem. Illam, quam uno vocabulo *Saxonicam* dixeris, mollius limpidiusque adpellare litteras, neque convenire in eam, quod aliae gentes queruntur, nimia conſonantium mole Germanicas voces obrutas eſſe. Eandem etyma vocum optime ſervaſſe, quod ingens eſt ultimae antiquitatis argumentum; hoc vero ſingulare habere, quod ora ductilia adeo in omnes ſonos efficit, ut qui eam a pueris didicerunt, plurimas alias linguas commodiſſime et puriſſime eloqui diſcant; hac una tamen re accuſandam, quod in vocibus conſtruendis minus clara atque perſpicua ſit. Omnia alia eſſe in dialecto Auſtrali, ex qua nata ſit Miſnica. Colonos enim ex ſuperiore Germania, Franconia inprimis, ductos eſſe in Miſniam, Slavis ereptam ab Henrico Aucupe, eosque inter Slavos habitantes ſenſim degeneraſſe, confudiſſe litteras, barbara vocabula recepiſſe. Hanc Miſnicam dialectum vocabulis permultis, quibus Franconia, Suevia, Bavaria, Helvetia utitur, carere, nec eorum loco aliis gaudere; deſtitutam eſſe in primis artis nauticae vocabulis. Ingentem praeterea ſtragem verborum Miſnicorum ſuperioris

Seculi delirationem dediſſe, cum, abrogatis fere in culto ſermone vocibus Germanicis, plurimas Gallicas civitate noſtra donarent patriarum opum contemtores, quas aegre hodie removemus; a qua ſtrage immunis manſerit dialectus Saxonica.

Sed dialectum Miſnicam magno Eccleſiae reſtauratori, Luthero, debere, quod non elegantiſſima modo et pulcherrima, ſed et ſola habeatur, qua in ſcribendo dicendoque uti debeamus. Hunc enim in Comitatu Mansfeldico ortum, linguam ibi ſuperioris Saxoniae cum aura ipſa vitali hauſiſſe *), et celeberrimam illam vitae fabulam, partim in Thuringia, partim Vittebergae, ad illam ipſam Albis atque Salae Meſopotamiam, peregiſſe. Hinc diſcipulos per omnem Germaniam dimiſiſſe, eosque cum religione dialectum etiam, cui adſueverant, propagaſſe. Eundem virum ſingularem primum fere exſtitiſſe, qui elegantius lingua Germanica uteretur, eiusque etymologias ſcriptis perſequeretur; eundem ornatiſſimam condidiſſe Scripturae S. verſionem, et carmina ſacra compoſuiſſe, quibus utrisque late per Germaniam eccleſiae Dei uſae ſint. Quibus rebus omnibus factum eſſe, ut Miſnica Lutheri dialectus Germaniam omnem pervagata, reliquas omnes dialectos ex templis primum, deinde etiam ex foro atque ex eruditorum ſubſelliis exturbaret.

Nec tamen hoc niſi ſenſim eveniſſe, ſuumque honorem, ſub ipſa initia ſacrorum reformatorum, dialecto Saxonicae conſtitiſſe. Teſtari hoc biblia Lutheri a *Iohanne Bugenhagio* inferioris Saxoniae dialecto donata, confeſſiones, et libros Symbolicos, liturgicas eccleſiaſticasque leges, et alia omnis generis ſcripta, quae dialecto Saxonica ad veram religionem Saxones formabant, cantica etiam et conciones: quorum librorum in notis pag. 184—189. exempla

*) Refert Vir d. in idiotiſmis agri Mansfeldici et hunc, quod ibi *heimſuchen* dicitur pro *einen beſuchen*. Scimus autem, hunc verbi uſum in Auſtria quoque hodienum frequentari.

Digitized by Google

empla pluscula adferuntur. Sed tandem depreſſam eſſe penitus dialectum Saxonicam, eorum inprimis, qui religionem tradebant, quaſi quadam conſpiratione, omniaque fere loca occupaſſe Miſnicam, elegantiae iam laude ſuperbientem. Unde grave Saxonibus illis veris, qui ad Albim et Viſurgim colunt, incommodum natum eſſe, ut qui ſaepius Miſnice diſſerentes audiant verbi divini praecones, quos, tamquam peregrina lingua loquentes, aegre intelligant. Poſtremo de rite aeſtimanda utraque dialecto nonnulla obſervat Vir Cl. natus ipſe in ea vrbe, quae Miſnicam dialectum, hac oratione impugnatam, diligenter ſervavit, hoc eſt, Halis Saxonum.

VII. *Commentatio de Troglodytis, Seiritis, et Themudaeis.* A pag. 193 — 209. Haec commentatio, cum reliquis duabus, in conventu Societatis Regiae Scientiarum Goettingenſis recitata, nec adhuc typis deſcripta fuit. Tradit autem de duobus troglodytarum populis, qui olim in Arabia habitarunt. Alter eorum in montibus nunc deſertis, quos olim Idumaei coluerunt, habitavit, et ab his debellatus eſt, auctore Moſe, Deut. II, 12 — 22. Hic eos חורים, hoc eſt troglodytas, vocat, genealogiam etiam eorum prodit, Geneſ. XXXVI, quae librariorum culpa laborare viſa hic emendatur. Fuerunt autem Seiritae, gente Phoenices. Hinc Herodoti narratio, de priſcis Phoenicum ſedibus in Idumaea, circumnavigataque ab illis Africa, antequam ſedes in Palaeſtina agerent, confirmatur. Inprimis autem ex Iobi Cap. XXX. victus Troglodytarum, moresque gentis, adhibito in auxilium Diodoro, curate deſcribuntur. Alter troglodytarum populus, in eodem maris rubri littore immanes petras habitans, Themudaeorum eſt, ſeu, ut Muhammedes vocat Sur. VII, 71. ſqq. XV, 80—83. et aliis locis, *ſociorum petrae*; quos terrae motu tandem deletos, Arabibus ſuis velut exemplum vindictae divinae propoſuit. In qua narratione fides Muhammedi minime neganda eſt; ſed Scholiaſtarum Corani plurimorum minor fides eſt, praecipue in chronologicis. Sub-

Subiungit Vir d. regionis Themudenae ex *Diodoro Siculo* (Lib. III. Cap. XLIV.) deſcriptionem, qua illa Muhammedis confirmantur; deinde quo tempore terrae motus, de quo diximus, acciderit, quaerit.

VIII. *Commentatio de Nomadibus Palaeſtinae.* A pag. 210 — 224. Palaeſtinam ſemper vagi paſtores pererrarunt, hodieque in ea pari modo Arabes vagantur. Nec poſtquam Iſraëlitis ceſſit Palaeſtina, Nomades in ea errare deſierunt. Erant autem illis paſcua communia ac libera: liberi etiam erant a regum imperio, duoque adeo in eodem tractu populi, arantium hic, ille paſcentium, ſpectabantur. Haec iura Nomadum inde orta erant, quod ante Phoenices Palaeſtinam tenuerant. At ex illis ius belli ab Iſraëlitis Phoenicum genti illati, eiusque longe atrociſſimi, Vir d. derivat. Recte enim repetebant a Phoenicibus antiquam patriam ſuam reduces ex Aegypto Iſraëlitae, eiiciebantque novos hos colonos, qui omnem patriae ſuae ambitum occupaverant. Atrocitas belli huius iuſti immanibus Phoenicum ſceleribus defendi poteſt. Locus 1 Reg. XX, 34. ex Nomadum iure egregie illuſtratur: nam ibi חוצות ſunt deſerta Nomadum, quae paſcendo pererrabant. His vero obſervatis, melius etiam divinae promisſioni eventus conſtare videbitur, quae omnem usque ad Euphratem terram poſteris Iſaaci conceſſerat. Nam Iſraëlitae iure Nomadum uſi, late per Arabiam ad Euphratem usque greges paſcebant. Neque incredibilis erit numerus Iſraëlitarum, ſub Davide numerando coactus, quippe quibus non ſola Palaeſtina ſuffecit, ſed iisdem paſcendis veſtiendisque omnis Iordanem inter et Euphratem Arabia vectigalis fuit.

IX. *De combuſtione et humatione mortuorum apud Hebraeos Commentatio.* A pag. 225 — 236. Hebraeis patrium antiquumque fuit, integra mortuorum corpora ſepulchro condere; acceſſit deinde combuſtio, atque humatione honorificentior haberi coepit. Fuit illis et animalium ſepultura in uſu, videturque omnino mortuorum crematio

matio non omnis expers eſſe periculi. Ante Moſen, et circa eius tempora, ſola apud Hebraeos humatio obtinebat, neque eam ab Aegyptiis acceperant, ſed horum forte exemplo in eo more confirmati ſunt. Coepta autem, ex neceſſitate et metu, in Sauli filiorumque funere, combuſtio, latius deinde manavit, et ab Aſae tempore in morem abiit. Eius exempla usque ad exilium Babylonium §. VII. proferuntur, oſtenditurque §. VIII. male a Iudaeis negari, combuſtionem mortuorum in gente ſua aliquando obtinuiſſe. Omnem etiam huius cremationis mentionem, in hiſtoria ſua vitavit Ioſephus. Habuerant eam Iſraëlitae a Phoenicibus. Sed Perſarum dominationi tribuendum eſt, quod poſt reditum ex Babylonio exſilio, omnis cremationis memoria inter eos oblitterata deſuetudine fuit.

Hae ſunt harum commentationum quaſi umbrae et lineae. Quas qui non ipſas legerit, magnam voluptatis inde capiendae iacturam feciſſe putandus eſt. Multa enim in illis iucundaque rerum varietas; doctrinae copia non cumulata, nec pervulgata omnium cognitione repetita, ſed ii potius ingenii et eruditionis flores argumentis ſingulis adſperſi, ut nova utilique non minus, quam grata facie, legentibus adpareant. Orationis genus tale eſt, ut nullum eſſe poſſit ad delectandum docendumque aptius. Nos certe hanc propriam Viro Clar. laudem eſſe exiſtimamus, ut de qua re ille dixerit, de ea nemo melius dicere poſſe videatur.

SULPICII SEVERI OPERA, AD MSS. CODICES emendata, notisque, obſervationibus, et diſſertationibus illuſtrata, ſtudio et labore HIERONYMI DE PRATO, Veronenſis, Congregationis Oratorii eiusdem Civitatis Presbyteri. TOMUS I. Recenſio altera.

Veronae, typis Seminarii, apud Auguſtin. Carattonium, 1741. Alphab. 2. plag. 6. in 4. mai.

 Poſt

Poſt ea, quae nuper, Maio menſe, de Tomo I. huius Operis dicta a nobis ſunt, ſuperant ex eodem Tomo recenſendae Diſſertationes VI. quas, multa eruditione refertas, magnoque ſcriptas ingenii acumine, ultro profitemur. In *prima* Diſſertatione oſtenditur, librum Severi, de vita b. Martini, poſt eiusdem Martini mortem editum eſſe; et inde efficitur, Martinum A. Chr. CCCC. diem ſuum obiiſſe. Haec enim quaeſtio, bene illuſtrata, multa alia difficillima illuſtrat: et ipſe Baronius, *in hac ſi errare,* inquit, *contingat, haud fiet absque magno diſpendio hiſtoricae veritatis.* Notum eſt enim, olim tempora regum Francorum ab obitu Martini numerata fuiſſe. Verſatur autem ita in hac re Auctor, ut primum, aliorum opinionibus refutatis, ſuae ſententiae fundamenta iaciat, et hanc deinceps argumentis confirmet. Prima ratio, qua Tillemontius, le Brunius, Pagius, alii, adducti ſunt, ut hunc librum Martino vivente editum eſſe crederent, eſt S. Paullini Nolani ad Severum epiſtola, quae in novis editionibus eſt XI. et ad A. CCCXCVII. refertur, in qua haec ſunt ſcripta: —— *neque enim donatum tibi fuiſſet enarrare Martinum — benedictus igitur tu homo Domino, qui tanti Sacerdotis — hiſtoriam tam digno ſermone, quam iuſto affectu, percenſuiſti,* etc. Quid ad haec Prato? Primum concedit potuiſſe fieri, ut ille legeretur liber a Paullino, cui ut ſui amiciſſimo illum emendandum et perluſtrandum forte Martinus miſerit, etſi nondum vulgatum; deinde ex alio loco eiusdem epiſtolae apparere exiſtimat, nondum editum fuiſſe hunc librum, ſed Paullinum, quidquid de eo noverit, ex familiaribus Sulpicii cognoviſſe. Adſcribemus locum, ut acuti iudicent. *Neque ſat habes occaſionibus cunctis reviſere, niſi et pueros tuos mittas. nec ſolum de famulis, ſed et de filiis ſanctis — eligis tabellarios, quorum oculis nos videas, et ore contingas — nuntiant enim nobis et afferunt ea, quae ad pacem ſunt de te, dum proferunt opera domini, quae aut operaris in verbo Dei, aut ſcribis in ſpiritu verbi.* Quod vero elegantiam orationis et pietatem laudat Paullinus, non mirum videri debere cenſet;

cenſet; utramque virtutem ſatis fuiſſe notam et perſpectam, nec aliud quidquam a Martino exſpectari potuiſſe. Neque ſi legiſſet iam Paullinus librum, eum tantopere laudaſſet, in quo vir ab omnibus laudationibus abhorrens, tam eximio praeconio extollatur, ſed potius eas laudes reiicere ſtuduiſſet, ut etiam fecit, quamprimum librum accepit. Altera ratio ducitur ex epiſtola Severi ad Aurelium, ubi dicit, Martinum, ſibi ſtatim poſt mortem viſum, librum, quem de vita ipſius ſcripſiſſet, dextra praetuliſſe. Nihil tamen praeſidii inde illa opinio nanciſcitur. Dicit Severus, quem *ſcripſeram:* non dicit, quem *edideram.* Tertia ratio arceſſi poteſt ex epiſtola ad Baſſulam. Verum, etſi Baſſula moneat Severum, *in eadem epiſtola*, ſcilicet ad Aurelium, *in qua de obitu Domini Martini feciſſet mentionem, ipſum beati viri tranſitum exponere debuiſſe;* atque etiam Severus reſpondet, *quaſi vero ego tanto ſim operi deſtinatus, ut omnia, quae de Martino cognoſci oportet, me potiſſimum ſcribente noteſcant:* tamen, neque de vita Martini hic aliquid dicitur, neque inde conſtat, vitam iam editam fuiſſe. Quod denique Tillemontius, ex epiſtola ad Euſebium, ſic concludit, Liber de vita Martini iam prodiit, hanc cum epiſtolam Severus ſcriberet, in qua de diſcrimine quodam, in quo paullo ante Martinus verſatus fuit, exponit, non ergo tum mortuus fuit, quod A. CCCXCVII. demum accidit, hoc igitur nihil movet Auctorem. Nam ſi demonſtratur, vitam Martini poſt illius obitum editam fuiſſe, neque difficile eſt, ad illud tempus Euſebianam epiſtolam protrahere. Tandem Gregorius Turonenſis ait: *illo adhuc degente in ſaeculo, unum librum de mirabilibus eius ſcripſiſſe* Severum. Ad quae Prato haec reſpondet. Maxima quidem pars Martino vivente ſcripta eſt, neque tamen vita ad finem perducta, neque publici iuris facta. Eſt etiam Gregorii non tanta in hiſtoria auctoritas, ut ab eo diſceſſionem facere nefas ſit. Vidimus, quae contra alios dixerit Auctor: nunc videamus, quae pro ſe ipſe dicat. Severum exiſtimat, iam Turonos profectum, res illius geſtas ſcribendas ſibi propoſuiſſe, de-

inde domum reverſum, aut ſtatim, aut non multo poſt, hunc laborem ſuſcepiſſe. Hoc ex eo colligit, quoniam, etſi ſaepius Severus ſingulis prope annis ſe ad Martinum contulerit, de una tantum et illa prima ad Martinum peregrinatione in toto libello dicit. Si, quo tempore hoc factum ſit, interroges, reſpondet Prato, ſe, quoniam in epiſt. Paullini XI. n. 13. a. CCCXCVII. data, Severus *Martini beatiſſimi frequentator* dicatur, atque inde appareat, Severum iam ſaepius Martinum adiiſſe, et primum illud iter ante a. CCCXCVII. aliquot annos retrahendum eſſe, ex Severi denique verbis conſtet, non multo ante illud iter ſaeculo ſe abdicaſſe Paullinum, Severum autem, qui tamen eodem prope, quo Paullinus, tempore, ſanctius vitae genus complexus ſit, adhuc ſeculo militare Martino viſum eſſe, ſe igitur arbitrari, omnia commode ad a. CCCXCIII. aut ſequentem referri poſſe, cum Paullinus circiter a. CCCXCII. mundum reliquerit. Librum vero non prius lucem adſpexiſſe, nemo qui Martini animum, gloriae et laudis contemtorem, ex Severo cognitum habeat, mirabitur. Neque probabile eſt, Severum, qui ſe multa ab illo *ſciſcitatum eſſe*, et *multa arte invito extorſiſſe*, fatetur, haec quaſi arcana Martino vivo, ad quem liber, totum orbem pervagatus, neceſſario perveniebat, narrare voluiſſe. Nunc ad rem redeamus. Primum, nunquam in libello Sulpicius ſuperſtitem Martinum eſſe innuit, qui tamen aliquot locis, ut in prooem. *adeo ea, in quibus ipſe tantum* etc. Cap. 7. *ab hoc primum beati viri nomen enituit:* in epiſt. ad Aurel. *Clarum mortuum eandem, quam magiſtrum*, i. e. Martinum, *viam ſcandere;* de illo tanquam mortuo loquitur. Neque enim neceſſarium erat, apertius et clarius de re loqui, quae nemini ignota eſſe poterat. Deinde, ſicut ex epiſt. Paullini XI. a. CCCXCVII. ſcripta conſtat, ipſum Severi librum nondum legiſſe, ſic ex epiſt. XXIII. a. CCCCI. ſcripta apparet, Paullinum hanc vitam legiſſe. Id quod etiam epiſt. XXIV. eodem prope, quo praecedens, tempore ſcripta, indicat. Ibi enim graviter queritur, et moleſte fert laudes a Severo in ſe congeſtas,

non

non in epiſtola quadam, aut ſermone familiari, tum enim non tanta fuiſſet querendi cauſa; ſed in illo libello, cuius ut plura loca omittamus, cap. IX. egregie convenit cum epiſtolae num. XXII. Unde apparet, non prius Paullinum hunc librum vidiſſe, non prius illum editum eſſe. Alias non tacuiſſet ille, non tam diuturno ſilentio laudes illas quaſi comprobaſſet, citius eſſet conqueſtus. Porro, in Paullini epiſt. XXIX. a. CCCCII. ſcripta, legimus, Paullinum librum de Martini vita communicaſſe cum Melania, muliere ſanctisſima, quae nuper ex Oriente rediiſſet, et Niceta, Daciae epiſcopo. Iam hic Nicetas ante quatuor annos Nolae apud Paullinum fuerat: hic ſi igitur liber iam tum a Paullino lectus fuit, cur non Nicetae legendum dedit? cur poſt tantum temporis ſpatium miſit? Melaniae vero, quae *ſtudioſiſſima talium hiſtoriarum* audit, et in Oriente, ubi celerrime diſſeminatus fuit hic liber, illum facile accipere poterat, ſi ante aliquot annos prodiiſſet, cur poſt tantum intervallum nunc demum ille mittendus erat? Deinde, ſi Poſtumianus ineunte vere a. CCCCII. iter fecit in Aegyptum, i. e. poſt integrum annum et menſes aliquot ab editione libri de vita Martini, atque poſt triennium, ſive a. CCCCV. ad Severum rediit, illiusque dialogis occaſionem dedit, omnia, quae in ipſis referuntur, huic tempori bene convenient. Unum afferamus. Narrat Poſtumianus, Paullinum omnium primum hunc libellum Romam attuliſſe, ſeque illum avidiſſime emi vidiſſe. Hoc fieri debuit menſibus aeſtivis a. CCCCI. Tum enim, ut ſingulis annis facere ſolebat, profectus eſt Paullinus Romam, ad Petri et Paulli natalitia celebranda. Nam ea aeſtate contulit ſe Poſtumianus ex Aquitania Nolam, iterumque Nola in Aquitaniam rediit, atque ita Romam bis adiit. Iam Poſtumianus a. CCCXCIX. a Paullino ad Severum cum litteris miſſus, et aliquamdiu apud illum commoratus eſt. Quodſi igitur Martini vita iam a. CCCXCVII. prodiit, quare non tum Romam attulit illam Paullinus? cur Poſtumianus hoc demum tempore, nec in illo primo itinere, Severo haec nuntiat? Tandem tenendum

dum eſt, epiſtolas ad Aurelium et Baſſulam ante epiſtolam ad Euſebium ſcriptas, editas, et coronidis loco vitae Martini adiunctas fuiſſe. Etenim Gallus, qui ſe iam commemorata a Severo in ſuo libro praeterire velle promittit, nullum verbum facit de morte Martini, quae, in epiſtolis ad Aurelium et Baſſulam deſcripta, in illo libro non habetur. Quidni igitur fateamur, Gallum, quoties vitam Martini nominet, eas quoque epiſtolas nominare? ut Gregorius Turonenſis, qui in recenſione librorum Severi de S. Martino, illlum Vitam et duo dialogos ſcripſiſſe ait, et deinde epiſtolam ad Aurelium, tanquam vitae partem, laudat. Eſt vero Epiſtola ad Euſebium libro iam evulgato ſcripta, neque ideo ſtatim potuit adiungi. In qua cum verba illa: *cum Martinus ipſe nuper aduſtus periculoſiſſimae fuiſſet obnoxius paſſioni:* omnia antea dicta praevertere videantur, eleganter Auctor demonſtrat, non ſemper breve tempus hoc *nuper* indicare, ſed latius pro intervallis, ad quae referatur, extendi. Aliquot vero annis ante mortem haec accidiſſe apparet etiam inde, quod Gallus Martinum tum Auguſta Trevirorum revertentem dicit, quodque in eadem epiſtola brumali tempore ruſticanam paroeciam viſitaſſe dicitur. Neque enim probabile eſt, Martinum in extrema ſenectute, et maximopere effoeto corpore, tam longum et moleſtiarum plenum iter ſuſcepiſſe. Eſt igitur, ex ſententia Auctoris, vita Martini aliquot annis ante illius obitum inchoata quidem a Severo, ſed oppreſſa, nec evulgata: ſunt ſtatim poſt mortem Martini epiſtolae ad Aurelium et Baſſulam ſcriptae, paullo poſt Vita una cum his epiſtolis edita fine A. CCCC, aut potius initio A. CCCCI. poſt aliquot menſes A. CCCCI. epiſtola ad Euſebium data eſt, Martinus vero A. CCCC. obiit. Haec de prima diſſertatione. In *altera,* compluribus argumentis Martinum A. CCCC. die III. Iduum Novembris mortuum eſſe, evincitur. Primum hoc eſt. In Dial. III. c. 13. ſcribit Severus, eo die, quo Felix Auguſtae Trevirorum epiſcopus fuerit ordinatus, Martinum, a Maximo, Imperatore, coactum, cum Ithacianis communionem iniviſſe, ſtatim-

ſtatimque addit, illum XVI. annos poſtea vixiſſe. Iam Felix eodem tempore ordinatus, quo Priſcillianus necatus fuit, A. CCCLXXXV. Scribit etiam Severus in Hiſt. Sacr. quam initio A. CCCC. contexuit, necem Priſcilliani magnas turbas excitaſſe, quae iam per quindecim annos agitarentur. Quae quidem omnia, ſi rite rationes ſubducas, et ab A. CCCLXXXV. aut ineunte, aut medio, ad initium A. CCCC. numeres, belle convenient. Quomodo vero Baronium, Labbeum, Petavium refutabis, qui Synodum Trevirenſem, cui Martinus interfuit, A. CCCLXXXVI. Evodio conſule habitam eſſe contendunt? Fecit omnino duo itinera ad Maximum Martinus, probe a ſe invicem diſtinguenda. Primum ante Priſcilliani necem, alterum poſt illam iniit. Neutro loco, neque Hiſt. Sacr. L. II. c. 50. neque Dial. III. Evodius conſul commemoratur. Illa in Vit. Mart. c. XX. de convivio Maximi, ad primam Martini profectionem referenda ſunt. Fuiſſe etiam Evodium A. CCCLXXXIV. i. e. tempore primi itineris Martini conſulem, ſed a ſolo Maximo, antequam cum Theodoſio foedus iniret, creatum, neque propterea in faſtos conſulares relatum, conſtat ex ea ipſa convivii hiſtoria, in qua Evodius proximum ab Imperatore locum obtinuiſſe, atque frater et patruus Imperatoris, *ſumma poteſtate praediti, ſummi atque illuſtres viri*, infra eum accubuiſſe dicuntur. Maximum A. CCCLXXXIV. Evodium conſulem creaſſe, nemo mirabitur, qui morem teneat perpetuum et conſtantem, ut imperium quocunque modo conſecuti proximis Kal. Ian. nomen ſuum faſtis inſcriberent, et inirent conſulatum. Quod etiam Maximum, A. CCCLXXXIII. Imperatorem in Britannia ſalutatum, feciſſe probabile eſt, priusquam cum Theodoſio de pace egerit. Quo facto, cum alios ab eo conſules creatos intelligeret, ſponte ſe poſt aliquot menſes cum collega conſulatu abdicavit, et Evodius biennio poſt, ex utriusque partis conſenſu, iterum conſul factus, inque faſtos relatus eſt, quaſi primum conſulatum gereret, qui tamen ſecundus erat. Fortaſſe etiam, ut odio in Maximum omnia eius acta deleverunt, ſic

conſu-

conſulatus quoque memoriam aboleverunt ſecuti Imperatores. Ad hunc igitur ſecundum Evodii conſulatum, qui cum illam de Martino in convivium adhibito hiſtoriam, tum Martini cum Ithacianis communionem, in ordinatione Felicis retulerunt, valde errarunt. Nam illud A. CCCLXXXIV. ante Priſcilliani damnationem, hoc anno inſequenti, Priſcilliano paullo ante necato, accidit. Erravit etiam Harduinus cum aliis, qui Synodum Trevirenſem Anno CCCLXXXIV, habitam tamen a. CCCLXXXV, tribuit. Deinde, ut nihil dicamus Severi, Martini diſcipuli, et Martino συγχρόνȣ, teſtimonium, teſtimonio Gregorii Turonenſis, qui mortem Martini triennium integrum praevertit, longe praeferendum eſſe; accerſit etiam Auctor ex Severo, aliisque Scriptoribus ſuae ſententiae praeſidia. Legitur in Dial. I. c. 25. Vincentium praefectum, Turonos praetereuntem, a Martino saepius poſtulaſſe, ut ſibi convivium in monaſterio daret. Conſtat vero, Vincentium, qui ſaepius Turonos adiit, Martinumque viſitavit, A. CCCXCVII. dignitatem praefecturae Galliarum accepiſſe, et usque ad finem A. CCCC. tenuiſſe. Annus igitur CCCXCVII, primus praefecturae Vincentii, non fuit annus mortis Martini. Non enim probabile eſt, Vincentium, intra unius ſpatium anni, Treviris profectum Galliam peragraſſe, et Turonis Martinum viſitaſſe. Quod ſi Martinus ad A. CCCC. vixit, facile aliquoties fieri id potuit. Porro in Dial. II. c. 14. dicitur, annum eſſe octavum, ex quo de proximo fine ſaeculi, et de Antichriſto, ex Martino audiviſſet. Iam Severus hos dialogos A. CCCCI. ſcripſit. Annos igitur ſi ordine retrogrado numeres, incidit illud tempus vel in priores menſes A. CCCXCVIII. vel in poſtremos A. XCVII. i. e. vel mortuo, ut ex Gregorii ſententia ſequitur, Martino, vel duo, tres ad ſummum menſes, ſuperſtite. Quod neutrum probabile eſt. Deinde, etſi honorifice Severus in Hiſt. Sacr. de Martino et loquatur et ſentiat, nunquam tamen verbum de illius morte dicit. Neque enim narrare potuit Severus, qui Hiſt. Sacr. usque ad initium A. CCCC. contexuit, quid eiusdem anni fine acciderit.

Dili-

Digitized by Google

Diligenter etiam attendenda ſunt verba Paullini Nolani in epiſt. XVII, a. CCCXCIX. exeunte ſcripta. — *cum intra annum eadem opera ad nos potueris pervenire et recurrere, qua Gallicanas peregrinationes tot annis frequentas, et iteratis ſaepe intra unam aeſtatem excurſibus Turonos et remotiora viſitas —: praedico magis devoionem tuam in Domino, quem in ſervis ſuis admiraris, et honoras. iuſte fateor et merito Martinum frequentari, ſed dico iniuſte perniciofeque Felicem, ab eodem, qui illum honoret, promiſſis inanibus ludi —: qua fide ſperas Chriſti gratiam in honore Martini, eadem Chriſti offenſam time in offenſione Felicis.* Quibus verbis nihil aliud indicatur, quam Severum a multo iam tempore ad Martinum honorandum, non ad ſepulchrum illius, ut prima fronte videri poteſt, profectum eſſe. Non enim credibile eſt, ſtatim Martino poſt mortem publicos honores, quos tum ſolis martyribus praeſtabant, ne in ſua quidem eccleſia, exhibitos fuiſſe; cum ob multos obtrectatores virtutum eius, tum ob Turonenſis eccleſiae ſtatum, quem Auctor copioſe exponit. Primis poſt mortem Martini annis, magnae inter Briccium epiſcopum, et Martini quidem diſcipulum, ſed longe ab illius diſciplina recedentem, atque Martini diſcipulos, Severum in primis, inimicitiae exortae ſunt: Briccius in pluribus Synodis, ut in Taurinenſi, ex ſententia Auctoris a. CCCCII. aut ſequentibus habita, reus actus, monachi Martini a ſuburbio Turonenſis urbis aufugerunt. Nulla igitur erat cauſa Severo illuc proficiſcendi, multa quae illum retinerent ab itinere. Stat ergo illud, quas Paullinus a. CCCXCIX. annuas ad Martinum peregrinationes memorat, Martino vivo factas eſſe. Attendenda ſunt etiam verba Proſperi, in Chronico Pithoeano, ad annum V. Arcadii ſcribentis: *Martinus, poſt egregie actam vitam, corpore exuitur.* Ubi, ne cum aliis erremus, notandum eſt, Proſperum in Chronico hoc, primum annum alicuius Imperatoris a Kalend. Ianuariis, anni proxime eius electionem ſequentis, numerare incipere. Suſpicatur tamen Auctor, hunc plane ſingularem morem librariis tribuendum

 eſſe,

eſſe, qui annos Imperatorum in margine paginae notatos una alterave linea inferius ſcripſerint, quam in prioribus exemplaribus ſcriptum erat. Idem vero Scriptor Martini mortem anno poſt Templorum everſionem, a. CCCXCIX. factam, duobus annis a Gildonis obitu, quae a. CCCXCVIII. evenit, et quatuor annis poſt flammas a. CCCXCVI. ſupra Conſtantinopolim viſas, collocat. Quae omnia Martinum a. CCCC. obiiſſe teſtantur. Neque ipſe Gregorius, etſi ad alium annum Martini mortem refert, caret teſtimoniis, quibus Auctor ſuam ſententiam ſtabiliat. Primum Martinum media nocte Dominica obiiſſe, memoriae prodiit. Iam vero conſtat, a. CCCC. in ipſam d. XI. Novembris, i. e. natalem Martini, Dominicam incidiſſe, a. CCCXCVII. autem d. XI. Novembris quartam feriam actam fuiſſe. Atque hic etiam refutat Auctor primum Pagavium, et Anthelmium, qui Martinum cenſent mori potuiſſe cum ea nocte, quae Dominicam anteceſſit, quod a. CCCC. convenit; tum etiam illa, quae Dominicam excepit, quod ab ipſis ad a. CCCCI. refertur: deinde Tillemontium, qui, an Martinus die Dominica mortuus ſit, dubitat. Profert enim Auctor inter alia antiquam inſcriptionem, quae in baſilica et ſepulchro Martini, inde a Perpetui usque tempore, i. e. ſaeculo VI. fuit. Eſt illa haec: *Depoſitio Sancti Martini tertio idus novembris: pauſavit in pace Domini,* (quod interpretatur Prato *Dominica*), *nocte media.* Quae verba etiam Gregorius prae oculis habuiſſe videtur, *nocte* ſcribens, *media quievit in pace — in die dominica.* Alterum Gregorii teſtimonium hoc eſt. In Hiſt. Franc. L. II. cap. ultimo: *a tranſitu S. Martini usque ad tranſitum Chlodovei regis — ſupputari annos* CXII. ſcribit. Iam ſi Clodoveus obiit a. DXI. d. XXVII. Novembris, de quo non eſt dubitandum ullo modo, et quod vel ex eo apparet, quod eo ipſo anno die X. Iulii Synodus Aurelianenſis I. a Clodoveo convocata habita eſt: obiit etiam Martinus a. CCCC. Sunt enim anni CXII. non completi, ſed incepti tantum intelligendi. Atque eadem eſt ratio, dum a. CLXIII. ab obitu Martini cum ſecundo

Sige-

Digitized by Google

Sigeberti regis, et annum CLXXII. quo epiſcopus ipſe ordinatus fuit, cum anno duodecimo eiusdem Sigeberti coniungit. Hic refutatur Cointius, qui, quae in Hiſtoria Francorum occurrunt, annorum ſupputationes, ſuppoſititias eſſe contendit; et Tillemontius, qui nullam in his rebus Gregorii rationem habendam eſſe iudicat. Poſtremo loco chronicorum quorundam teſtimonia, quae hanc Auctoris de morte Martini ſententiam confirmant, producuntur. Primum ex Chronico Leodienſi, apud Labbeum in Bibl. MSS. p. 334. ex Chronico a Leibnizio edito in Script. Rer. G. Tom. I. p. 83. ex Chronico Turonenſi, ex Alberico monacho Trium-Fontium, apud eundem Leibn. Tom. II. p. 31. Nunc venimus ad tertiam diſſertationem, in qua, quae ante dictis obiici et poſſunt et ſolent, diluuntur, ſimulque epiſcoporum Turonenſium ſeries, a Martino ad Gregorium, examinatur et emendatur. Sunt vero illa, quae cauſae Auctoris adverſari videntur, potiſſimum petita ex Gregorio, cui etſi non omnem fidem, ea praeſertim ſcribenti, quae aut ſua aetate, aut proxime illam acciderunt, detrahit, tamen Severo in Martini hiſtoria poſtponendum eſſe arbitratur. Primum ſcribit Martinum natum eſſe a. XI. Conſtantini, id eſt a. C. CCCXVI. ſeu potius a. CCCXVII. Cui contradicit Severus, qui illum iam ſeptuagenarium, (de qua lectione ob omnium librorum conſenſum non dubitandum eſt,) a Maximi uxore convivio exceptum fuiſſe commemorat, quod a. CCCXCIV. contigit. Eſt ergo natalis Martini certe non poſterior a. CCCXIII. Quomodo autem non tota Martiniana apud Gregorium chronologia nutet, ipſum cum fundamentum tam parum firmum ſit? Idem dicit, Martinum ordinatum fuiſſe Epiſcopum a. VIII. Valentiniani maioris, i. e. A. C. CCCLXXI. aut ſequenti. Neque tamen potuit hoc anno ordinari Martinus: ſacras ordinationes nonniſi Dominicis diebus aut ſabbatho haberi fas fuit, atque hunc morem, cuius cognitio ad multas quaeſtiones ſolvendas perutilis, copioſe et docte Auctor hoc loco illuſtrat. Iam Martinum ordinatum fuiſſe

Digitized by Google

d. IV. Non. Iulii notum eſt. Ex cyclo vero ſolari conſtat, eam diem a. CCCLXXI. in ſecundam, a. LXXII. in quartam feriam incidiſſe. Errat etiam Gregorius, dum in definiendo epiſcopatus tempore, in diverſas ſententias abit, illique modo annos XXVI. menſes IV. dies XXVII, modo annos XXV. menſes IV. dies XI. aſſignat. Errat porro, dum Martinum annos LXXXI. natum obiiſſe ſcribit. Nam qui anno CCCLXXXIV. iam ſeptuagenarius erat, et ſedecim adhuc annos vixit, ſaltem annos LXXXVI. vixiſſe dicendus eſt. Errat denique dum Attici Caeſariique Conſulatum, quo Martini mortem collocat, coniungit cum anno ſecundo Imperatorum Arcadii et Honorii. Tertius enim erit annus ab initio imperii illorum, ſi mors Martini ad Novembrem a. CCCXCVII. referatur. Quomodo denique defendas Gregorium, et Attico Caeſarioque Coſſ. mortem Martini collocantem, et Ambroſium, qui iisdem Coſſ. IV. nonas April. obiit, per viſum interfuiſſe exequiis Martini, III. idus Novembr. mortui, ſcribentem. Auctor quidem cum aliis rem totam inter fabellas referendam eſſe negat, ſed verum eſſe putat, Martinum potius interfuiſſe funeri Ambroſii, atque adeo, quae de hoc dicat, forte incerta traditione deceptus, forte imagines in baſilica Martini depictas non recte interpretatus, de illo dicere debuiſſe Gregorium. Obiter hic addit Auctor alia, quae ſibi in Gregorio ſuſpecta videantur. Huc refert contentiones, quas ortas eſſe dicit inter Pictavos et Turonenſes de Martini cadavere, propterea quod et Severus in epiſtola ad Baſſulam nihil de hac re dicat, et argumenta, quibus Pictavi et Turonenſes corpus ſibi quisque vindicant, nec convenire in illa tempora, nec ullam veritatis ſpeciem habere videntur. Ultimus error Gregorii hic eſt, dum Caeſario et Attico Coſſ. Martinum obiiſſe ſcribit, et ſimul addit: *a paſſione Domini usque ad tranſitum ſancti Martini anni CCCCXII. computantur.* Hic enim, ubi nihil ob conſenſum MSS. mutandum, eſt anachroniſmus annorum XLV. aut amplius. Hos errores Auctor exiſtimat Gregorium,

qui

qui ducentis ferme poſt Martinum annis vixit, quo toto tempore Gallia omni calamitatum genere vexata erat, inconſulto et invitum commiſiſſe. Quare Pagium refutat, qui Gregorium ex apocrypho aliquo vitae Martini ſcriptore has fabulas hauſiſſe credidit; etſi non negat, ex eccleſiae Turonenſis ſcriniis, nonnulla, quae in Severo fruſtra quaeruntur, Gregorio de Martino innoteſcere potuiſſe. Supereſt, ut, quo anno Martinus eccleſiae Turonenſis curam ſuſceperit, declaretur. Quod a. CCCLXXV. factum eſſe inde probabile videtur Auctori, quoniam primum hoc anno dies dominica incidit in diem V. Iulii; deinde quia, ſi a Iulio a. CCCLXXV. ad Novembrem a. CCCC. numeres, Gregorium vere dixiſſe apparet, Martinum a. XXVI. ſui epiſcopatus obiiſſe; denique, quoniam eo tempore adhuc regnabit Valentinianus, qui, ſi ex iis, quae Severus commemorat, iudicamus, vivat adhuc neceſſe eſt. Reſtat ultimum argumentum, quod ſententiae Auctoris contrarium eſſe videtur. Nam ſi id, quod Gregorius memoriae prodidit, Briccius annos XLVII, Euſtochiusque annos XVII, in epiſcopatu transegit; ſi Perpetuus anno poſt Martini obitum LXIV. ſedit; ſi denique Synodus Turonenſis I. habita fuit a. CCCCLXI. d. XVIII. Kal. Decembr. convenit profecto obitus Martini non in a. CCCC, ſed in a. CCCXCVII. Verum neque hic Gregorii calculus ſtare poteſt, cuius libri de epiſcopis Turonenſibus, nec aliis, iisque non levibus erroribus, immunes ſunt. Hic enim Auctor hiſtoriam epiſcoporum Turonenſium ſibi explicandam et emendandam, atque Gregorii errores corrigendos, ſumit. Non ſincerum nobis Gregorius anteceſſorum ſuorum tradidit catalogum. Nam ſoli anni epiſcoporum a Martino ad a. XXI. Gregorii enumerati, ſunt CXCIX. cum menſibus V. et aliquot diebus. Annus tamen XXI. Gregorii, in quo definit catalogus, reſpondere debet a. C. DXCIV. Cum igitur et ex illorum ſententia, qui Martini mortem a. CCCXCVII. aſſignant, tempus illorum epiſcoporum longius, quam fieri debebat, excurrit, neceſſe eſt ut vel epiſcopis quibusdam

plures, quam par fuit, annos tribuerit, vel, qui nunquam fuerunt epiſcopi, eos in catalogum epiſcoporum retulerit. Atque etiam ipſe, in ſerie Hiſtoriae Francorum, non parum diverſam epiſcoporum ſeriem repraeſentat ab ea, quae in catalogo exhibetur. Laborat quoque Gregorii catalogus in annis Licinii cum Chlodovaei hiſtoria comparandis. Omiſit porro, et in Catalogo, et in Hiſtoriae ſerie, Agreſtium Turonenſem epiſcopum, cuius tamen nomen duobus conciliis ſubſcriptum invenitur, Aurelianenſi V. a. DXCIX. V. Kal. Nov. habito, et Pariſienſi II. vulgo ad a. DLV. relato. Si denique uniuscuiusque epiſcopi aetatem accurate indagamus, graviſſimi occurrunt Gregorii errores, quos hic repetere non vacat, quoniam vix brevius, quam ab ipſo Auctore factum eſt, a nobis narrari poterunt. Coronidis loco huic diſſertationi additur fragmentum epiſtolae Pagii ad Abbatem Nicoſium, Canonicum Divionenſem, unde intelligitur, quantum interſit, quantum conveniat in huius argumenti tractatione inter Pagii et Pratonis ſententiam. In diſſertatione *quarta* inveſtigatur chronotaxis praecipuarum a Martino in vita rerum geſtarum. Lubet hic, praetermiſſis iis, quae de variis rebus docte et copioſe ab Auctore diſputantur, brevi, tanquam in tabula, vitam Martini proponere. Naſcitur Martinus aut a. CCCX. ineunte, aut certe ante a. CCCXIV: decem annos natus fit catechumenus: quinto decimo aetatis anno militiam ſequi cogitur: a. CCCLI. ineunte, ſub Conſtantio inter ſcholares alas recipitur: poſt tres annos baptizatur: duo annos ſolo licet nomine in militia degit: a. CCCLVI. a Iuliano dimittitur, ſeque ad Hilarium, et paullo poſt in Illyricum, confert: anno ſequenti forte inde redit, Mediolani aliquamdiu moratur, poſt in inſulam Gallinariam abit: a. CCCLX. exeunte reditum Hilarii cognoſcit, eum in Gallias ſequitur, ab illo locum ſibi, monaſterio aedificando, impetrat: ibi XIV. annos degit, plurimaque miracula patrat, quae tamen fere omnia ignorantur: hinc a. CCCLXXV. IV. nonas Iul. eductus, Turonis epiſcopus datur: eodem anno ad Valen-

Valentinianum in Illyricum usque proficiſcitur: non multo poſt, Turonos regreſſus, duobus fere extra civitatem millibus ſibi monaſterium ſtatuit: dein altare in honorem falſi martyris erectum deſtruit: eo tempore acciderunt, quae de fanis gentilium everſis, de eccleſiis eorum loco aedificatis, et de prodigioſis curationibus apud Severum leguntur: abit Treviros, inde redit, Pariſienſem civitatem ingreſſus leproſum ſanat, et, Viennae forte, Paullino oculi ſanitatem reddit: a. CCCLXXX. Martinus legationem ab Auſpicio, viro praefectorio, accipit: initio a. CCCLXXXVII. iterum Treviros ad Imperatorem Maximum proficiſcitur, quo tempore ab uxore Maximi Martino obſequium magnum exhibetur: ſequenti anno rurſus Treviros ſe confert ad Maximum, et cum Ithacianis communionem inire cogitur: a. CCCXCIII. primum Severi iter ad Martinum accidit: proximus morti poſtremum Treviros adit Martinus: inde ſumma hieme rediens, miraculum, a Severo Dial. II. c. 8. narratum, efficit, vaccam daemone liberat, et incendio periclitatur: a. CCCC. febri correptus III. idus Novembr. obit, natus annos XCI. ſi natus eſt initio A. CCCX; ſive annos LXXXVII. ſi fine A. CCCXIII. lucem adſpexit. Epiſcopatum geſſit annos XXV. menſes IV. dies VII. Sequitur Diſſertatio *quinta*, in qua Severus, eiusque Dialogi, ab errore Millenariorum vindicantur. Defenſionis capita haec ſunt. Primum producit Auctor ipſum locum ex Dial. 2. extr. Severi, quo tota accuſatio nititur, et cum illud attendendum eſſe cenſet, non hic Sulpicium doctorem, ſed hiſtoricum agere, non ſuam ſed Martini ſententiam litteris mandare; tum Chiliaſmum ex iis apparere negat ac pernegat. Deinde Hieronymum, quem tanquam claſſicum teſtem omnes ſequuntur, hac in re nullam fidem mereri putat, nullum cum ſit accuſationis fundamentum, nulla ſpecies. Quid ſi vero Hieronymus, ut Tillemontius coniicit, errorem illum in dialogis deprehendit, qui deinde ob infamiam eſt omiſſus? Non eſt omiſſus. Deſideratur quidem ille locus de Antichriſto, cui Tillemontius locum de mille annorum

norum regno adnexum fuiſſe coniicit, in codicibus pluribus, recentioribus praeſertim, non tamen in antiquioribus. Si librarius, quod religioſas ſuas aures offendit, expungere in Severo voluit, non debebat relinquere proxime ſequentem, de iam orto Antichriſto, et inſtanti ſeculi fine, ſententiam. Porro, ſi quis hunc locum recte conſideret, intelliget ea omnia, quae Hieronymus Chriſti regno ex Millenariorum ſententia tribuit, a Sulpicio ex Martini ſententia Antichriſti tyrannidi tribui. Cur vero Hieronymus Severo errorem obiicit, qui non in illius libris apparet? Permotus fuit procul dubio Hieronymus, ut Severum notaret, licet non cum Millenariis ſentientem, quia ſcripſerat *urbem Hieroſolymorum et templum eſſe reparandum;* quam ſententiam ille ſaepius perſtringit, et refutat. Notandum eſt, Hieronymum in loco illo, (lib. XI. comment. in Ezechiel.) Tertullianum, Lactantium, Irenaeum, Victorinum Petabionenſem, et Apollinarium ſimul componere, illisque promiſcue Chiliaſmum tribuere. Conſtat tamen, non omnes ſingulasque huius ſententiae partes ab omnibus propugnatas eſſe, ſed alios gravius, ut Apollinarium, alios levius in hac re eſſe lapſos, ut reliquos, apud quos craſſos iſtos errores fruſtra quaeſiveris. Neque igitur, cum pari iure Sulpicium nominare videtur, ad hunc omnia ibi commemorata referri debent, ſed benigniori interpretatione Hieronymo eſt ſuccurrendum. Verum cum ipſe Auctor videat, Hieronymum manifeſte teſtari, ſe eo loco cum ſolis Millenariis rem habere, aliam viam defenſionis init. Vel memoria, ait, Hieronymus lapſus eſt, ſi modo Severum legerat, et humani aliquid paſſus; vel ab alio in hunc errorem eſt adductus, qui ſententiam Severi non ſatis perſpectam habuit, neque igitur ipſe librum legit. Atque hoc in primis Auctori probabile videtur. Primum enim Hieronymus, Dialogo, in quo Sulpicius millenariis faveat, Gallo nomen fuiſſe dicit. Quid vero deſignat his verbis? totumne opus? ſed dicit dialogum, non dialogos; an ſecundum dialogum? ſed ſi unum nominavit Gallum, quod-

Digitized by Google

quodnam alteri dialogo nomen fuit? Deinde totus liber non in tres, ut nunc, ſed in duo tantum dialogos diviſus fuit initio; quorum alter incepit ubi nunc tertius, ſecundus vero una ſerie cum primo continuabatur. Teſtantur hoc verba Gennadii: — *collationem Galli et Poſtumiani — habitam in dialogi ſpeciem duabus inciſionibus comprehendit.* Teſtatur hoc Gregorius Turonenſis, et Proſper Aquitanus. Non legiſſe vero Hieronymum ipſum Severum eo probabilius Auctori videtur, quoniam eo tempore, quo in Ezechielem ſcripſit, ſummis curis ob turbas in Occidente ortas diſtentus; quod iam tum aetate provectus fuit; quod obtuſa oculorum acie admodum aegre legere potuit. Accedit, quod Gennadius, qui ſe Sulpicii dialogos legiſſe fatetur, ne verbum quidem tota de re dicit, nec alii antiqui ſcriptores, Gregorius Turonenſis praecipue. Denique producit Auctor locum ex Hiſt. Sacr. Lib. II. cap. 3. de interpretatione Somnii Nabucodonoſoris, ubi de regno Chriſti longe aliter Severus ſentit. Quod vero opuſcula Poſtumiani et Galli, i. e. hi dialogi, de quibus ſermo eſt, Gelaſiano decreto inter Apocrypha relata fuerint, id ideo factum eſſe coniicit, quoniam Severus de Brictione, magna ſanctitatis laude florente, minus honorifice locutus eſt. Nam in codice Capit. viginti circiter poſt Gelaſii decretum annis exarato, totus quidem legitur de Nerone et Antichriſto locus, ſed quae de Brictione in dial. 3. cap. 15. habentur, praetermiſſa ſunt omnia. Idem a Paullino factum eſt, quibus Martini vitam expreſſit. Haec ſunt, quibus Auctor Severum defendit, quem tamen in hac re non eadem ingenii acie et acumine, qua in caeteris verſatum eſſe, ingenue fatemur. Quid enim? Hieronymum non legiſſe Sulpicii Severi de Martino libros? non eos libros legiſſe, qui toto prope terrarum in orbe legebantur? eundem tamen tanta confidentia de iis iudicaſſe? Magna erat Severi auctoritas, cui infamiae notam inurere nec poterat facile, nec debebat Hieronymus, qui, niſi certiſſime ſibi de hoc Severi errore perſuaſiſſet, certe *ro dicitur.*

tur, ab aliis accepi, fertur, aut ſimile quid appoſuiſſet, atque adeo aliorum potius, quam ſuo periculo, tale crimen Severo obieciſſet. Sed finge, illud ex aliis audiviſſe Hieronymum. An illum vel tam parum curioſum in re magni momenti, vel tam ſtolidum fuiſſe credi poteſt, ut, ſi tale quid audiverit, non ipſum librum evolveret? an vero illum temere rumuſculis et ſermonibus fidem habuiſſe putemus? ſtipitem et truncum nobis pingis, non Hieronymum. At legat mihi aliquis Hieronymi orationem, nonne tanta cum confidentia loquitur, ut ipſe Severum legiſſe videatur? Cur vero Gennadius tacet de Chiliaſmo? quaſi vero divinare illud vel poſſimus, vel debeamus. Idem autem Gennadius nonne fatetur, ſe *quosdam tractatus de mille annis, et de Apocalypſi b. Iohannis* ſcripſiſſe? De quibus igitur eo loco, quo haec res exponi debuit, egit fortaſſe, ea ibi repetere neque voluit, neque opus fuit. Quale vero et quantum illud teſtimonium et eſt, et eſſe debet, quod ex ſilentio ſcriptorum, (Rabanum enim non audiendum eſſe putat Auctor, Hieronymi commentarium compilantem. Compilaverit per nos. Illius tamen teſtimonium non magis, quam aliorum, audiendum eſt. Nam quae ex Hieronymo exſcripſit, illa ſe comprobare, et vera fateri, ſimul fatetur,) de teſtimonio igitur ex ſcriptorum ſilentio arceſſito quid dicendum eſt? Non ſpectat Vir doctus, et veritatis indagandae ſtudioſus, quid non dixerint ſcriptores hiſtoriarum, ſed quid dixerint. Illud vero ab infirmitate, curis, et ſenectute Hieronymi repetitum argumentum, lepidum eſt. Quid ſi olim poſteri Pratonem imitari, atque ita ratiocinari velint? Quicunque ſummis curis diſtentus, ſenex, infirmitate oculorum laborat, illius teſtimonium ſuſpectum et falſum eſt. Iam A. MDCCLIX. hic vel ille Germanus de cometa eo anno viſo ſcripſit, ſed ſenex, oculis laborans, et, quoniam eo tempore Germania bello ardebat, ſummis curis diſtractus, nullam igitur fidem eius teſtimonium meretur. Non poterit negare Prato, recte et belle hoſce ratiocinari. Quid enim aliud, niſi ipſius exemplum ſequuntur? Quin nos

nos potius ex eo, quod Hieronymus haec ſenex ſcripſit, omnia contraria elucere arbitramur. Deferbuit aeſtus iuvenilis: maiori cum diligentia ſenes omnia conſiderant: lentius et cautius iuvenibus in iudicando procedunt. Sed non vero nomine Hieronymus dialogum appellavit? Non ſine omni cauſa illud fecit. Non inepte dialogus hic Gallus inſcribitur. Fecit id Gallus, quod diu recuſavit, quod amici ab eo poſtulant, et quaſi novam orationem, novam hiſtoriam, incipit. Quodſi etiam non duo ſint dialogi, ſed unus, citari tamen hoc nomine potuit colloquium Galli eodem iure, quo libri Homeri, etſi ſaepe non totus liber illud complectitur, a quo nomen accepit. Quid ſi etiam Hieronymus exemplo libri uſus eſt, cui a librario nomen Galli inſcriptum erat? quod ideo probabile eſt, quoniam a librariis unus dialogus in duo eſt diviſus; et in edicto Gelaſiano hi dialogi *opuſcula Poſtumiani et Galli* appellantur. Unde apparet, eos tum hoc nomine innotuiſſe, non, ut Prato parum acute coniicit, quoniam Severi nomini parcere voluerint Patres Synodi. An ego tum nomini Pratonis parco, ſi editionem Sulpicii Severi Veronenſem damno? Nonne ſtatim lectoribus Pratonis nomen in mentem veniat neceſſe eſt? Quod ad locum ex Hiſt. Sacr. attinet, reſpondebimus ipſius Pratonis verbis: non ibi doctorem agit Severus, ſed hiſtoricum; non ex ſua, ſed ex prophetarum, ex Danielis mente loquitur. Si denique nefas erat, quidquam non honorificum ſatis de Brictione dicere, quomodo iſta religio tam ſubito exſtincta eſt? Nonne Gregorius Turonenſis vitia iuvenilia illius enarrat? nonne Fortunatus ex eodem Severo illa expreſſit carmine? Hoc certe inter omnia, quae adhuc dicta ſunt, maxime a veritatis ſpecie abhorret. Sunt in Severo alia, quae Patribus Synodi diſplicere poterant. Quantum enim plerisque diſplicuerit illud, quod Martinum cum Apoſtolis comparat, ex eo intelligi poteſt, quod Adamus, Abbas Perſenniae, eum ſingulari libro: *Quod beatiſſimus Martinus par dicitur Apoſtolis:* defendere neceſſarium duxit. In eo haec ſcripta ſunt:

 Pleros-

Pleroſque ſcandalizari audio, quod Martinum noſtrum parem apoſtolis canat, et glorietur eccleſia etc. Verum nos, licet non pauca in promtu ſint, non acriter pugnabimus. Neque haec Auctoris doctisſimi carpendi, aut gloriolae aucupandae gratia dicta ſunto, ſed ut et ipſe Prato, humana errandi ſorte non exemtus, alios, ſi humani quid patiantur, modeſtius tractare diſcat, et ut alii intelligant, quam facile partium ſtudio, et nimio amore occoecati, ea ipſi probemus et dicamus, quae in aliis nunquam toleraremus. Diſſertatio *ſexta* eſt copioſus commentarius in Cap 6. et 7. Dialogi I. ubi de monachis, ob Origenis nomen ex Nitria totaque Aegypto pulſis, agitur. Tria ſunt huius diſſertationis capita. In primo inquirit Auctor, quo Chriſtianae aerae anno Poſtumianus Alexandriam pervenerit, et quanto a Nitrienſium monachorum expulſione tempore? Iter Poſtumiani in Orientem, atque adeo Alexandriam, adſcribit Auctor menſibus vernis A. CCCCII. Non enim ut Pagius vult, qui ad A. CCCCI. haec refert, *Poſtumianus*, quae contra monachos Origeniſtas facta ſunt, ſuis oculis inſpexit, ſed iam habita Synodo, iam damnatis, iam inde pulſis hiſce monachis, Alexandriam pervenit. Exturbatio illa Origeniſtarum accidit A. CCCCI. quod a Severo confirmatur, qui paullo poſt monachorum expulſionem, Poſtumianum in Aegyptum, tumultus et diſſenſionum plenam, perveniſſe ſcribit. Quare cito abiit, Bethlehem petiit, ibi ſex menſes commoratus eſt, tandemque turbis utcumque ſedatis initio A. CCCCIII. Alexandriam rediit, et inde ad Aegypti extrema contendit. Errat enim Vallarſius, qui Origeniſtas monachos pulſos ſtatuit a Theophilo iam ab A. CCCC. Eo enim anno tradit eſſe ab illo ſcriptam, quae tamen exactis monachis ſcripta fuit, epiſtolam, quam ſynodicam dicit. Deinde Auctor ſuam de tempore monachorum expulſorum ſententiam, ex epiſtolis Theophili Paſchalibus, quarum tempus ex cyclo paſchali certo conſtat, proponit. Iam cum prima earum initio A. CCCCI. altera initio ſequentis anni ſcripta ſit; et haec res geſtas A. CCCCI. illa hiſtoriam A. CCCC.

Digitized by Google

CCCC. reſpicere debeat: prima quidem acerrime in Origenem illiusque familiam invehitur, neque tamen eos palam nominat, et eſſe adhuc in Aegypto catholicam fidem praeferentes indicat. Unde apparet, iam A. CCCC. Theophilum in Origeniſtas inſurrexiſſe; ſed in monachos Nitrienſes nihil ad eam diem fuiſſe conſtitutum. Quod cum denique fine A. CCCCI. factum eſſet, in Paſchali epiſt. ſequentis anni rem non ſilentio praeteriit. Synodicam vero epiſtolam, ineunte Novembre, vixdum fugatis monachis, ſcriptam eſſe Auctor exiſtimat. Nam quoniam miſſa dicitur Palaeſtinis epiſcopis, qui in Aeliae encaeniis congregati ſunt; et in inſcriptione ep. ſynodicae, qua Palaeſtini Theophilo reſpondent, legitur, epiſcopi, qui Ieroſolymis in ſancta encaeniorum die reperti ſunt; encaeniorum porro initium idibus Septembris erat: res facile diiudicari poteſt. Deinde ea potiſſimum de cauſa haec epiſtole ſcripta eſt, ne monachi, qui e Nitriae monte depulſi Aeliam confugerant, reciperentur. Qua in re illum ſumma celeritate uſum fuiſſe inde apparet, quoniam epiſtola Theophili, monachos licet praegreſſos antevertit. Non multo igitur ante Septembrem Theophilus Nitriam contendit, militari manu inſtructus, et inde, quod menſe Auguſto A. CCCCI. fieri potuit, monachos expulit. Ab exactis ideo primum monachis, ad adventum Poſtumiani in Aegyptum, ſex circiter menſes interceſſerunt. Alterum diſſertationis caput expendit, an Theophili generalis epiſtola eadem ſit ac ſynodica, quam a ſe Hieronymus in latinum converſam ſcribit. Quae Auctor proponit de epiſtola, haec ſunt. Non ſcripta fuit ex ſynodo Alexandrina, cuius mentionem facit Proſper; non ex alia aliqua Alexandrina ſynodo prodiit; non ſynodica eſt appellanda, quoniam in ea Theophilus de ſe peculiariter loquitur, nec ei ſcribenti quenquam epiſcoporum adfuiſſe, et ſcripta ſua confirmaſſe ſubſcriptione, conſtat. Theophili epiſtola, a Vallarſio nuper edita, alia omnino eſt ab ea ſynodica, quam a ſe Hieronymus ex graeco converſam tradit; non ſynodica, ſed

 ency-

encyclica, ſeu generalis haec epiſtola eſt dicenda, non ad omnes ubique gentium Chriſtianos miſſa, ſed ad epiſcopos tantum Palaeſtinos et Cyprios. Tertium diſſertationis caput, et ultimum, totam Origeniſtarum, cum in Oriente, tum in Occidente damnatorum hiſtoriam proponit; monumenta huc ſpectantia, praecipue quae Hieronymus hac occaſione vel ipſe ſcripſit, vel ex graeco in latinum ſermonem transtulit, ad ſuum quaeque ordinem revocat, et ſumma totius controverſiae capita in ſeriem chronologicam diſponit. Has diſſertationes ſequuntur obſervationes in Sulpicium Severum, in quibus illud ſibi Auctor propoſuiſſe videtur, ut ſicut in notis textui ſubiectis verba, ſic in his res illuſtraret et facta. In his pag. 318. obſervatur, Deſiderium hunc eſſe eundem, ad quem Paullinus Nolanus A. CCCCVI. epiſtolam ſcripſit; eſſe presbyterum illum Gallum, qui cum Ripario Hieronymum excitavit, ut adverſus Vigilantium ſcriberet; eſſe illum ad quem Hieronymus A. CCCXCIII. epiſtolam dedit. Pagina 370. diſputatur de oppido Sabaria, illudque hodierno nomine et ſitu Sárvár eſſe docetur. Pag. 322. exponitur, quid ſit ſcholaris militia, et ſcholares alae. Erat nimirum tum temporis militia armata, erat militia palatina, eorum qui intra palatium Imperatoris morabantur, non quod veri milites eſſent, ſed quod, quicunque in aula principis erant, palatio militare dicebantur; erat denique militia reliquorum omnium, qui iudicibus et magiſtratibus apparebant, qualis militia Proconſularis et Praefectiana dicebatur. In palatina militia erant qui ſpeciem habebant armatae militiae, veluti domeſtici et Protectores, veluti militia ſcholaris, ſive ſcholae, quae ſuos Tribunos habebant, et Magiſtro Officiorum erant ſubiectae; in quibus fuere et ſcholae ſcutariorum et clibanariorum, quae cum peditum, tum equitum erant. Ampla accipiebant ſtipendia, ſplendide et honorifice habebantur, militari dignitati aequiparandae. Pag. 324. docetur, monaſterium proprie unius eremitae, ſive monachi ſecretum indicare. Pag. 328. agitur de inſula

Galli-

Digitized by Google

Gallinaria: p. 334. de formulis acclamationum, quibus populus ſibi aliquem depoſcebat epiſcopum. Pag. 344. per pateram, quam regi miniſter obtulit, illud poculi genus A. intelligit, quo philoteſiae in conviviis propinabantur: pag. 343. exponit, cur caeteris omnibus in convivio accumbentibus in ſtibadio, Martinus ſolus ſellula uſus ſit. quod propterea factum exiſtimat, quoniam Martinus, licet epiſcopus, monachum egit, et ab omni deliciarum genere alienus illum accubitum contemſit, quem voluptas et luxus protulerunt. Pag. 331. aggreditur refutare Vorſtium, qui Catechumenos ſcribit, quamvis inſtitutos iam et credentes, nec regeneratos eſſe, nec ſalvari poſſe, Patres putaſſe. Illud concedit Prato, hoc negat. Pag. 346. vita et hiſtoria Clari: pag. 355. Poſtumiani et Galli, explicatur. Pag. 364. eſt longa diſputatio de byrrho; et pag. 380. de verbo exſufflare. Aliquoties Romanae eccleſiae dogmata Auctor defendit: ut pag. 331. purgatorium, et pag. 351 venerationem crucis. Sequitur Appendix duplex. Prima exhibet ineditam antea epigrammatum collectionem, in Baſilica potiſſimum Martini Turonis olim inſcriptorum. Invenit illam in uno ex codicibus, quibus ad emendandum Severum uſus eſt, nimirum in Bivilaquio, illamque notis illuſtravit. Verſus ſunt admodum mendoſi, hiantes, et codicum bonorum opem efflagitant. Altera appendix proponit et expendit variantes aliquot vitae S. Paulli, primi, ut dicitur, eremitae, ex capitulari codice depromtas lectiones. Tandem ad calcem huius Tomi adiecta eſt epiſtola Pratonis, de nova hac Sulpicii Severi editione, ad Muſellium, Veronenſis Eccleſiae Canonicum Archipresbyterum, ſcripta.

Haec de primo huius editionis Tomo dicta ſunto, in quo recenſendo ideo longioris fuimus, quoniam librum, qui ſero ad nos pervenit, ſerius etiam ad alios perventurum eſſe exiſtimamus, quibus interim et voluptatem et moleſtiam ex eo capiendam invidere noluimus. Reſtat adhuc, ut, quoniam ſupra quaedam aliis eſſe ſub-

repta

repta poſuimus, illud lectoribus ob oculos ponamus. Ad Dial. III. cap. 11. Arborium virum praefectorium dici iam Giſelinus notaverat: verſus Paullini, Moeſtorum pallens etc. pag. 129. eſt in Horn. edit. laudatus: quem ad Dial. II. cap. 8. ex Gregorio Turon. locum laudat, produxit iam Iuretus; et emendationes, quas in lectione loci illius facit, iam factae ſunt eodem loco: pag. 113. verſus, Incola quem vicum etc. eſt in Horn. edit. adſcriptus. Pag. 108. iam antea Giſelinus docuit, curiam principis dici comitatum, iamque locum Sulpicii produxit; ut et ad illa, ad animum immitem; locum Marcellini attulerat iam antea. In epiſt. ad Baſſ. pag. 30. init. locum iam laudaverat Giſelinus. Pag. 31. locus de caricis; et pag. 71. locus Hieronymi de ſcholaſtico, legitur etiam in Horn. edit. Pag. 318. Deſiderium videri presbyterum Gallum etc. iisdem prope verbis ex nota Baronii in Horn. edit. deſcripta ſunt. Pag. 369. illam interpretationem formulae, Celtice aut ſi mavis Gallice loquere, iam Hornius ex maxima parte viderat. Verum non eſt otium, iterum hac de cauſa hunc Tomum evolvendi, ut plura exempla inveniamus. Neque nos, qui bene merentium laudes rem publicam facimus alias, et levia vitia lubenter condonamus maioribus virtutibus, monuiſſemus haec, niſi Hornium huius criminis reum poſtularet perpetuo, ſaepe etiam iniuria, Auctor, ut p. 325. ſcribit, illum auctoritatibus ex Iureto compilatis docere voluiſſe, baptizatos olim albatos fuiſſe. Non compilavit Hornius Iuretum. Adpoſuit potius in editione ſua, (utimur vero nos tertia,) Iureti nomen. Sed de his ſatis. Proxime dicemus de altero Tomo.

DIPLOMATARIA ET SCRIPTORES HISTORIAE Germanicae medii aevi, cum Sigillis aeri inciſis, opera et ſtudio CHRISTIANI SCHOETTGENII, Rect. Scholae ad d. Crucis Dreſd. et M. GEORGII CHRISTOPHORI KREYSIGII. Accedit praefatio CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI, D. Conſil. Aul. Duc. Sax.

Sax. Iur. Publ. Feud. et Hiſt. Prof. Facult. Iuridicae Senioris in Academia Ienenſi, de damnis detrimentiſque Archivorum quorundam Germaniae.

TOMUS I.

Altenburgi, typis et ſumtu Richteri, 1753. Alph. 4. plag. 13. tab. aen. 6. fol.

Si, auctore prudentiſſimo ſcriptore, non ii modo de republica bene merentur, qui ſcribenda faciunt, ſed ii quoque, qui facta ſcribunt, noſtra laude noſtroque amore digni ſunt, dolendum eſt profecto, morte praematura extincta eſſe egregia ingenia *Schoettgenii* et *Kreyſigii*, quorum omnis induſtria in eo verſabatur, ut antiquitates patriae e tenebris eruerent, erutasque clariſſima in luce collocarent. Vix enim collectio haec Scriptorum rerum Germanicarum et Diplomatariorum animos ſpesque noſtras excitaverat, primus cum Schoetgenius diem ſuum obiret, nec multo poſt Kreyſigius, amicum, et in hiſce laboribus ſocium, ſequeretur, ambo vero triſte ſui deſiderium relinquerent. Nos interim, quae a viris his doctis ad illuſtrandam Germaniae hiſtoriam collecta fuerunt, grata manu accipiamus, eorumque memoriam et exemplum commendemus. Hoc primo Tomo, cui nitor typorum et chartarum non exiguum ſplendorem affert, (quae laus propria quaſi eſt libris iis omnibus, qui prodeunt e Richteri officina,) octo continentur opuſcula. I. *Collectio nova Traditionum Fuldenſium.* Incipit hic libellus, latine ſcriptus, ab Anno DCCLIX. nec pauca, ad hiſtoriam medii aevi pertinentia, continet. Habentur iam quaedam ex eo in *Schannati* Collectione, verum ux mendoſo codice deſcripta; quare ea Schoetgenius ex correctiore emendavit. II. *Chronicon breve ab Anno MLXXXIII. ad A. MCCCIX.* Eſt perbreve hoc opuſculum, e codice antiquo decerptum, latino ſermone

ſcriptum, quod, etſi unius tantum plagulae ſpatium occupat, ſingularia tamen quaedam, nec ubivis obvia, continet. III. *Vrbarium S. Laurentii in Murtztal Stiriae ſuperioris.* Traduntur hoc libro latino traditiones dictae eccleſiae ab A. MCCXXII. ad A. MCCCCLXI. factae, quae geographiae et genealogiis nobilium praecipue inſerviunt. De nomine Auctoris, et conſilio, ex praefatiuncula iudicari poteſt, ubi legitur: *Anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo quarto, ego, Iohannes Roetel, Decretorum Doctor, Plebanus dicte eccleſie ſancti Laurentii, conſiderans, quod ex antiquis libris urbarii reddituum predictorum quis ſe non poſſet utiliter expedire, ſeu informare de eisdem; idcirco predicto anno, mei regiminis nono, ex omnibus antiquis libris et regiſtris per me collegi iura, cenſus, redditus, et decimas infra ſcriptas, et praeſens novum Vrbarium meis expenſis ſcribi feci* etc. IV. *Chronicon Thuringicum.* Eſt liber Auctore ignoto germanica lingua conſcriptus, et ab ingreſſu huius nationis incipiens in A. MCCCCIX. deſinit. Kreyſigius, etſi iam plurima huius Provinciae chronica typis vulgata ſint, hoc tamen ob ſingularia, ob antiquitatem et verba obſoleta, dignum publica luce cenſuit. V. *Narratio brevis de translatione Sanctae Eliſabethae,* ex codice manu exarato. VI. *Pauli Iovii Chronicon Schwartzburgicum,* germanice ſcriptum. Totum opus, ſatis longum et copioſum, capitibus 209. abſolvitur, et in partes ſeptem eſt deſcriptum, quarum 1) Comitum Schwartzburgicorum originem proponit, eosque, qui ante A. MCVI. vixerunt, deſcribit: 2) ad A. MCCCXIII. pergit: 3) ad A. MCCCCLII: 4) ad A. MDLXIV: 5) ad A. MDLXXXIII: 6) ad A. MDCV: 7) ad A. MDCXXX. pertinet. Iure ridet Kreyſigius eos, qui Epiſcopum Nucerinum ex Italia huius Chronici auctorem dicunt, cum tamen verus eius Auctor fuerit *Goetze,* Rector ſcholae oppidi Schwartzburgici, *Ebeleben.* Habendum praeterea cenſet hoc Chronicon omni fide dignum, atque ſummopere utile pronuntiat. Nam Auctor

et

Digitized by Google

et archiva, Arnſtadenſe, Sondershuſanum, Rudolſtadenſe, et Comitum de Gleichen, excuſſit, uſusque praetera eſt libellis chronicis ineditis, ſcriptoribus variis medii aevi, et omni hiſtoriae Thuringicae et Germanicae lucem affundit. VII. *Diplomata XXIII. Comitum de Gleichen, et de rebus Gleichenſibus ab A. MCCXII. ad A. MDCCXIV.* a Schoetgenio collecta. VIII. *Hiſtoria Monaſterii Volcolderodenſis diplomatica.* Conſignavit iam Albertus quidam Coeberling huius monaſterii notitiam; atque etiam Fridericus Rudolphi, in *Gotha diplomatica*, nonnulla huc ſpectantia protulit: ſed non ſatisfecerunt haec Schoetgenio, qui diplomatum ab A. MCXXXIX. omnium, quae de hoc monaſterio forſan ſupereſſe poſſunt, auctoritate munitus, hiſtoriam monaſterii compoſuit, et pluribus exornavit ſigillis. Toti huic primo Tomo non parvum ornamentum et decus addit Ill. Buderi docta paaefatio, de praecipuorum Germaniae Archivorum detrimentis. Fuit prae aliis Archivum regum imperatorumque noſtrorum, inde a primis regni Francici initiis, multis damnis expoſitum. Huc referas incendia Palatiorum, quorum in capellis diplomata aſſervabantur; frequentes commigrationes regum ex alio Palatio aut Caſtro in aliud, eo tempore, quo Germani reges ſuos ex diverſis familiis elegerunt; expeditiones ultra Alpes, Italicas et Romanas, praecipue vero cruciatas. Notum eſt, a Maximiliano I. tria conſtituta fuiſſe Archiva; Caeſareum in aula, Imperiale Moguntinum, et Iudicii Cameralis. At Moguntinum magna chartarum egeſtate et penuria laborat, id quod Conringius maiorum negligentiae tribuit, Boeclerus vero Suecis, in bello tricennali magnam Archivi partem inter Germanica ſpolia abducentibus. Quod in ſede Imperatoris eſt Archivum, tum praeſertim, cum Carolus V. ſe imperio abdicaret, multum detrimenti cepit. Magnam vim Actorum ab A. MDXXX. ad MDLVI. Anton. Perenot Granvella ſecum habuit, quae, illo Veſontione extincto, ma-

Digitized by Google

xima ex parte fuerunt ab indoctis heredibus diſſipata. Archivum denique Camerae Imperialis, incendio Urbis Spirenſis, et vaſtatione, prope totum vel in cineres redactum, vel abductum et diſperſum eſt. Neque aliud fatum contigit Pontificum Romanorum et Curiae Romanae Archivis, in expugnata a Carolo V. Roma; Archivo Holſatico; Archivo Comitum Sulzenſium; civitatis Gelnhuſae; veterisque urbis Magdeburgenſis. Atque haec eſt Primi Tomi Scriptorum, a duumviris doctiſſimis editorum, ratio. Dicemus de altero, qui etiam eſt in manibus noſtris, propediem.

GERHARDI DE HAAS SPECIMEN CRITICUM in loca quaedam Evangeliſtica.

Trai. ad Rhenum apud Gisbert. Tim. a Paddenburg et Abraham. a Paddenburg, 1758. Plag. 13. 8vo.

Continet hic libellus ſex, totidem in loca Evangeliſtica, auctoris obſervationes, e quibus prima pertinet ad Matthaei Caput XIX. verſ. 24. coll. verſ. 26. ubi Chriſtus dicit: *εὐκοπώτερον ἐϛι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, ἢ πλȣ́σιον εἰς τὴν βασιλείαν τȣ̃ Θεȣ̃ εἰσελθεῖν.* Laborat Auctor in tollenda duplici huius loci difficultate, quarum una in eo eſt, quod Camelus cum acu componitur; altera autem, quae eruditos exercuit difficultas, eſt triſte illud Chriſti effatum, de regno coelorum divitibus clauſo. Videbimus iam nos ea, quae Auctor noſter ad faciliorem huius dicti ſenſum attulit,
Pag. 4 ſqq. ſecundum ordinem ab eo ſervatum. Primo itaque loco aliorum opiniones enarrat, qui de hoc loco interpretando laborarunt: ſingulas tamen ille non exponit, alias enim omnis eius libellus huic uni loco non ſufficiens fuiſſet; refert tamen, nonnullos per *κάμηλον* intelligere

Digitized by Google

telligere camelum, gibboſum illud animal, alios autem funem nauticum. Subiungit his eos, qui per voces τρύπημα ῥαφίδος portam quandam Hieroſolymitanam indicari putant, antiquis ita dictam. Quorum cum aliis ſententiam ille prolixius expoſitam ait apud *Polum* in Synopſi, et *Wolfium* in curis. Allegoricam deinde Patrum hunc locum interpretandi rationem profert, dum per Camelum Gentiles, per divites autem Iudaeos intelligunt: quam interpretationem multis difficultatibus obnoxiam eſſe putat Auctor. Marco enim Cap. X, 24. ii, quos Matthaeus πλουσίους vocat, dicuntur οἱ χρήματα ἔχοντες; unde apparet, proprie accipiendam eſſe vocem πλουσίους: cum interrogatione insuper diſcipulorum non certe convenit haec interpretatio verſ. 25: τίς ἄρα δύναται σωθῆναι. Si enim per Camelum Iudaeos Chriſtus intellexiſſet, haec Chriſti reſponſio diſcipulorum animos magis gaudio, quam moerore, afficere debuiſſet. Sequitur Theophylacti ſententia, qua, aliisque huc ſpectantibus, expoſitis, accingit ſe Auctor ad proferendam ſuam: antea vero adhuc quasdam, quae ad voces huius dicti pertinent, obſervationes praemittit. Sic explicat vocem κάμηλος, quam a plerisque ex Hebraeo גמל deduci obſervat; ipſe autem originem eius vocis in Graecis potius quaerit, et ab antiquo verbo καμέω ortam putat, cuius primaria ſignificatio ipſi eſt *flecto, inflecto, curvo,* ſecundaria autem *laboro, labores exantlo,* quaſi *flexis genibus oneri ſuccumbo.* quae ſecundaria ſignificatio ipſi quam maxime arridet, quia privum id Camelo eſſe dicitur, quod flexis poplitibus oneri ſubeundo ſe quaſi accommodet: ηλος autem putat vulgarem eſſe nominum a verbis in έω deductorum terminationem, ut a ζέω eſt ζῆλος etc. Enarrat quoque alias voces, quae ipſi a καμίω, quod idem ſignificare vult ac καμέω, ortae videntur; cuius primitivam vim eſſe putat *flectere, curvare,* unde κάμιλος funis nauticus, qui conſtat ex pilis

Pag. 6.
pag. 8. 9.
pag. 11.
pag. 17.
pag. 18.
pag. 20.
pag. 21.
pag. 22.
pag. 23.

Pag. 24. lis tortis flexisque, vel quia curvari, atque circumvolvi
poteſt; porro *κάμαξ* pedamen vitis, latinorumque *ca-*
pag. 26. *murus*, aliaque, ipſi ab hoc *καμίω* deſcendunt. Poſthaec
pag. 27. vox *ῥαφὶς* illuſtratur, quam Lexicographi male a voce
ῥάπτω deducunt, eſt enim a *ῥάφω*, quod ſignificat *conſuo*.
Quibus praemiſſis, ſequitur tandem paraphraſis huius dicti,
quod ex Auctoris ſententia ita eſt interpretandum: *Divi-*
tes aeternae ſalutis participes fient nunquam, eorumque in
regnum coelorum introitus pleniſſimo ſenſu eſt impoſſibilis, ita
ut camelus, vaſtiſſimum illud animal, facilius tranſeat per fo-
ramen acus, ſive inſtrumenti illius, quo veſtes conſuuntur,
quam dives in regnum coelorum ingrediatur. Reſpondet
deinde noſter eorum obiectioni, qui ex dicto Chriſti ſic ex-
poſito, Abrahamum, Ioſephum de Arimathaea, multos-
que alios, ex beatorum numero excludi arbitrantur; nam
pag. 28. Chriſto hoc in loco ſermonem de iis tantum divitibus
eſſe oſtendit, qui nimio divitiarum amore ducuntur: *πλού-*
σιον enim vocabulis, quae Graecis *μέσα* audiant, adnu-
merandum eſſe. Ita Luc. XXI, 1. medio ſenſu; Matth.
XXVII, 57. autem bono occurrere; apud Iacobum con-
tra cap. I. verſ. 11. et cap. II. verſ. 6. malo ſenſu acci-
piendum eſſe. Vere autem vocem *πλούσιος* Chriſtum ma-
lam in partem accipere, docet ex loco Marci ſupra lau-
dato, ubi Evangeliſta eos, qui Matthaeo hoc loco *πλούσιοι*
ſunt, *πεποιθότες ἐπὶ τοῖς χρήμασιν* appellat. Pergit Auctor
ad explicanda verba dictum noſtrum antecedentia, quae
ſunt: *δυσκόλως πλούσιος εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν*
pag. 34. *τῶν οὐρανῶν*, atque oſtendit, apud Graecos rationes illas lo-
quendi *δύσκολον, οὐ ῥᾴδιον, ἀργαλέον ἐστίν*, pariter ac La-
tinorum *difficile eſt, haut facile eſt*, non rei difficultatem,
ſed abſolutam *ἀδυναμίαν* ſignificare. Eam in rem adducit
pag. 35. locum Homeri Odyſſ. *δ*. verſ. 397:

Ἀργαλέος

Ἀργαλέος γάρ τ' ἐςι Θεὸς βροτῷ ἀνδρὶ δαμῆναι:

Quippe domare Deum, mortalibus ardua res eſt.

Sed neque illorum obiectionem ſilentio plane tranſiit, qui huic interpretationi opponunt, non patere cauſſam ullam, quae Chriſtum impulerit, ut hoc in loco tanta emphaſi eos, qui divitiis dediti ſint, a regno coelorum excluderet; cum et alii homines, ſibimet relicti, ſimiliter aeterna ſalute deſtituantur. Chriſtus autem ſecundum noſtri ſententiam cauſſam omnino habuit longe graviſſimam: volebat enim diſcipulos ſuos, ſingulares huius iuvenis virtutes admirantes, ἐνεργητικῶς docere, iuvenem hunc, tam ſpecioſo virtutum cumulo inſtructum, tam longe a coelo abeſſe, ut vel camelus, animal, facilius per foramen acus tranſeat, quam talis dives in coelum ingrediatur. Multa quoque apud Claſſicos auctores leguntur teſtimonia, quae probant, longe maximam vim habere divitias in animos hominum; e quibus nonnulla noſter protulit. Iam deinceps eos vehementer labi oſtendit, qui ex hoc Matthaei dicto, ſic expoſito, colligere volunt, ita ſequi, Deum etiam efficere poſſe, ut camelus per foramen acus transeat. Antea multorum, hac in difficultate tollenda, conatus praemittit, quam dein cum Lectore eam, quae ipſi maxime probetur, rationem communicet. Vult autem noſter, reſponſionem Chriſti, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δύνατά ἐςι, non pertinere ad πλέσιον et κάμηλον, ſed ad quaeſtionem diſcipulorum, cum ſcilicet ita cogitarent: ſi hic iuvenis, tam ſplendidis virtutibus praeditus, ne ſalvari quidem poteſt, τίς ἄρα δύναται σωθῆναι. Salvator itaque ait, apud homines hoc quidem difficile, ſed Deo omnia poſſibilia eſſe. Vides, Lector, ex his, quae ex hoc libello

Pag. 36.
Pag. 37.
p. 39 - 45.
p. 46 - 62.
p. 62.

bello excerpſimus, multa bona ineſſe huic ſpecimini; ſed plurima, iam antea ab aliis dicta; quibus accedit nimia in exponendis rebus ſermonis ubertas: quae enim aliis dicta vix unam pagellam implent, noſtro quatuor vel quinque integris paginis fere dicuntur. Reliqua quinque, quae noſter illuſtravit Evangeliſtarum loca, ſunt apud Matthaeum XXIII, 15. apud Marcum X, 21. et XI, 13, apud Lucam III, 36. tandemque apud Iohannem XVI, 26. In quibus ſingulis Auctori plane eadem obſervatur ratio, quam in primo loco ab eo obſervatam diximus. Invenies in reliquis etiam pauca nova, multa bona, omnia nimiis verborum ambagibus circumſcripta. Certe Cameli, quae noſtro placet, e Graecis derivatio, etſi luculentum divitis ingenii teſtimonium eſt, ut multis tamen probetur magnopere veremur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Iulii Anno MDCCLIX.

CATALOGUE RAISONNE DES TABLEAUX DU Roy, avec un Abrégé de la Vie des Peintres, etc.

i. e.

ENARRATIO CRITICA TABULARUM, QUAE IN Regis Gallorum adſervantur Muſeo, cum brevi Pictorum vita: Edita iuſſu Regis Chriſtianiſſimi. TOMUS I. qui Scholam Florentinam et Romanam continet. Opera Dom. LEPICIE, Secretarii perpetui et Hiſtoriographi Academiae Pictorum et Sculptorum Pariſinae, rel.

Lutetiae Pariſiorum, e Typogr. regia: 1752. Alph. 1. plag. 4. et dimid. quaternis.

Denuo laudandi picturam, hoc indicando opere, nobis oblata occaſio eſt, quam eo libentius arripuimus, quo magis ſperamus, neque hanc plane inutilem fore opellam noſtram. Semper ad hominum formandos mores in primis idoneos eſſe putavimus utriusque linguae poetas, qui omne vel acerrimi iudicii grammaticorum tulere punctum. neque noſtrae ſententiae, ipſorum ea in re expertos vim ac potentiam, adhuc quidem nos poenitet. Quis enim unquam exempla virtutum ac vitiorum, quae plus efficiunt in animis hominum, quam de moribus doctrina continua, ſyſtema dicunt, quamvis ea diligens ſit,

 atque

atque erudita, maiore vi ac contentione tradidit quam illi? In deſcribendis virtutibus, quas amabiles redderent, vitiis, quae deteſtabilia, omne ingenium ac doctrinam veluti exhauſiſſe videntur. Nemo denique, niſi qui triplex aes circa praecordia habeat, illi divinae poëtarum phraſi, quae quaſi torrens erumpit, omniaque ſibi adverſa ſubigit, reſiſtere poteſt. quot illorum, ſi quidem recte iudicamus, legeris, tot omnino Θεοφράστους putes. Etſi autem poëtice plurimis in rebus ἀντίστροφος picturae exiſtit, quemadmodum Ariſtoteli, ut notum, Dialecticae Rhetorica: picturam tamen, fremat licet omnis canentium turba, illi longe praeferendam eſſe ducimus.

Utram artem velis diſcere, ac deinde exercere feliciter, divinum habeas ingenium, oportet, quod quaſi ſidere quodam propitio afflatum ſit, atque perpetuo foveatur: nil dicas faciasve, ut cum Horatio loquamur, invita Minerva:

Ἐκ γὰρ Μουσάων καὶ ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος
Ἄνδρες ἀοιδοὶ ἔασσιν ἐπὶ χθόνα, καὶ κιθαρισταί.

Sed fruſtra tibi vel optimum ingenium natura conceſſiſſe videtur, ſi careas diſciplina atque inſtititione recta. Sic enim laſciviens ingenium, et ubivis quaſi locorum prorumpens, protrudet nil niſi inepta, inſolita, quamvis ſaepe ſpecioſa, quae nullo prorſus pacto cum rerum conveniant natura. Subactum igitur eſſe debet ingenium tale multifaria doctrina atque ſcientia: cognoſcendi ſunt hominum mores atque inſtituta: indaganda eſt rerum natura: non ignarus ſis hiſtoriae veteris aeque ac novae: atque inprimis picturae ſi dederis operam, bene ſis imbutus mathematices ſcientia omnis, oportet.

At in his artibus plurimum valent exempla, eaque, ſi haberi poſſint, perfectiſſima, non ſolum ad poëtarum opera et tabulas pictorum intelligendas atque cognoſcendas, ſed etiam, ſi ad imitandum, aut adeo, quantum ingenii vires ſinant, aemulandum illa propoſueris, tibi maxime ad facultatem has exercendi artes conſequendam opi-

tulatu-

tulatura. Namque emortua fere, ac tenebris perfuſa videntur de his artibus decreta et praecepta inprimis, niſi exemplis reviviſcant, atque illuminentur idoneis: imo docile ingenium atque alacre, etiamſi deſtituatur diſciplina, dummodo exempla diligenter contempletur praeſtantiſſima, deinde periculum faciat usque, an quoque ſimilia poſſit proferre, et tantum in his artibus ſe profeciſſe putet, quanto magis ad illorum ſimilitudinem accedat: tale, aimus, ingenium, quanto quanto impediatur labore, tamen ad faſtigium iſtarum artium tandem emergere poſſe videtur. E contrario autem nullus unquam factus, aut poëta aut pictor, inſtitutione ſola, niſi adiutus exemplis.

Sed quae tibi exempla proponas, nunc merito quaeſtio eſt. Non audiendi ſane ſunt, qui nobis iſtam, ſi picturae quidem exempla quaerimus, ludicram veluti naturae picturam nobis commodent, qualis in lapidibus, herbis, ac floribus, admodum invenitur paucis, ubi picturae quidem nonnulla praebetur ſpecies, ſed adeo ſaepe imperfectae, ut minime auctoritatem exempli ſuſtinere queat. Quodſi tibi exemplum non omnibus abſolutum numeris imitandum ſumas, quale ἔκτυπον ſperabis fore? ut in praeſentia omittamus, admodum paucos reperiri tales naturae luſus, ita ut ſaepenumero plane deſtitui te exemplis neceſſe ſit. Omnem, qua pulcra ſit, tibi imitandam proponas naturam; haec largiter tibi ſubminiſtrabit exempla, ad quorum ſimilitudinem quo propius opera tua acceſſerint, hoc perfectiora artis tuae documenta futura ſunt. Antiquiſſimos quoque naturae pulcerrima imitatione expreſſiſſe pictores, unum *Iſocratem*, quem propter graviſſimas aeque ac dulciſſimas ſententias inprimis diligimus, teſtem adducemus, qui λόγῳ παραινετικῷ: αἰσχρὸν γὰρ, inquit, τοὺς μὲν γραφεῖς ἀπεικάζειν τὰ καλὰ τῶν ζώων· τοὺς δὲ παῖδας μὴ μιμεῖσθαι τοὺς σπουδαίους. (Quo in loco, per ζώων vocabulum, non ſolum bruta animalia intelligenda arbitramur, ſed omnia quaecunque vitam habeant, homines etiam; aut certe habere videantur, ut arbores, et id genus multa alia.

Digitized by Google

quod admonere vulgus interpretum debet, ne pergant τὰ καλὰ τῶν ζώων vertere *animantes pulcras*, pueriliter prorſus.) Quae autem hic de natura praecepimus imitanda, pictoribus et poëtis dicta ſunto. Praeterea et excellentium in utraque arte artificum ſibi proponant exempla, qualia inter poëtas Homerus ſunt atque Virgilius, quicquid etiam contra dicant recentes iſti thyrſigeri, qui illis palmam praeripere improbe audent, quam certo conſequerentur, quo iure quave iniuria; placent enim ſuis, ipſique impudentes ſunt ſatis; niſi ruditas ingenii, et, quas pepererint bullae ventoſae, obſtarent iſtis.

Tanta autem felicitate, picturae qui navant operam, uti nequeunt, ut Apellis, Zeuxidis, ac Parrhaſii tabulas adſpicere, ne dicamus ſibi imitandas proponere poſſint; non enim per ſuam conditionem, iuxta ac temporis iniquitatem, ſuperſtites adhuc ipſis eſſe licuit. Sed hoc dolendum quidem eſt, non autem deſperandum plane. Reſtiterunt enim tantae iniuriae temporis, rem laetam narramus, niſi hominum incuria, inepta religio, aut avaritia nefanda, obfuerit ipſis, antiquorum alia ſuo ingenio opera, quae picturis affinia ſunt. Relictae quippe nobis ſunt veluti ex naufragio in gemmis affabre ſculptae imagines, ſigna et ſtatuae ex aere aut marmore, et numi ſignati ex auro, argento, aere; imo, niſi antiquiſſimas tabulas reſpicias, veteres adhuc habemus picturas bonae omnino notae, nuper admodum in Herculano inventas. Sed, inquies, mera contraria, haec ſunt; quomodo haec cohaerent, antiqua tu illa exempla commendas, naturam quoque, cum tamen conſtet inter omnes, veteres multa contra naturam finxiſſe.

— — *Pictoribus atque poëtis*

Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

Erras, quod pace tua dixerimus: nihil antiqui praeter naturae rationem finxerunt. Nereides tamen opponis,

— — — *ut turpiter atrum*

Deſinit in piſcem, mulier formoſa ſuperne.

(Sic enim ibi legendum eſſe, non *deſinat*, quemadmodum plane

plane contra Flacci ſententiam vulgo editur, iam alio in loco oſtendimus pluribus.) Sed magnam omnino differentiam intercedere putamus inter ea, quae praeter naturae rationem excogitata ſint, atque ea, quae in hoc rerum univerſo non appareant. Nereides quidem an adhuc exſtiterint, neſcimus; id tamen certo credimus, ſi quando aliquae exſtiturae ſint, non alia futuras eſſe forma, quam qua a veteribus deſcriptae ſunt. Si quis autem ad Nereidum faciem, ut ſibi quidem perſuadeat,

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere ſi velit, et varias inducere plumas,
Vndique collatis membris — —

is nullo pacto naturae leges ſervare videtur, prorſus ſibi adverſa iungere, quae nulla ratione velut conſpirare poſſint in unum.

Te offendet porro, ſi quid omnino divinamus, quod nos dixerimus antiquiſſima Graecorum ac Latinorum nobis ad imitandum proponenda eſſe exempla. Ne latum unguem quidem propterea a noſtra decedimus ſententia. Vera enim profitemur, quamvis ſint tibi moleſta: nos aeque reprehendemus in noſtris, atque *Horatius* in ſuis, ſi qui inter illos glorientur:

Venimus ad ſummum fortunae, pingimus atque
Pſallimus, et luctamur Achivis doctius unctis.

Falſimur; atque; quod plus eſt, nec pedem ulterius proferemus in artibus ullum, ſi tam magnifice Thraſonis more de nobis ſentiamus ipſi. Quoniam nos bene valere opinamur, cum aegrotemus tamen, omnem medicinam, quamvis nobis ſalubrem, recuſamus, de noſtra ſalute actum eſt, ilicet. Sed ne invidia id dixiſſe videamur, quamquam nec huius in nos cadit ſuſpicio, cum et ipſi aliquid eſſe velimus: tamen, quae affirmavimus, luculento tibi lubet adprobare exemplo. Celebrabatur olim apud Italos maximi ingenii ac doctrinae ſculptor, qui pictura atque architectura non pollebat minus. Michaëlem Angelum Bonarotam narramus. Is aliquando, eodem conſilio, quo nos haec

adducimus, Lunenſi, ut quidem ferunt, ex marmore dormientem ſculpſit Cupidinem, tanta arte ingeniique ac manus dexteritate, ut nihil amplius addi poſſe videretur, quamdiu ſolus ſpectaretur; ſed ſimul ac eius rei intelligentes eundem comparabant cum exemplo, quod ſibi Angelus imitandum propoſuerat, antiquo, tantum apparuit diſcrimen, ut ipſe non erubeſceret fateri, ſe ſuperatum eſſe.

Atque in his fere conveniunt Poëtice ac Pictura: cauſas autem, quare palma huic decernenda ſit prae illa, nunc oſtendemus paucis. Una eſt, quod pictura propius ad rerum naturae accedit ſimilitudinem, et poëtice illius veluti imitatrix tantum eſt. Alia, quod picturae opera percipimus oculis, ideoque vehementius animos concitant hominum, quam poëtices, quae non niſi auribus. Tertia tandem eſt, quod poëmata ab iis tantum intelligi poſſunt, qui eius linguae ſunt gnari, qua facta ſunt: picturas vero et iis, qui plane nullam didicerint linguam, aliquo modo intelligendi poteſtas eſt.

Franciſcus igitur *primus*, Gallorum rex, qui magno ſuo merito reſtaurator celebratur litterarum apud Gallos, non ſatis pro merito laudari poteſt, quod ſcholam quaſi aperuit artificum, ubi etiam mores optime formarentur hominum. Coegit enim, vere regali ſumptu, ac elegantiſſimo iudicio, quae praeſtantiſſima haberi poſſent pictorum opera. Sed eorum numerum mirifice deinde adauxit Ludovicus, ut vere regium hunc appellare poſſis theſaurum. Epicius itaque, Vir doctiſſimus, qui eſt Pictorum Academiae Pariſinae a ſcribenda hiſtoria, nobis admodum iucundam, ſimul et litterato orbi, navavit operam, quod eas nobis tabulas enarraverit ſecundum patriam pictorum, cum addito iudicio, quid de illarum ſingulis ſentiendum ſit, atque pictorum vitam ſingulorum praemiſerit brevem ſuis enarrandis tabulis. Noſtrum non eſt decernere, recte iudicaverit Epicius de illis tabulis, nec ne; non enim ipſis eas ſpectare licuit nobis: tamen credendum iudicio Viri in his rebus exercitatiſſimi, qui iam antehac, princi-

pum

pum pictorum Chriſtianiſſimi regis vitas, magno doctorum hominum plauſu, edidit.

Tabulas iam enarrare ipſas, nimis hic eſſet longum. Igitur pictorum tantum hic dabimus nomina, ſimulque indicabimus annos, quibus nati ſunt, quod aequi bonique conſulent Lectores noſtri, quibus, e Libro ipſo cognoſcere reliqua, non credimus fore iniucundum.

Hac itaque prima Operis totius parte duae continentur, ſcholas dicunt pictorum, *Florentina* nempe, et *Romana*. Illius pictores hi ſunt: nomina vulgaria damus, ne, ſi latine a nobis proponantur, difficultatem cognoſcendorum nominum huic enarrationi noſtrae praepoſtero conſilio induxiſſe videamur. Sunt igitur:

1) *Léonard de Vinci*, natus 1443.
2) *Frére Barthelmi de S. Marc*, natus 1469.
3) *Michel Ange Buonarotti*, natus 1470.
4) *Baccio Bandinelli*, natus 1487.
5) *André del Sarte*, natus 1488.
6) *Iacques Pontorme*, natus 1493.
7) *Balthaſar Peruzzi*, natus 1500.
8) *François Salviati*, natus 1510.
9) *Batthieu Roſſelli*, natus 1578.

His Florentinae Scholae Pictoribus enarratis, ſequuntur qui *Romanam* Scholam, utemur enim artis vocabulo, arte ſua et ſtudio non illuſtrarunt modo, ſed etiam poſteritati commendarunt. Sunt hi:

1) *Pierre Perrugin*, natus 1446.
2) *André Mantègne*, natus 1451.
3) *Raphael*, natus 1483.
4) *Sébaſtien del Piombo*, natus 1485.
5) *Iules Romain*, natus 1492.
6) *Polydore de Caravage*, natus 1495.
7) *Perrin del Vague*, natus 1500.
8) *Le Parmeſan*, natus 1504.
9) *Le Chevalier Ioſepin*, natus 1570.

10) *Do-*

Digitized by Google

10) *Dominique Feti*, natus 1589.
11) *Michel Ange des Batailles*, natus 1602.
12) *Pietre de Cortone*, natus 1609.
13) *Romanelli*, natus 1617.
14) *Carle Maratte*, natus 1625.
15) *Ciro Ferri*, natus 1634.

Atque iſta ſunt, hoc quidem Primo Tomo, de Pictoribus *Epicii* commentaria: Tomus alter egregii Operis, qui anno LIV, igitur biennio demum poſt, prodiit, de Schola pictorum Veneta et Lombardica exponit, quem nos propediem recenſitum dabimus.

IOANNIS GEORGII ROEDERER, D. MEDICINAE ſpeciatim Anatomicae Artis atque Obſtetriciae Prof. Publ. Ord. rel. Icones uteri humani obſervationibus illuſtratae.

Göttingae, Sumtibus Vandenhoekianis, 1759. Plag. 15. in Folio.

Totum, quod iam nuntiamus, opus, conſtat ſeptem omnino Tabulis in aes inciſis, hisque ſubiectis obſervationibus, tum Auctori propriis, tum aliunde repetitis. *Tabula prima* exhibet externam uteri parturientis ſuperficiem, depictam duodecim quaſi horas poſt, quam parturire inceperat femina. Notat hic *Cel. Auctor*, eam eſſe uteri parturientis proclivitatem ad contractionem, ut continuo in quodque vacuum ruat, conſtringaturque eo usque, donec non vincendo obſtaculo obiiciatur, omnes nimirum embryonis artus, tanquam vagina aliqua, amplexurus. Itaque uterus ille exhibuit plures colliculos, quos embryonis naſus, pes dexter, femur ſiniſtrum, caput, gibbum dorſum, placenta denique, formaverant. Praeterea vaſorum ſub externa uteri membrana repentium rete apte repraeſentatum eſt. Tandem monet Cel. Auctor, uteri fundum reliquis eius partibus magis expandi, tubarumque origi-

Digitized by Google

originem in gravido utero longius diſtare quam in vacuo, cuius quippe tubae ex ipſis baſeos fundi lateribus efferantur. Diſtantiae huius plura exempla, eaque varia, recenſet.

Tabula ſecunda repraeſentat foetum et placentam in ſitu ſuo naturali. Dorſum hic ita incurvatum conſpicitur, ut fractum diceres. Caput transverſim poſitum occupat uteri fundum; facies ad anteriora dirigitur ſic, ut ſuperior ſit pars ſiniſtra, inferior dextra, frons ad dextram ſedem pertineat, mentum ad ſiniſtram. Inde curvum dorſum in ſiniſtra uteri ſede deſcendit, ad os uteri vergit nates dextra, ſolutae placentae parti inhaerens, ſiniſtra cum ano ad anteriora. Femur ſiniſtrum ad anteriorem uteri ſuperficiem, abdomini incumbens, verſus caput aſcendit, inde crus ſiniſtrum verſus dextram uteri ſedem femur legens ita deſcendit, ut extremus pes placentae ad marginem ſuperiorem et anteriorem inſiſtat, digitis ſurſum verſis. Placentae accumbit femur dextrum, ſurſumque ea lege crus exigens, ut genu cavum circa extremum pedem ſiniſtrum flectatur, ipſum crus ſiniſtrum, in dextra uteri ſede, dorſo ſuo legat tibia dextra, dextri pedis extremi dorſum fronti innitatur, pollex oculum tegat, digiti erigantur, et planta ſiniſtrae manus dorſum excipiat. Siniſtrum brachium in dextram ſedem flectitur, vacuum inter femur ſiniſtrum et dextram genam replens: palma manus prehendit genu ſiniſtrum. Siniſtrum brachium teres non eſt, ſed verſus uteri ſuperficiem anteriorem latius, verſus foetum arctius, velut modulus quidam vacuo impreſſus. Brachium dextrum, in poſteriori ſede et dextra locatum, manum placentae et nati dextrae interſerit. Funis, inter mentum et humerum ſiniſtrum, collum ambit. Specimen ſimul hic ſitus praebet *natum ad os uteri converſarum*, docetque difficultatem, quam in apprehendendis pedibus, in ſicco amnii liquore utero latentibus, quandoque experiuntur obſtetricantes.

Tabula tertia placentam in ſitu naturali ob oculos ponit. In notis tabulae huic adiectis Cel. Auctor obſervat, uteri gravidi fundum niſi ſemper, tamen plerumque eſſe

Digitized by Google

ima eius parte craſſiorem: totum uterum gravidum craſſeſcere: copioſa ad uteri ſectiones vacua lumina venoſa apparere, in longitudinales quaſi rimas a collapſo eodem et contracto preſſa: lumina arteriarum, velut exiguas quasdam puncturas, acubus factas, venoſis haud parum parciora eſſe, pleraque ad latus vaſis venoſi locata. Vaſorum copiam verſus cervicem ſenſim minui, donec diſpareant. Pone placentam, in vicinia, et verſus ſegmentum inferius, ſtipatiora eſſe vaſa, et multum ampliora, praecipue venoſa, quam in reliquo utero. Qua parte vaſa venoſa membranae uteri internae ſubiaceant, reti arterioſo ubivis cingi. Cuncta vaſorum lumina videri rotunda, ſine angulorum, receſſuum, vel ſinuum ſpecie. Fibras porro motrices, velut ſtrias quasdam, in vaſorum interſtitiis diſtributas eſſe, ſic quidem, ut pleraeque inter vaſorum rete et communem uteri a peritonaeo membranam locentur, reliquae vaſorum interſtitia repleant: pertinaciſſimo nexu omnes cohaerere, uterique omnem ambitum cingere, absque laceratione in ſtrata haud diſtinguendas. Plura de ordine et diſtributione fibrarum earum quo minus excerpamus, vetat chartae anguſtia. Docetur porro, internam uteri ſuperficiem membrana propria veſtiri, pari modo pertinaciſſime conglutinata vaſis; velut exterius fibris motricibus adhaereat membrana a peritonaeo communis. Nihil fibrarum muſcularium in eadem diſtingui, ſed mollem eſſe in utero gravido; tenuem, pulpoſam, facile lacerandam, in cadavere. Placentam ſede dextra et poſteriori locari ſic, ut ad dimidiam fere ſedem dextram aſcendat, et toti ſegmento inferiori incumbat. Non tamen negatur, placentam cuique uteri regioni, quin ipſi ſegmento inferiori, ſubinde inhaerere. Unicam quidem umbilicae arteriam ad angulum funis ac placentae eſſe, eam vero in ipſo fune mox in duos ſolitos truncos ſecedere. Duos etiam verſus placentam arteriae illius ramos reperiri, eorumque alterum in ſubſtantiam placentae ſtatim ab ortu immergi, alterum diſtribui in ſuperficiem. Placentam, quae ante ſpongioſa, cellularis, tenera erat, verſus margi-

nes

Digitized by Google

nes ſenſim minui, in velamenta mutari, quorum membrana filamentoſa uteri ſuperficie partim vaſulis cohaereat, partim tenera quadam tela celluloſa et perlucente, quae cuncta interſtitia exactiſſime repleat, pertinacius tamen chorio quam utero filamentoſa adhaereat.

In *Tabula quarta* conſpicitur externa uteri gravidi ſuperficies, cum vaſis ſanguiferis. Uterus quidem comprehendit foetum, et amnii liquorem. Femina vero ſextum quaſi graviditatis menſem abſolverat. *Clariſſ. Auctor* exacte deſcribit uteri gravidi in abdomine poſitum, qui fere ſic habet: Ad dextram abdominis partem inclinatur uterus ita, ut duae fere tertiae partes eo pertineant, una ad ſiniſtram: inferius ventriculi planum fundo incumbit. Omnis inteſtinorum tenuium apparatus, iuxta et ſuper utero ſiniſtrum abdominis cavum replet; deſcendit ibidem ſiniſtrum colon, et maxima omenti portio eodem dirigitur. Ad dextrum uteri latus inteſtinum coecum et coli dextri initium locantur, ipſa tamen fere tota utero, quo teguntur, poſteriora. Appendix vermiformis pone uterum latet. Transverſum colon poſtremo in loco partim pone ventriculum, partim pone uterum ſe corripit; quorſum etiam in loco inferiori ſeſe recipiunt inteſtinorum tenuium colique ſiniſtri finis, et initium inteſtini recti. Ad pollicem cum dimidio infra hypochondrion dextrum deſcendens hepar utero ita imminet, ut apex uteri dexter veſiculam felleam, qua parum tingitur, tangat. Anteriori uteri ſuperficiei ſine medio peritonaeum inhaeret. Modice ſupra oſſa pubis, preſſa utero, veſica aſcendit. Cum hac deſcriptione conſentit obſervatio in vivis feminis, iisdemque gravidis, facta. Quodſi namque gravidarum abdominis ſtatum manu exploramus, ſaepius omnino duriorem, tumentiorem, elatioremque tangimus ſedem abdominis dextram; molliorem, minus tumentem, minus etiam elevatam ſiniſtram. Multas, et utiles ſane obſervationes, praeternittere cogimur ſpatio excluſi.

Digitized by Google

Tabula quinta habet foetum et placentam, in poſitu naturali delineatam. Exemplum eſt capitis paullo maturius delapſi, utpote circa ſextum graviditatis menſem. Magna placenta poſteriorem uteri ſuperficiem, dimidium fundi, partemque dextrae ſuperficiei occupavit, dextrae tubae in uterum aperturam tegens: a ſiniſtrae tubae apertura duos pollices abfuit, menſuram in uteri circumferentia capiendo; canali vero cervicis duos et dimidium pollicem ſuperior fuit placenta. A latere embryo ita collocatus fuit, ut curvatura dorſi legeret latus dextrum, occiput modice obliquum verſus latus dextrum orificio opponeretur; auris ſiniſtra ad parietem anteriorem, dextra ad poſteriorem dirigebatur; anterius fuit femur ſiniſtrum, poſterius dextrum; et dextra natum in placentam nitebatur. In abdomen femora replicabantur: denuo verſus latus ſiniſtrum pedes deſcenderunt, et extremi pedes ſiniſtro uteri parieti inſiſtere viſi ſunt. Decuſſatae tibiae fecerunt, ut anterior eſſet extremus pes dexter, poſterior ſiniſter. Mentum in thoracem nitebatur, facies ad angulum uteri ſiniſtrum in ſuperiora directa fuit. Brachium ſiniſtrum in faciem ita reflectebatur, ut pollex fronti imprimeretur, et digiti in poſteriorem ſuperficiem replicarentur. Brachium dextrum ex ſuperficie poſteriore verſus anteriorem emerſit, digiti circa medium uteri in manum flexi ſunt, et ſecundarum phalangum radices ad parietem ſiniſtrum directae erant. Anus et genitalia ad latus pariter ſiniſtrum ſpectabant. Funis ex umbilico aſcendens ad collum, verſus dextrum uteri parietem pergere viſus eſt: collum inde veſtiit. Ori dein incubuit, ſiniſtro brachio tectus, manu ſiniſtra prehenſus, ſub dextro brachio latens deſcendit, et placentae inhaeſit, ſiniſtro huius margini, embryoni nempe oppoſito, inſertus. Inſertio dextra aure tecta fuit. (Specimen eſt funis, mature embryonis collo circumpoſiti.) Neque in hoc, neque in reliquis uteris, Experientiſſ. Auctor aliquid invenit, quod pro alantoide haberi poſſet.

Tabula

Digitized by Google

Tabula Sexta figuris ſex conſpicua eſt, internamque uteri gravidi ſuperficiem illuſtrat. Figura prima repraeſentat convolutiones vaſorum uteri venoſorum, et anguillulas arterioſas, quae quidem in figura ſecunda ſeorſim delineatae exhibeantur. Figura tertia ſiſtit filamentoſam ſecundarum tunicam. Explicationi huius figurae annexa eſt deſcriptio experimentorum cum placenta in utero relicta inſtitutorum, quorum ſumma haec eſt. Eo temporis puncto, quo infantes naſcebantur, funem umbilicalem artis lege perſcidit V. Cl. infantem removit, placentam cum utero perpetuam, funemque umbilicalem ex genitalibus propendentem, reliquit. Vaſculo tunc, quod ſanguinem ex fune profluentem exciperet, ſuppoſito, ſequentia obſervavit: 1) Nullus in umbilici fune, qui e genitalibus pendet, pulſus eſt. 2) Ex genitalibus nihil ſanguinis fluit. 3) Ex fune vero umbilicali ſanguis, magna vi, arcuque facto, prorumpit primum, dein lentius ſtillat, mox paucae guttulae effluunt, tandemque fluxus omnis ceſſat. 4) Ab initio ad finem usque fluxus aliquot horae minuta prima labuntur. Quater fluxus tria minuta duravit, bis duo minuta, ſemel minutum, ſemel quinque minuta. 5) Pondus ſanguinis, qui effluxit, ter unam et tres octavas partes unciae fuit, bis unam et dimidiam unciam, ter unam et unam partem quartam unciae, ponderis civitatis Goettingenſis. 6) Poſtquam ſanguinis ex fune fluxus ceſſaverat, ſtatum uteri examinavit V. Cl. Contractus quidem uterus fuit, orificium autem eiusdem laxe, et ſine ulla ſtrictura, funiculum propendentem ita ambiit, ut hic ab uteri orificio compreſſus non eſſet ullo modo: placenta etiam firmiſſime cum utero cohaeſit, neque ulla ſanguinis gutta in uteri cavitate vel ſtagnavit, vel ex eadem effluxit; cruoris vero torrens, cum primum ex utero placenta extracta erat, e genitalibus profuſus eſt. 7) Placentae extractae vaſa maiora, quae in ſuperficie decurrunt, et ſanguinem vehere ſolent, eiusmodi liquore vacua ſunt. Quaedam in venis ſanguinis quantitas reſidua manet, minor autem, ac in placentis, quarum funis a partu

 tu

tu ligatur. Arteriae collapſae eſſe ſolent. 8) Cum enim alio tempore funis umbilicalis portio, cum placenta cohaerens, ita deligatur, ut ex perſciſſo fune nil humorum effluere poſſit, maiora placentae vaſa ſanguine tota referta ſunt, atque turgida, ſive venoſa ſint, ſive arterioſa. Octies tunc pericula illa fecerat V. C. quae poſtea eodem repetiit ſucceſſu, ſolisque in illis partubus, in quibus infantes vivi non ſolum, verum etiam vegeti edebantur, ubi infantes extractos ne guttula quidem ſanguinis ſequuta eſt. adeoque cum certisſimus eſſet Cl. Auctor, placentam integerrime adhuc cum utero cohaerere, nullam eius particulam ſolutam eſſe, nullamque proinde aliam, praeter ipſam placentam, viam eſſe, quam uteri ſanguis ſubire poſſet: itaque nihil amplius ſanguinis ſuccedere, infante in lucem edito, experimenta illa perſuadent. Obſervationes his contrarias, ab aliis obſervatoribus factas eſſe, non negat Cl. Auctor, quin potius ad eas pluribus reſpondet. Alia experimenta inſtituit, quibus probaret, exilia vaſorum placentae lumina eſſe: namque ſi placenta una cum infante ex utero extrahatur, nihil ſanguinis ex placentae ſuperficie effluxiſſe; neque illud factum eſſe, cum infans una cum placenta in aqua calida foveretur; pulſus etiam in fune ceſſavit, quoties placenta, cum infante perpetua, in utero relicta eſſet. Figura quinta aperturam canalis cervicis in uterum; figura ſexta apertum canalem cervicis, oculis ſubiicit.

Tabula ſeptima, eaque ultima, figuras duodecim continet. Figura prima internam cervicis uteri ſuperficiem refert: ſecunda uterus virgineus illuſtratur: in tertia conſpicitur poſterius uteri virginei planum; in quarta vero eiusdem uteri planum anterius: figura quinta depictum eſt ovarium ſiniſtrum feminae, partum haud enixae: in ſexta veſiculas Graafianas conſpicimus: ſeptima perſciſſum ovarium feminae parturientis; octava corpus luteum ex cadavere feminae illico a partu extinctae; nona ovarium feminae unicum partum enixae, repraeſentat: in figura decima cernitur ovarium in medio perſciſſum, una cum corporibus luteis

Digitized by Google

teis; in undecima vero dextrum ovarium perſciſſum, cum extenuatis corporibus luteis; in duodecima, eademque ultima, duae maſſulae flavae comparent. Poſt indicem reperiuntur tabulae tres, non illae quidem pictae, ſed quae litteris verbisque tradant dimenſiones, tum uteri eiusque partium, tum ovariorum, ſubtiliter ſane, in quamplurimis, iisdemque variae aetatis femellis, captas, quarum ideam lectori in arcto hoc ſpatio tradere nullo modo poſſumus.

DE ZINBEELDIGE HERCULES etc.
id eſt:

HERCULES ΣΥΜΒΟΛΙΚΟΣ, *SIVE DE PROCREAtione et pueritia ficti huius dei, Liber ſingularis, quo commonſtratur, quae de eodem praedicentur, ea omnia ex priſca doctrinae de Chriſto veluti per manum facta traditione repetita eſſe, etc: cum Appendice de Meleagro et Atalanta: conſcriptus a IOH. CHRISTOPH. STRUCHTMEYERO, Profeſſ. Harderovic. atque ex MSto latino belgice converſus a PETR. LUCRET. STRUCHTMEYERO, litt. ſtud. (eius filio).*

Harderov. apud Ioh. Moojen, 1757. Alphab. 1, plag. 3½. praeter praefat. plag. 3. quaternis.

Magna omnino ingenii contentione, ſed, quod veritati largiendum eſt, quamquam id inviti dicimus, parum illa fructuoſa et felici, conſilium et argumentum ſuum perſequitur Scriptor noſter, Vir doct., idem ille, qui iam anno 1743. *Theologiam mythicam* pari modo illuminare libro ſuo, quem *de origine Tartari et Elyſii* inſcripſit, conniſus, impetrare a nobis non potuit, ut cum ipſo faceremus *). Quod quum aegre, licet temperanter, tulerit: in praeſenti, praefatione ſua hoc agit, ut minus ſubtiliter nos

*) Vid. Supplem. ad Nova Acta Eruditor. Tom. VIII. Sect. V. pag. 232. ſqq.

nos iudicaſſe vincat. Sed ut liberaliter demus, et ingenue, ſimilitudines ipſum fere omnes, et univerſae memoriae, et rerum geſtarum magni noſtri Servatoris, atque Herculis ſui, ſtudioſe conquiſiviſſe: tamen litem propterea ſecundum ipſum dari oportere ut exiſtimemus, tantum abeſt, ut vel parum eo confectum eſſe perſuaſum habeamus. Id quidem ne cui temere dixiſſe videamur, quae ſunt ab hoc eodem Scriptore obiecta, ea deinde diluemus: iam vero age primum definiamus aliquam veluti regulam et normam, ad quam noſtra de ſententia plane huius cauſae cognitio ſit referenda.

Si quarum rerum cum aliis ſimilitudo fuerit, cogitur inde Dialecticorum de praeceptis, eſſe has ipſas illa quidem parte ſimiles, quinimmo easdem. Sed in tanta rerum ſimilium, vel aliqua parte earumdem, quae nihilo tamen minus alio delectu miram viciſſim a ſe diſſimilitudinem habent, multitudine et varietate, ex communibus nonnullis proprietatibus, neque plenam et perfectam ſimilitudinem colligere, neque huius ipſius ſimilitudinis certos fines et terminos conſtituere, niſi qui ſignis ac notis non dubiis deſcripti fuerint, veritas ſinit. Atqui verba translata, et omnes omnino loquendi formae, quibus ſubeſt vel hieroglyphica, vel mythiſtorica, vel myſtica ſententia, quum perfectam ſimilitudinem non indicant, tum illius menſuram modumque per ſe non, niſi ambigue, produnt. Igitur in his vere explicandis, aut adventitiis quibusdam et externis adiumentis utendum eſt; aut in ipſis huiuſcemodi ſive ſermonibus, ſive ſcriptis, dilucide expreſſa ſit, oportet, aliqua verae ſignificationis nota, qua iuſte finiatur propoſita ſimilitudo. Alterum, magnam plerumque difficultatem, et errores faciles habet: alterum, praeterquam ſacris in oraculis, fieri ſolet rariſſime. Neque vero, quod poſtremo loco poſuimus, id in ulla rerum Herculis geſtarum memoria usquam factum eſt. Ex quo efficitur, quod ad illuſtrandam Herculis memoriam, adventitia tantum, et externa ſubſidia, diligenter circumſpicere, et acute arguteque adhibere conveniat.

Quae

Digitized by Google

Quae quum ita ſint, palam fiet Lectori, quam parum ad veritatem accommodate *Struchtmeyerus*, Vir Cl., de Hercule ſententiam dixerit, ubi plenius paullo omne libri huius argumentum propoſuerimus: id quod nunc facere aggredimur, ita ut ipſum Scriptorem perpetua oratione loquentem inducamus.

Cap. I. *De Iove, ſuppoſito Herculis patre,* pag. 1 - 9.

Nemo eſt, quin ſciat, Graecis auctoribus plerumque Herculi patrem *Iovem*, matrem vero *Alcmenam*, *Amphitryonis* uxorem, aſſignari: quamquam alios alii parentes commemorent. De patre quidem conſentiunt veteres, deum aliquem fuiſſe: ſed non omnes idem huic nomen tribuunt. Attamen plerique *Iovem* dicunt. Ex hac autem varietate, qua Herculis de parentibus decernitur, iure cogo, qui parentes ipſius fuiſſe perhibentur, eos non eſſe niſi ficta nomina, uti ſub ipſo Hercule, praeter fictam ſpeciem, nihil ſubeſt. Etenim, qui inde efficere volunt, varios reapſe Hercules vixiſſe: illos primum oportet adprobare, meros homines, neque ſuppoſitos potius deos fuiſſe, qui parentes eius feruntur: atque deinde, ſi poſſint hoc docere, etiam illud, a quovis illorum procreatum eſſe Herculem aliquem. id tamen facere fruſtra conabuntur. Sed vero deum aliquem ſupremum, conſtat, eſſe a veteribus conſtitutum, qui non omnem tantum hanc rerum univerſitatem gubernet, ſed qui etiam condiderit, coeli terraeque, maris pariter atque infernarum regionum dominum: hunc *Iovem* appellarunt. Praeter hoc ſupremum numen, alium tamen *Iovem*, in *Arcadia* vel *Creta*, vel alibi natum, praedicant, iuſtitia ſua, quod cauſſantur, et beneficiis adverſus homines, rebusque glorioſe geſtis, divinos meritum honores. Ex quo, quum eadem, quae de Iove illo ſupremo, de Iove hoc, ſive Crete, ſive Arcadio, confirmentur, nempe hunc eumdem et formaſſe, quae ſunt, et adminiſtrare univerſa: patet, duos Iovis nomine priſcis celebratos fuiſſe, quorum alter ex uno deo vero fuit procul dubio effictus, alter aut homo fuit, in Creta inſula, vel in Arcadia, aut alibi natus, aut etiam plane commentitius. Iam

Digitized by Google

ſive quis Iovem in Creta inſula, vel in Arcadia, vel alio loco procreatum, regnoque admotum, non niſi hominem fuiſſe exiſtimet, ſive omnino commentitium eſſe ducat, nihil ad meam ſententiam intereſt: propterea quod omnium populorum teſtimonio *Iupiter*, qui Herculem progenuit, is deus fuit ſupremus, quem penes ſumma eſt coeli terraeque poteſtas. Attamen ego dico atque aſſevero, illum Iovem Cretem etc. numquam fuiſſe hominem, ſed plane commentitium, et effictum quidem ex ipſo Chriſto, ſeu filio Dei. Hic certe *patrem* ſuum, id eſt Iudaeos, a quibus originem duxit, coelo expulit, poteſtate in coetum ſanctorum eos privavit, atque poſt mortem ſuam a toto terrarum orbe, potentiae ſuae atque meritorum cauſſa, Deus habitus eſt ſupremus: perinde ac veteres illi talem fuiſſe Iovem Arcadium, ſive Cretem, tradunt. At non Iovem, dices, ſed Amphitryonem, aut adulterum quempiam, fuiſſe Herculis patrem. Verum, qua, quaeſo te, veterum ſcriptorum fide hoc probabis? Non enim fas eſt, comminiſci res geſtas, quas neque noſtris oculis vidimus, neque fide dignis teſtimoniis compertas habemus. At fieri non potuit, ut deus ſupremus, et orbis univerſi gubernator, ex Alcmena filium ſuſciperet. Perinde vero, ac ſi propterea ſequeretur, ut Herculem vel Amphitryo ex eadem genuerit, vel adulter quidam. Fac, hanc mulierem aeque commentitiam eſſe, ac ipſum Herculem: nonne deus commentitius, commentitia ex uxore, filium poteſt commentitium ſuſcepiſſe? Profecto, quoad alia quaedam ratio reperiri poſſit, cur veteres Iovem ipſi patrem attribuiſſe credantur, hanc par eſt ſequi: propterea quod omnem terrarum orbem mendacii poſtulare, non, ſine magna neceſſitate, licet. Quae vero haec alia eſt ratio? Supra iam, Herculem a veteribus, indicavi, ex priſca quadam doctrinae de *Chriſto* veluti per manum facta traditione deum effictum eſſe. Id ſi pro certo habemus, quemadmodum pro certo habendum eſt, ſponte conſequitur, ut non niſi Iupiter, vel idem ille, quem ſummum deum colebant,

Digitized by Google

lebant, ipſius pater fingi potuerit; Chriſtum enim ſacris in litteris ſemper Dei filium vocari, neminem fugit. Vt itaque Hercules nonnumquam *Amphitryonis filius* dicatur, fit hoc tamen eo tantum modo, quo Chriſtus *Joſephi filius* eſt appellatus.

Videndum nunc eſt, quam ob rem Alcmena, Amphitryonis uxor, Herculis mater vocata fuerit. Si vel maxime concederem, vere eam vixiſſe: hoc tamen non impediret, quo minus dei commentitii commentitia mater credi poſſet. Sed nihil eſt quod fidem mihi faciat, umquam vixiſſe Alcmenam. De parentibus enim eius deinde videbimus: filium vero eius Herculem, vici iam, quod puto, non fuiſſe umquam, niſi in fabularum commentis. Item, quae de feminae huius maritis, Amphitryone et Rhadamanto, paſſim memoriae prodita reperiuntur, ea tum forma ſua, tum memoriarum varietate, loquuntur fere, fictos hos eſſe et excogitatos ad aliquam veri ſpeciem. Neque de ſepulcri ipſius monumento aliter ſentire eadem argumenta iubent: quum adeo Pauſanias auctor ſit, Alcmenae ſepulcrum, teſtibus Thebanis, nusquam viſum, ipſam autem poſt mortem in ſaxum eſſe converſam. Sed quid multa? Alcmenam et Amphitryonem una cum liberis et poſteris, cum parentibus et maioribus ſuis omnibus, ficta tantum eſſe ſimulacra, atque nomina ex rerum verarum commentariis delenda, hoc uno potero documento prorſus demonſtrare, quod illis, tamquam *heroibus*, ſacrificia fecerunt Graeci, et delubra dedicaverunt. Iam autem, qui priſcis ex heroibus veros exſculpere homines conetur, huic, contendo, ab omni antiquitate reclamari. Quum tamen univerſa Alcmenae gens hac de cauſſa deorum fictorum numero haberi debeat: arcani quid ſub eadem latere verum eſt; propterea quod omnis priſcorum theologia talis fuit.

Cap. II. *Alcmenam, Herculis matrem, eiusque maritos, Amphitryonem et Rhadamantum, commentitia eſſe nomina,* p. 10-16.

Facere hic non poſſum, quin laeter, inter illos, qui veterum hiſtoriam fabularem ad res vere geſtas referunt, eſſe etiam qui fateantur, parentes Herculis eſſe velut imaginem

Cap. III. *Quid arcani parentibus*

Herculis ſubſit, pag. 16-23. ginem rei cuiusdam arcanae. In his eſt Natalis Comes: quamquam a coniectura aberrat. Ego vero, quum Alcmena *herois* quidem, ſed non *dea*, neque *immortalis* eſſe, nec *Iovi*, qui ſolius Iunonis honos eſt, ſed *Amphitryoni*, nupta fuiſſe dicatur, praedicare poſſem, talis per eam feminae imaginem a priſcis fabularum inventoribus denotatam fuiſſe, qualis fuit Chriſti mater, *Maria*. Quoniam tamen caetera, quae de Alcmena traduntur, in Mariam non bene conveniunt, aliud quidpiam, neceſſe eſt, ut ſit eius deſcriptione adumbratum. Idcirco effictam hanc eſſe exiſtimo hoc conſilio, ut coelum piorum deſignet, ſive populum Dei, qui Chriſtum ex Dei effatis et promiſſionibus animo primum concepit, deinde partu editum orbi terrarum oſtendit. Conf. Apocal. XII, 1. Ioh. XVI, 20. 21. Huius populi naturae et origini non modo Alcmenae nomen, a *robore* ductum; ſed etiam, quae ad eamdem ſpectant reliqua, egregie congruunt. Attamen, dum Alcmenam, aio, populi novi foederis imaginem ſiſtere, non hoc mihi volo, in fabulis eam deſcribi, tamquam quae ritus priſtinos atque ſolemnes omiſerit; quandoquidem aliis ex commentis de ipſa pariter atque de Amphitryone contrarium probari poteſt: ſed tamquam quae, vetera licet ſacra teneret, tamen ſpem omnem ſalutis in filii meritis collocarit. Porro Alcmenae maritus, *Amphitryo*, eodem regio genere, quo uxor ipſius, natus, mortalis tamen, conformatione quadam exhibet populi iſtius, qui Chriſtum concepit et peperit, propugnatores, defenſores, ac tutores: quum is populus habuerit quoque maritum ſuum, ſi ita loqui licet, ex quo liberos genuit. Erant enim quaſi maritus iidem illi, qui docendo, regendo, tuendo, genus eius propagarunt. Vti tandem ſignificaretur, non humanum, ſed divinum eſſe verbum, ex quo procreari poſſit Servator, antiquitati viſum eſt decernere, non ex Amphitryone, vel homine ullo, ſed deo ſupremo, Iove, Herculem eſſe conceptum.

Cap.IV. *De patria Her-* Noſtrum iam eſt, inveſtigare etiam Herculis patriam. Omnes fere populi natum hunc ſuis in terris eſſe dictitavere.

Digitized by Google

culis civitate vel regione, p. 23-26.

vere. Plerique autem Argis, vel Thebis, in exſilio genitum eſſe Herculem teſtantur. Quod quam apte in Chriſtum, quem eſſe Herculem putamus, quadret, perſpectum erit, ſi animum advertas, duplicem eſſe eius procreationem: alteram, qua homo factus, et inter Iudaeos verſatus eſt; alteram, qua in hominum mentibus eſt generatus. Etenim, ſimul ut a Maria natus lucem adſpexerat, ab Herode in Aegyptum profugere, reduxque deinde Iudaeorum odium perferre coactus eſt et vexationes; itaque exſulis vitam vixit: hominum autem in animis dum generabatur, poſtquam in vitam redierat, miſſoque Spiritu S. fidem ſuam liberaverat, pro vero Meſſia habitus; parentibus ſuis iam patria interdictum erat ante, quam ita naſceretur.

Cap. V. *De bello Amphitryonis, cum Pterela geſto, aureoque capillo huius Pterelae, a quo fatum eius pendebat:* etc. p. 26-32.

Quum Herculem Iupiter ex Alcmena gigneret, aberat Amphitryo, bellum gerens cum Pterela, Teleboarum rege. Quapropter id bellum, ſiquidem res poſtulare videtur, verbo ſaltem nobis expediendum erit. *Teleboas* profecto, regemque *Pterelan,* eſſe arbitror imaginem Iudaeorum aut falſorum doctorum, quorum ad Iudaeorum dictata ſeſe animus inclinabat. Hoc inde colligo, quod a Neptuno ducere originem perhibentur: is vero in fabularum hiſtoria ſimilitudine quadam ſignificat populum vel doctores, antiquam legem ſectatos. Capillus capiti eſt ornamento, atque inſtar coronae, quae regium eſt inſigne: quemadmodum etiam diſcipuli doctorum corona dicuntur, Phil. IV, 1. Quod itaque *capillum aureum* Pterelas a Neptuno dono datum accepiſſe fertur, id hanc vim habet, factum eſſe doctorem ac rectorem, vel, ſi mavis, regem Iudaeorum. Certe in fabulis aurum optimi hominum generis nota putatur: ſive enim hoc *aureum,* ſive *caeleſte,* ſive *divinum* genus dicas, idem dicis. Atqui Iudaei erant olim populus Deo dilectus, itaque aureum genus: et Pterelae in eos regnum ſtare ſtatu ſuo cum in finem debebat, donec aureum ipſe capillum amitteret; quo facto, ipſi adeo pereundum erat. Nam Iudaeorum principibus, quum, novi foederis tempore, imperium in dictum Dei populum abrogaretur, dignitas

ipſorum ſimul evanuit, atque ita cum regno vita privati ſunt. Pterelae filia, Comaetho, quae hoſtis paterni, Amphitryonis, amore capta, huic patris ſui regnum tradere animum induxit, ut eius matrimonio potiretur, atque hanc ob cauſſam patri capillum aureum abraſit, informationem ſuggerit populi cuiusdam, qui, a Pterela partus, et ſimiliter animatus, idem, quod ille, ſentiebat. Hic vero populus, ſive turba hominum Iudaicis opinionibus imbutorum, magiſtratibus vel doctoribus ſuis ſeſe opponens, abalienata ab his piorum voluntate, imperio eosdem privabat et vita. Itaque Amphitryo victor, quas Taphii ſive Teleboi inſulas tenuerant, earum potitus, ſeu Pterelae in locum rex piorum ſuffectus eſt. At Comaetho de ſpe ſua decidit. Etenim Amphitryo, perfidiam eius deteſtatus, illam interfecit. Sic multitudinem, Iudaeorum erroribus infectam, quum patrem ſive magiſtratum ſuum eo tantum conſilio regno expuliſſet, ut penes ipſam eſſet ſumma in populum Dei poteſtas, merito aſpernati ſunt novi foederis doctores.

Cap. VI. *Quomodo Iupiter, ſimulata Amphitryonis forma, ad Alcmenam delatus, noctes tres ad Herculem procreandum iunxerit,* p. 32-44.

Ante, quam a bello domum rediret Amphitryo, ad Alcmenam noctu ſe contuliſſe Iupiter, Amphitryonis perſonam mentitus, atque interpoſita cauſſa, Pterelam victum manu ſua occiſum eſſe, poculoque huius aureo, et, quod nonnulli perhibent, monili, feminae dono datis, noctes duas vel tres ad Herculem procreandum iunxiſſe dicitur. Quum iam ſit oſtenſum, Herculem priſcis fuiſſe imaginem Meſſiae, qui ſupremi dei, ſeu Iovis ſui, filius eſſe debebat: hic tantum exquirere noſtra refert, cur Iupiter ad Alcmenam, marito huius in bellum cum Telebois implicito, noctu acceſſiſſe, noctesque duas vel plures continuas Herculis gignendi cauſſa coniunxiſſe, perhibeatur. Etſi igitur, quo priſtinum foedus continebatur, id omne tempus, praeſertim vero ipſa illa, qua Chriſtus naſcebatur, aetas, *nox* dici poteſt; neque alienum eſt dicere, Deum hunc univerſum temporis decurſum filio ſuo in piorum animis procreando impendiſſe, quod omne ſpatium in noctes duas, vel,

vel, ſi tempus ante Moſen elapſum adiungatur, tres diſtribuere congruum eſt; niſi malis tres noctes ideo fictas eſſe, quod is numerus eſt perfectus: tamen, quia noctis huius commemoratio ad illud unum tempus pertinet, quo cum Pterela bellum geſſit Amphitryo; atque etiam multum intereſt inter noctem per ſe ſpectandam, et eam noctem, quae temporis ad procreandam ſobolem idonei ſignificationem habet, et vacuum ab aliis, ſive occupationibus, ſive impedimentis, intervallum deſignat; eo potius hoc commentum valere arbitror, ut ſigno ſit, coetui piorum talem a Deo quietem paratam eſſe, qualis ad Servatoris cognitionem neceſſaria erat, quumque una quies non ſufficeret, bis hanc terve eſſe productam. Quemadmodum vero Iupiter Amphitryonis perſonam ſimulavit: ſic novi foederis doctores priſtinae legis ſpecie ſeſe induerunt, quo ſibi facilius Iudaeorum voluntatem conciliarent. Poculum deinde aureum, Pterelae quondam proprium, ſed Alcmenae a Iove dono datum, procul dubio tralatitiis quaſi coloribus depingit foedus Dei, Iudaeis, quibuſcum olim initum erat, nunc irritum, et piis tantum, poſita in Chriſto ſpe ſalutis, confirmatum: aeque ut monile, poculo adiunctum, non poteſt in animo informare niſi cogitationem pietatis atque virtutum, quibus, tamquam ornamentis, olim piorum inter Iudaeos coetus effulgebat, nunc ſancti, novo foedere conſociati, exſplendeſcunt; vel potius piorum hominum ipſorum, qui pariter, atque Iudaeis antea fuerant, nunc, Chriſti in civitatem deducti, huic ſunt ornamento. Quid? quod et poculum illud aureum non inepte denotare videtur hos eosdem homines, quatenus divinarum novo ex foedere promiſſionum, quae cum vino comparantur, participes erant. Cur porro Iupiter dona haec Amphitryoni furtim ſurripuiſſe, et Alcmenae dediſſe feratur, huius rei ratio haec eſt, quod priſci doctores, poculo illo et monili, ſive foedere divino et coetu piorum, quaſi ſubdole iam ante privati ſunt, quam ipſi rem omnem reſciſcerent. Quod poſtea Iupiter dictitaſſe perhibetur,

Pterelam

Pterelam manu ſua interemtum, illudque munus ſibi a Telebois vel ab exercitu traditum eſſe: id eo conſilio excogitatum eſt, ut indicio ſit, Amphitryonem non alio pacto, quam fiducia in Dei promiſſionibus de Chriſto poſita, victoriam reportaſſe, atque hoc tum ipſum, tum exercitum eius totum prae ſe tuliſſe. Quae tandem inter Amphitryonem et Alcmenam Iovis cauſſa contentio orta eſſe dicitur, ea docere videtur, poſt Chriſtum natum honorem et auctoritatem, rectoribus doctoribusve a coetu piorum olim tributam, ſublatum iri.

Cap. VII. *De Iphicle, eodem, quo Hercules, partu edito,* p. 45-52. Alcmenam geminos, alterum Herculem e Iove, alterum Iphiclem ex Amphitryone, peperiſſe veteres tradunt. Poſtremum hunc aeque commentitium eſſe, ac Herculem, quum alia multa, quae de eodem memoriae prodita ſunt, non obſcure prodant, tum hoc unum fere teſtatum facit, quod ex alio gravida, ex alio iterum concepiſſe Alcmena fingitur. Quorſum ergo haec de Iphicle fabula? Amphitryonem, ſupra diximus, ficta quadam forma aſſimilatum eſſe ſancti illius coetus, qui Chriſtum procreavit, praefectis et doctoribus. Hi quidem genus etiam ſuum propagare, et, cui praefecti erant populo, ex eodem liberos, iuris ſui olim haeredes futuros, procreare ſtudebant: ſed poſteri ipſorum, licet pii, et in profligandis hoſtibus ſtrenui, tamen, ſi ad novi foederis heroas comparentur, natura timidi erant, horumque virtuti multum cedere cogebantur, hominum ſanguine, id eſt, ex lege Moſis, nati. Huiuscemodi familiae exemplum eſſe Iphiclem antiquitas voluit. Eadem ille, qua Hercules, nocte natus eſt, ſi nonnullos ſequimur: quoniam circa diem Chriſti natalem naſcebantur adhuc homines veteri lege adſtricti. Poteſt vero Iphicles, quae aliorum ſententia eſt, una nocte iunior dici: ſiquidem Servator noſter, Herculis imagine deſignatus, fratrum ſuorum natu maximus eſt; vel adeo ante priſtinum foedus in hominum mentibus generari coepit. Contra etiam Herculis aetatem una nocte ſuperaſſe idem credi poteſt: quia tum demum Chriſtus veriſſime natus

Digitized by Google

tus dicitur, quum univerſo terrarum orbi collucere inciperet. Denique, ſi fidem illis habemus, qui Iphiclem per decem, Herculem vero per ſeptem tantum menſes matris in utero latuiſſe praedicant: aptum et hoc eſt ad propoſitum, quod Chriſtus iam ante natus erat, quam partus eſſet perfectus, id eſt ante, quam terrarum orbi palam propoſitus formam nactus eſſet perfectum.

Diem Herculis natalem non minus multa illuſtrant ad Chriſti natalem accommodata. Die illa regem Argorum ſive Mycenarum naſci debere Iupiter pronuntiaverat. Sic definito tempore regem Iſraëlis, Chriſtum, genitum iri, ſaepe Deus praedici curavit; ſunt enim Argi, Iunonis etiam patria, regio Iudaeis promiſſa, ſedesque veteris piorum coetus. Iuno autem, huius coetus imago, Euryſteo operam dediſſe dicitur, ut ſeptem modo menſium partus ederetur, Iovis iureiurando rex Argorum futurus, impedito Herculis partu: ſic Iudaei, et qui ſummam rerum inter eos tenebant, omni conſilio providere conati ſunt, ne qua hominum in animis nati Servatoris ſuſpicio crearetur, ut imperium is capeſſere ne poſſet. Itaque ſubordinaverunt Euryſteum, effictam quaſi formam illorum magiſtratuum, immo ipſorum doctorum, quos tunc ſibi praeeſſe Iudaei voluerunt: partum non perfectum, ſed inchoatum modo, nempe ineptum, ignavum, meticuloſum, ubi Dei hoſtibus reſiſtendum erat; at elatum, inhumanum, crudelem, vexando et exſtirpando Servatorem noſtrum.

Cap. VIII. *De Euryſteo, ſeptem menſium partu, Iunonis opera nato*, p. 52-59.

Sed *Parcarum* et *Ilithyiae*, vel praeſtigiatricum quarumdam opera, et *Lucinae*, iam corruptae, aliquo carmine Iuno fertur effeciſſe, ut per ſeptem dies noctesque partus doloribus Alcmena laboraret, donec *Hiſtoris*, ſive *Galanthis*, aut *Galinthias*, de loco quodam, ex quo audiri poterat, aſtute clamans, iamiam peperiſſe Alcmenam, Parcas vel praeſtigiatrices illas ita perturbaret, ut ſurgerent. Quid hoc eſt, niſi commentum? Atque tale quid eſſe, confirmant, quae rem circumſtant, omnia. Si vero Hercules Meſſiae, et Iuno praefractorum Iudaeorum, hoſtium

Cap. IX. *De Alcmena, Iunonis inſtinctu, per ſeptem dies parturiente*, p. 59-66

 illius,

illius, formam habet: facile eſt ad intelligendum, hos omnia molitos eſſe, uti ne naſceretur Meſſias, et ne in orbem terrarum produceretur; id quod, adhibito numero perfecto, ſeptem per dies noctesque illi dicuntur eſſe machinati. Etenim non repugnat aſſeverare, partus deas et obſtetrices, quinimmo Parcas, eſſe Sacerdotes et omnes illos, quorum erat abſcondita dei ſcita explicare. Eiuscemodi hominum imago eſt Ilithyia, quam eſſe Dianam nonnulli, Lunam alii putant. Lumen ſuum a Sole, qui eſt Apollo in fabulis, luna mutuatur. Igitur ſi Apollo ſeriem denotat vatum divinorum, eorumque doctorum, a quibus omnis ſacrorum cognitio manavit: Diana populum illum ſignificabit, qui hanc a doctoribus cognitionem accepit, quemadmodum luna ſolis radios. Verum aliorum de ſententia non honeſtae partus deae, ſed veneficae fuerunt, quae a partu Alcmenam prohibebant. Tales fuere Iudaeorum falſi doctores, qui, propinato letifero veneno, nimirum propagatis contra Servatorem placitis ſuis, ſubdole velut carminum incantamentis impediverunt, quo minus hominum in mentibus Chriſtus naſceretur: otioſi dolorum, ex quibus piorum coetus laborabat, ſpectatores; quemadmodum complicatis manibus genibusque ſediſſe praeſtigiatrices illae dicuntur.

Cap. X. *Quomodo Galinthias, ſive Hiſtoris, a Parcis et Ilithyia in muſtelam vel felem conversa, ſed ab Hecate miniſtra eius reſtituta fuerit*, pag. 66-80.

Attamen Hercules vel his invitis naſcebatur. Effecit hoc eo, quem diximus, modo *Galinthias*, ſive *Galanthis*, ſive *Hiſtoris*, Tireſiae filia, imago diſcipulorum et ſectatorum patris ſui: ut ipſe pater vates atque doctores ſacros deſignat. Illa ſi fuit Alcmenae ancilla, ſpeciem exhibebit miniſtrorum eius populi, qui Servatorem in lucem produxit; quum Alcmena huius populi ipſius notam aliquam praebeat: ſin fuit inter ſocias eiusdem virgines, ſimilis erit Chriſti legatis atque piorum doctoribus. Qui quum pervidcrent, Iudaeos manibus genibusque colligatis Servatori naſcendo eſſe impedimento: coeperunt de loco, unde poterant ab his veneficis audiri, magna voce exclamare, hominum Servatorem natum eſſe. Sed aliqua adhuc

arte

arte utebantur. Nam eſſe Chriſtum iam tum natum, palam pronuntiabant: quamquam tenebrae ſupererant, neque formam ſuam Chriſtus hominum in animis habebat. At vero hoc praeconio ſtupefacti Iudaei, moram inferre deſierunt. Ita, quem dolum excogitaverat Galinthias, is eidem feliciter ceſſerat: de quo riſiſſe perhibetur. Parcae contra, vel praeſtigiatrices ſupra commemoratae, ſpem ſuam ſe fefelliſſe lugebant. Item gravi dolore Iudaeorum magiſtri afficiebantur, quod arte piorum miniſtrorum Chriſtus in orbem terrarum delatus erat. Interea novi foederis praecones, tamquam muſtelae aut feles, ab auctoritate et honoribus deſtituti, hoc munere fungebantur, ut domum vel civitatem piorum a muribus, parvis quidem illis ſed noxiis animalibus, ſeu falſis doctoribus, liberarent: quo conſilio veteres commenti eſſe videntur, Tireſiae filiam eſſe in muſtelam aut felem a Parcis converſam. Atque etiam Dei verbum, quod auribus acceptum veluti ſemen eſt piorum, ex ore legatorum Chriſti emiſſum eſt: qua de cauſſa Galinthias, praeter mutatam formam, hac etiam natura eſſe fertur coepiſſe, ut auribus conciperet, ore pareret. Iidem vero rerum divinarum doctores a coetu piorum delecti ſacrorum eius ſancti adminiſtri conſtituti ſunt, quibus Chriſtus, exſtructo ſibi templo, ſive comparata ſibi ſanctorum civitate, ſacellum prope templum ſuum aedificavit, ſeu hunc honorem tribui voluit, ut, ipſi quidem ſecundi, obſervantia tamen ſanctis hominibus debita colerentur: quod eſt, cur in fabulis traditum fuerit, Hecaten, pii atque electi a Deo populi imaginem, miniſtram ſibi elegiſſe Tireſiae filiam, Herculemque, aedificato ſibi templo, ſacellum eidem prope templum ſuum adornaſſe.

Hactenus de parturientis per ſeptem dies noctesque continuas Alcmenae doloribus diximus. Sunt autem, qui ſignificare voluiſſe videntur, commenta hic agi, non res vere geſtas, dum ſubito et ullo ſine dolore Alcmenam peperiſſe dictitant, idque Iovem effeciſſe Alcmenae honeſtandae cauſſa, graviter interea tonantem ac fulminantem,

Cap. XI. *De Alcmena ſine doloribus pariente: de tonitru ac ful-*

ita

mine, quum Hercules naſceretur, orto: item de cauſſa, cur quarto menſis die natus, filiorumque Iovis ultimus fuerit? p. 80-86.

ita ut flammis accenſa domus videretur. Enimvero accidere poteſt, ut cum dolore ſimulque ſine doloribus mulier pariat: ſaltem noſtra in cauſſa utrumque facile locum habebit. Servatorem gravi cum dolore velut enixi ſunt pii, exſpectatum magno deſiderio, magnasque inter aerumnas in orbem terrarum productum: attamen aſſeverare ſimul licet, factum hoc eſſe de improviſo, praeter omnem exſpectationem, et ſine doloribus, quum tempus illud ad laetitiam adeo inopinatam parum videretur comparatum eſſe, atque haec laetitia iis, qui Chriſtum in lucem emittebant, tanta accideret, ut dolores omnes, adverſam fortunam, impedimenta et afflictiones, vel nihili putarent, vel ne ipſi quidem ſentirent. Tonitrua atque fulmina praeſentis cuiusdam numinis documenta dare; neque deos umquam comparere, niſi ut inſigni gentes beneficio, malos poena afficiant, veteres crediderunt. Egregie et hoc cum Servatoris adventu congruit. Iudaeorum enim republica everſa, cultuque deorum ſublato, piorum coetus in lucem et libertatem eſt aſſertus: quae certe eventa, quaſi tonitrua ac fulmina, ſic hominum animos perculerunt. Fuit autem vita Chriſti, dum inter mortales ageret, omnis proſperae fortunae expers, plenaque miſeriarum; isque non ſuo, ſed aliorum bono, dura omnia paſſus eſt: quamobrem quarto menſis die Herculem priſci natum eſſe voluerunt; qui numerus ominis eſt ſiniſtri, quippe uno amplius auctus, quam ternarius. Ultimum denique Iovis filiorum Herculem habendum eſſe veteres ſtatuerunt, quo docerent, priſtinum quidem Dei populum dominis atque magiſtris, diis quoque et ſupremi dei filiis ſacrorum monimentorum fide appellatis, ſubditum fuiſſe, ſed novi foederis tempore, ſub unius Chriſti poteſtatem redactum, iugo hoc liberatum iri. Itaque poſt hunc natum alios etiam deos procreari, non erat rerum ſtatui conſentaneum.

Cap. XII. *De ablutio-*

Pergimus nunc deinceps ad ea, quae Herculis partum conſecuta ſunt, et puero illi acciderunt. Simul atque Her-

Digitized by Google

Hercules in lucem editus erat, quod ad ſecundam Chriſti in hominum animis procreationem ſpectat, ab Alcmenae ancillis, vel ab ipſa Alcmena, lotus eſſe dicitur: propterea quod, qui Chriſtum piis ſiſtebant, illi eum ab omni labe immunem, iuſtumque a Deo poſt reditum in vitam pronuntiatum, exhibuerunt. Lac, quod Hercules ſuxit, initiorum doctrinae de Chriſto notionem complectitur; neque haec alienum eſt matris lac dicere, quum ipſe piorum coetus eadem teneat: ita Chriſtus bonorum in mentibus tali lacte robur accepit. Virium Herculis, atque corporis eius tanta magnitudo, ut faſciis involvi ſeſe non ſineret, tantam Chriſti, quamprimum in hominum animis exiſteret, vim atque formam indicat, uti ad firmitatem quaerendam faſciis involvi neceſſe non haberet. Herculis cunae exemplar ſunt fiduciae piorum in Chriſto poſitae, qua confidenter credebant, ineſſe in eo omnia, quae ad ſalutem ipſorum vitamque aeternam facere poſſint. Sed uti agitabantur Herculis cunae, atque ſive a matre, ſive ab ancillis, ad ſomnum puero inducendum naeniae canebantur: ita animo fiduciae pleno Chriſtus erat agitandus, quo commodior et paratior requies eſſet, et verbum Dei, una cum promiſſionibus de Chriſto, ſemper et perpetuo mentibus occinendum, ut ſuaviter quieſceret Servator, ac talis de eodem profeſſio in dies propagaretur. Eo pertinet, quod pro cunis Herculi et Iphicli fuiſſe dicitur ſcutum illud magnum et aeneum, quod Pterelae luctando extorſerat Amphitryo. Quum enim Iudaei, quorum Pterelas ſpeciem habet, omnes ſibi promiſſiones Abrahamo factas vindicarent, cauſſam interferentes, eſſe ſe ſolos eiusdem poſteros: poſt Chriſtum natum patere coepit, veram Abrahami poſteritatem non eſſe niſi eos, qui Chriſtum eiusque iuſtitiam amplecterentur. Quoniam tamen, qui alterum defendit, is huius ſcutum dicitur: poteſt etiam Pterelae ſcutum ſectatores et propugnatores eiusdem ſignificare. In his, piis nempe Iudaeis, tamquam in cunis, repoſitus eſt Servator, quum naſceretur: his enim commen-

ne Herculis: de lacte, quod ſuxit: et de cunis eius: p. 86-99.

 men-

Digitized by Google

mendatus, inque animis eorum, velut in cunis, agitatus, requiem invenit, dum omnem in eo ſpem collocabant.

Cap. XIII. *De Hercule expoſito, Iunonisque mammis nutrito, atque de via lactea in coelis,* p. 99 - 118.

Alii vero, non felicem adeo Herculis ſortem fuiſſe, quum natus eſſet, ſcriptum reliquerunt. Nam ab Alcmena, Iunonem metuente, expoſitum aiunt fuiſſe. Ita profecto, qui Servatorem noſtrum mente genuerant, neque auſi ſunt, neque potuerunt eum ita educare, uti par erat. Regnabat eo tempore Iuno, ſive Iudaeorum natio, quae et ipſum, et eius ſtudioſos, ita urgebat, ut non auderent de eo profiteri. Quo factum eſt, ut ſibi relictus Servator, Iudaeorum et profanarum gentium furori traderetur. Nihilo tamen ſecius ipſa Iuno, Herculem implacabili odio proſequuta, mammas eidem, curante vel Mercurio, vel Minerva, praebuiſſe dicitur. Ad honorem divinum Iovis e filiis adſpirare neminem potuiſſe, facile crediderim, niſi quem Iuno filium ſuum agnoviſſet, aut lacte ſuo nutriſſet. Sic regnum coeleſte participare non poterat, niſi qui aut e Iudaeis, electo Dei populo, natus, aut ab his aliquo pacto adoptatus, lacte eorundem, ſeu initiis creditae ipſis doctrinae, paſtus eſſet. Hoc autem hominibus commodum paraverunt doctores atque vates ſacri, quorum Mercurius ſpeciem refert: vel paravit ipſe piorum coetus, cuius formam Minerva monſtrat, Iovis e cerebro nata, Vulcano eius caput ſecuri findente, ſicuti piorum coetus ab illa vatum divinorum ſerie, tamquam Vulcano, ortum habet, quae verbo divino, tamquam ſecuri, arcana Dei conſilia, veluti Iovis caput, aperuit. Itaque vel illorum doctorum, vel iſtius coetus provida cura factum eſt, ut doctrina Iudaeis olim credita Servator hominum in animis aleretur atque creſceret: etſi Iudaeis hoc invitis fiebat, non ſecus ac Iuno Herculem, ubi quid faceret, cognoviſſet, abieciſſe traditur. Sed non ſuppeditabat ad Chriſtum educandum, quae inter Iudaeos erat cognitio: hanc ob cauſſam Herculem ideo eſſe a Iunone repulſum alii ſcripſerunt, quod ſugentis vim ferre non poterat. Idem ergo populus, qui Chriſtum genuerat, liberalius eum lacte ſuaque

doctrina

Digitized by Google

doctrina educare iuſſus eſt: ut Herculem, ſecundum fabularum memorias, ad Alcmenam, matrem ipſius, Minerva eodem conſilio reduxit. Caeterum, qui poſtea doctores Chriſti coetum luce ſua colluſtrarunt, eorum univerſam cohortem ſimilitudine quadam exprimit lucidus ille coeli orbis, quem viae lacteae nomine inſignitum, lacte Iunonis effuſo ad hunc flexum eſſe formatum veteres fabulantur.

Aliis in fabularum commentariis relatum legimus, exitium aliud Herculi Iunonem machinatam eſſe, miſſis duobus vaſtae magnitudinis draconibus, ſimul ac in cunis repoſitus infans iaceret: ſed Herculem ambos, ambabus manibus prehenſos, ſuffocaſſe. Non raro cum draconibus conferuntur improbi doctores divinatoresque, qui dolo atque vi in homines impetum faciunt, criminumque ſuorum veneno necant, vel ipſo etiam adſpectu et uſu interficiunt. Malum adeo magiſtrorum ſuorum genus Iudaei quovis tempore contra Chriſtum ſollicitarunt. Sed manu ſua eos Servator ſuffocavit, ſeu piorum de Chriſto confeſſio os illis occluſit: quamquam magnum eius legatis aliquando terrorem iniicerent. Quodſi vero quis eos auctores ſequi malit, qui ab ipſo Amphitryone dracones iſtos immiſſos eſſe aiunt, tenendum eſt, fuiſſe etiam de piis Iudaeis multos, qui addubitarent, an Ieſus eſſet promiſſus a Deo Meſſias. Igitur his gratum fiebat, quod mali Iudaeorum magiſtri litem Chriſto moverent, ut exitus verum probaret: multi ſaltem, his ad ſilentium redactis, in vera doctrina ſunt confirmati.

Cap. XIV. *De draconibus duobus, ab Hercule in cunis iam ſuffocatis,* p. 118-126.

Suffocatis draconibus heros noſter, Alcaeus vel Alcides antea dictus, novo Herculis nomine ornatus eſt. Primum illud nomen, Graecorum lingua a robore ductum, aut virtutem roburque eius ſignificat, aut ab avo eius repetitum eſſe nonnullis videtur. Utroque modo Meſſias etiam Alcaeus vocari poteſt: ſive hoc fiat, ut avi eius nomen hominibus in memoriam revocetur, quod vates divinus, uti Moſes, rex uti Davides, Sacerdos uti Aaron vel Melchiſedecus, alter Abrahamus, alter Noachus, Habel,

Cap. XV. *De Herculis nomine, cognomine, et dura educatione,* pag. 126 - 138.

Adamus

Digitized by Google

Adamus eſſe debebat; ſive, ut robur eius ſignificetur, quod erat *Dei virtus.* Atque etiam novo poſt mortem victam nomine honeſtatus eſt, Rex et Meſſias populi ſui publice laudatus: quomodo Alcaeus draconibus victis Hercules fuit appellatus, quod nomen aut Iunonis, ſeu priſtini populi Dei, gloriam, aut fortium, ſeu doctorum ſanctae civitatis, gloriam ſignificat. Primigenii vero, ſeu natu maximi cognomen Herculis nomini egregie congruit: qui enim iuvenum ſive heroum princeps et primus eſt, is quoque natu maximus iure vocatur. His omnibus addere licet, numquam Herculem auditum eſſe ploratum edentem. Id ſi ad Servatorem ipſum accommodetur, declarat, magna eum patientia onus omne ſibi impoſitum; ignominiam quamvis, dolores omnes, ſuſtinuiſſe: ſin ad procreationem eius piorum in animis, ipſam horum piorum inſignem patientiam indicat. Quae tandem de Herculis educatione, victu, veſtibus, paſſim commemorantur, illa hanc in ſententiam eſſe videntur excogitata, ſive Chriſtum ipſum, ſive piorum coetum, inde a primis annis moleſtias ſubiiſſe graviſſimas, parum laute vixiſſe, neque veſtibus magnificis voluiſſe ſuperbire, ſed veſtitu etiam ſuae gloriae, auctoritatis, venuſtatis, fortitudinis, et patientiae dignitatem tueri.

Concluſio, p. 138 - 141. Quis mihi nunc auſit exprobrare, leves me tantum ſimilitudines aucupatum, et umbras conſectatum eſſe? Nonne vel minima quaeque ad Chriſtum accommodata eſſe, approbavi? Quid eſt ergo, quod haec omnia in Servatorem tam bene conveniunt, niſi commentis his eius quaſi formam quamdam effictam ante oculos ponere priſci voluerunt? An caſu et fortuitu hoc factum eſſe dicemus? Cur vero hoc eodem caſu non evenit, ut, quodcumque velis, his integumentis involutum deprehendatur? Sed qui hoc demonſtrare auſit, illum ad certamen provoco. Atque etiam, ſi fortuito hoc accidit, quid eſt quod Flori aut Livii commentarii non poſſunt pari modo de populo Dei, ſive priſtino, ſive novo, explicari. Quinimmo, cur

Lucre-

Digitized by Google

Lucretium vel Epicurum adhuc reprehendemus, quod ſplendidum hunc mundum fortuito exſtitiſſe decreverunt.

At, qui fieri potuit, dices, ut profanae gentes tantam ſacrorum noſtrorum cognitionem acquirerent? Saepius haec cantilena repeti ſolet. Ego vero a maioribus ſuis, Noacho eiusque filiis, eam profanos accepiſſe arbitror. At unde Noachus? Etſi hoc meum non eſt inveſtigare, quum ſacras litteras explicandas mihi non ſumam: tamen exploratum habeo, et vincere me poſſe confido, priſcos ea omnia ſcire potuiſſe, ac fuiſſe haec ſacris in litteris, iam ante Moſen et Abrahamum, immo ante quam gentes varias in partes diſpergerentur, manibus verſatis lectisque perſcripta; quibus ex tabulis Moſes librum ſuum primum, et Iudas Enochi vaticinationem, hauſit. Quid? quod tum Abrahami tempore, tum multo poſt, varias gentes Deus dignas iudicavit, quibus oracula ſua proderet: exemplo ſunt Melchiſedecus, Pharao, Iobus, Bileamus.

Unum tandem hic addam, quod in ſuperioribus dubium reliqui, Saturnum, aurea aetate coeli huiusque rerum univerſitatis dominum, coetum piorum ante Moſis tempora; liberos vero ſuos crudeli conſilio et animo imperii cupido devorantem, magiſtratus Iudaeorum Chriſti tempore, ſpecie ſua adumbrare.

Hactenus Scriptor noſter. Ne longiores ſimus, de corollario, quod adiecit, praeciſe admodum dicemus. Meleagri pater vel avus, Mars, exemplum eſt magiſtrorum omnium et doctorum litigioſorum. Oeneus, cuius ab uxore Meleager natus eſſe creditur, eſt etiam ex doctorum numero. Itaque Meleager inter doctorum filios, qui variis temporibus nati ſunt, erit referendus. Atalanta illius populi formam habet, qui novi foederis promiſſiones conſectabatur. Sus, ſive aper Calydonius, genus aliquod doctorum falſorum, qui Iudaeorum a partibus ſtabant, ſignificat. Hippomenes, ſive Milanion, perſonam agit doctorum Iudaicis opinionibus imbutorum; atque Venus, eadem in fabula, eorum, qui Moſis legem cum Chriſti praeceptis Pag. 142-214.

 copu-

Digitized by Google

copulare, vel Chriſti civitatem doctoribus Iudaicis ſubiicere ſtudebant. Denique pervulgatum de Actaeone commentum vivis quaſi coloribus doctorum novi foederis, Iudaicis opinionibus addictorum, fatum depingit.

Iam vero ex his, quae plenius commemoravimus, de ſententia eruditiſſimi noſtri ſcriptoris iudicium ferre lectori cuivis integrum eſto. Nos quidem diffiteri non poſſumus, firmiſſima etiam eius argumenta nobis talem, qualem ipſe voluit, Herculis ſpeciem non perſuadere. Duo praeſertim nobis ſcrupuli ſuperſunt, quos nobis facile eximi poſſe non putamus. Alterum eſt, quod, quae ingenio inveniuntur ſimilitudines, illae fere ſunt infinitae; nec rei veritatem tali in cauſſa, niſi variis uti liceat adiumentis adventitiis, definire queunt: alterum, quod ſacris novi foederis libris plane repugnat, tantam rerum, quae Chriſti coetum ſpectant, cognitionem, vel ipſis Iudaeis, nedum profanis gentibus, attribuere. Poſtremum hoc ſi idoneis argumentis ſcriptor noſter infirmare potuiſſet, habuiſſet certe adventitium aliquod ſubſidium, quo ſententiam ſuam multo redditurus erat probabiliorem. At levem hanc ſcriptor idem dubitationem eſſe cenſet, veluti cantilenas: quod ſanctas quasdam tabulas iam ante Noachi aetatem fuiſſe exiſtimat. Sed vero has nos plane ignoramus: atque viderit ipſe, ne rei obſcurae alia etiam longe obſcuriore lucem afferre conetur.

Reſtat nunc, ut, quam de ſimili olim argumento contra ſcriptorem hunc eumdem ſententiam diximus, illam paucis confirmemus. Fatemur primum, quae tum alius quidam ſcripſit, ea nobis non in univerſum probari: quamvis de ſumma rei idem ſentiamus. Etenim conquiſitis eiusmodi ſimilitudinibus fundamentum iacere Scriptorem Clar. voluiſſe, quo verum aliquod maximi momenti niteretur, non exiſtimamus: neque etiam has ſimilitudines Chriſti legatis, ad gentes profanas erroris ſui convincendas, viam, ea qua uſi ſunt vel meliorem, vel breviorem, aperire potuiſſe, iudicamus. Deinde vero ſimilitudines easdem, ut multae

multae ſint, et cum ipſa re plane congruant, tamen ad propoſitum probandum non ſufficere, itaque ridiculas eſſe, ex illis, quae ſupra de Herculis memoria explicanda diximus, ſatis patet. Quapropter ritus profanarum gentium, ob eiuscemodi ſimilitudinem, ex Dei veri ſacris non omnino repeti poſſe, ſimul apparet. Ipſa ſane inveniendi veri difficultas, quae haeſitare nonnumquam ſcriptorem noſtrum coegit, immo ſententiam mutare, teſtari poteſt, quam incerta hoc modo concluſio inſtituatur. Porro nos ad certamen provocari, ut Theologiam mythicam melius explicemus, quum Scriptoris noſtri ſententia nobis non placeat, idcirco vanum eſſe ducimus, quod foret infiniti laboris, ſi qua nobis iuſtis ex rationibus non probentur, ea omnia melius expedire. Denique in ea ſemper haereſi erimus, has tales explicationes, non illa quidem parte, quam Vir Clar. reſpicit, ſed rebus illis ſaepe ridiculis, quibuscum ſacra divina contenduntur, profanis hominibus ſanctae religionis deridendae occaſionem praebere: quod ita apertum eſſe videmus, uti certum eſt, res etiam graviſſimas, ſi fabulis aſſimilentur, ſolere deſpicatui duci.

IOHANNIS IAC. REISKE ANIMADVERSIONUM ad Graecos Auctores, Volumen Secundum, quo Lyſias et Plutarchi Opuſcula miſcellanea pertractantur.

Lipſiae, 1759. Alphab. 1. plag. 16. octonis.

Si, quae tardius incedunt, beneficia, quamvis promiſſa, gratiora tamen ſolent contingere, modo ſpes certa fuerit: ſane hoc Animadverſionum Volumen, cuius ſpem minime dubiam fecerat Cl. Auctor ante hos tres annos, ille nullius adhuc promiſſi immemor, quodque ex ipſius profeſſione ſerius paullo nunc quidem prodiit, nobis debet eſſe longe gratiſſimum. Sed e Reiskiano muſeo tardius progredi putantur, quae ab aliis feſtinanter emiſſa dicenda forent; adeo illius felix et foecunda muſa

Digitized by Google

iuſſit nos hactenus ſtatis temporibus egregios et ſaluberrimos foetus ex ipſa non tam quaerere, quam vere ſuſcipere. Neque vero nunc demum ab eo more deſcivit, ſed tamen vel deſerto ab eo vadimonio, voluntati noſtrae votisque factum eſt ſatis. Ipſimet enim magnam voluptatem cepimus ex impedimento illo, munere novo, quo nuper cum plauſu omnium bonorum ornatus eſt Cl. Reiskius, quodque viciſſim ornatur et virtute ipſius et doctrina. Vel haec igitur mora aliquanto gratius nobis iucundiusque reddidit donum hoc, per ſe ſatis gratum atque acceptum. Primum enim Lyſiam et Plutarchum, illum Attici ſermonis elegantia principem, hunc omnis doctrinae varietate divitem, explicatum emendatumque vidimus; tum vero eadem uſum eſſe Cl. Auctorem in his Animadverſionibus et felicitate et ſolertia reperimus, quam viris doctis dudum probaverat. Et ratio quidem univerſa interpretationis Reiskianae, qualis ſit, ex commendatione ſuperioris voluminis ſatis putamus conſtare. Sed, quando tantum temporis intervallum factum eſt, non alienum fuerit, ut tutius fiat iudicium, eam breviter hoc loco ſignificare. Cum igitur animum induxerit Cl. Auctor, quae ipſi in legendis graecis Scriptoribus omnibus obſervata eſſent, ea deinceps in lucem edere, facile, opinamur, intelligitur, eum neque perpetuum commentarium, neque notas diſputationibus ſimiles aut collectaneis, ſcribere voluiſſe, quibus artificiis opus eſt iis, qui in uno Scriptore illuſtrando omnem eruditionem effundere et iactare cupiunt: ſed quae in unoquoque loco difficiliori vel ad emendandum, vel ad illuſtrandum, neceſſaria putaret, ea breviter, et ſine ulla oſtentatione ingenii et doctrinae, in medium protulit. Ad hunc igitur modum erunt hae quoque Animadverſiones iudicandae: de quibus, ante quam noſtrum feramus qualecunque iudicium, utriusque praefationis mentio facienda eſt, et ipſius refertae plurimis iisque egregiis obſervationibus. Et in altera quidem, Animadverſionibus Lyſianis praefixa, nihil fere agit aliud, niſi ut excuſet ſe, quod

Digitized by Google

quod poſt Editores ambo clariſſimos, Taylorum et Marklandum, ſuſtinuerit ipſe quoque Lyſiam aggredi. Quales cum nondum contigerint Plutarcho, in altera praefatione ad opuſcula eius moralia, ſive ut mavult Reiskius, miſcellanea, diſputat de ſubſidiis, quibus futurus Editor Plutarchi debeat inſtructus accedere. Et aliorum quidem fontes indicat, aliorum commemorationem copia eruditionis comitatur, veluti de chronologia, ad quam ſcripti exiſtimandi ſunt ſinguli libri, de libris Plutarcho affictis, de editionibus, de dictione Plutarchi etc. Inſertae ſunt etiam notulae Salmaſii ad hos libellos, nunquam antea editae, unde non contemnendum decus huic Animadverſionum volumini conciliatur. Sed excerpta dari cum omnino nequeant ex huiusmodi libris, tum ex hoc multo minus, in quo brevitati Animadverſionum laudabili exemplo vel maxime ſtuduit Cl. Auctor, cum ſignificaret, quid de quoque loco ipſi videretur, quomodo ei medelam afferendam putaret. Quo in genere cum maxime verſata ſit opera Cl. Reiskii, operae pretium nos facturos putavimus, ſi luculento quodam exemplo, quam feliciter eius ingenium in emendando elaboraverit, demonſtraremus. Contulimus igitur integrum libellum Plutarchi, de audiendis poëtis, cum editionibus veteribus, quarum copia facta Reiskio non fuerat; atque in his reperimus magnam partem emendationum, in hoc Animadverſionum volumine prolatarum: adeo feliciter vicarias operas praeſtitit ingenium. Sed ſpicilegium quoddam proponamus:

Pag. 129. *ὅμως* delendum putat Cel. Reiskius, quod et abeſt ab Ald. et Baſ.

Pag. 130. pro *πρὸς συμφέρον* legi vult *πρὸς τὸ συμφέρον*, quod idem exhibet Turneb.

Pag. 132. pro *κεκραμένοις* legi vult *κεκραμένης*, quod et ipſum habet Turneb. Bongarſ.

Simillimae lectiones emendationibus Reiskianis hae ſunt:

Pag. 128. pro vulg. *ἔτι ποιητικῆ* legi vult *καὶ ἡ ποιητικὴ*· Sed *ὅτι ποιητικὴ* iam eſt in Aldina.

Pag. 128. pro *αὐτὴν* emendat *αὐτοῦ*. Ecce *αὐτȣ̃* habet Vulcob.

Pag. 130. *Ζεὺς γὰρ οἱ νεμέσα ἂν ἀμένονι Φατὶ μάχοιτο.* Hunc verſum ita vult legi: *Ζεὺς γάρ τοι νεμεσᾷ ἂν ἀμένονι ἀνδρὶ μάχοιο.* Potterus eodem prope modo emendavit: *Ζεὺς γάρ τοι νεμεσᾷ ἂν ἀμένονι φωτὶ μάχοιο.*

Pag. 131. pro *ἐάσωμεν* leg. *ἐάσομεν*. Vulc. habet *εἰάσομεν*.

Unde autem magis de bonitate emendationum conſtet, ſi hoc non debeat argumento eſſe? Sed profecto optandum foret, ut, qui de bonis literis bene mereri cupiunt, iis ſuppeterent editiones principes librorum, aliaque ſubſidia, ne morarentur eos perverſae lectiones, et loci nonniſi vitio recentiorum editorum obſcuri: qua re futurum eſſet, ut aliis in locis tanto magis poſſet verſari ſagacitas critica, ubi eam ſilentium codicum MStorum et Editorum haud paullo magis deſideraret.

LA SAINTE BIBLE, OU LE VIEUX ET LE Nouveau Teſtament, avec un Commentaire litteral, compoſé de Notes choiſies et tirées de divers Auteurs Anglois.

id eſt:

SACRA BIBLIA, CUM COMMENTARIO expoſitionis litteralis, concinnato ex ſelectiſſimis annotationibus, atque e diverſis Auctoribus Anglicis decerpto:

TOMI V. PARS PRIOR.

Amſtelaedami, apud Marcum Michaelem Rey, 1760. 4. mai. Alph. 1. plag. 17.

Ecce tibi Lector, continuationem Operis, ſplendore ſuo iam inde ab anno aerae, qua uti ſolemus, vulgaris 1743. longe celeberrimi, annunciamus, eamque prodeuntem adornante iam nunc *Carolo Caſio (Chais)*, Viro erudi-

eruditiſſimo, Paſtore eccleſiae Walonenſis, quae Hagae Comitum floret. Continuat hoc opus edi eodem cum ſplendore, quo coepit, neque quicquam, quod exoptabile illud atque illuſtre poſſit reddere, deſiderandum relictum eſt etiam in hoc Tomo, niſi mappae geographicae, quippe heic ſuperfluae. Ingenioſa ſane aſſiduitate in perficiendo hoc opere deſudat *Caſius.* Praemittuntur huic Tomo, Praefatio in librum *Samuelis* priorem, et duae *Diſſertationes* ad explicationem Capitis XXVIII. eiusdem libri pertinentes, quibus ſpectri, quod Saulo adparuit, qualitas perquiritur. Una eſt R. P. D. *Calmeti*, deſumta ex huius *Disquiſitionibus biblicis*, quae ſub auſpiciis Viri Cel. ſed νῦν ἐν ἁγίοις *Laur. Moshemii*, et cum adſperſis eiusdem notis, in linguam nobis vernaculam translata, iamdudum apud nos celebratur. Legitur in verſione *Tom. IV. pag.* 78—136. Altera eſt *Stackhouſii*, ex Anglico ſermone in Franco-Gallicum in hunc finem translata. Sequitur Additamentum quoddam eodem pertinens, ex *Novis Commentariis Hiſtorico-Criticis Abbatis d'Artigny*, et quidem e *Tomo V. Art.* §. 83. excerptum. Ipſa huiuſce *Tomi V. Pars I.* complectitur non niſi *priorem Samuelis librum: Pars II*, quae mox eſt in lucem proditura, poſteriorem continebit. Decerpere ante omnia quaedam nobis liceat ex *Praefatione* Cl. *Caſii. Hieronymus* in Verſione duos Samuelis libros, uti §. 1.
olim originetenus fuerant, uno eoque continuato libro in latinum ex hebraico tranſtulit: LXX. in duas partes diſpeſcuerunt hoc opus, adiecta denominatione *de Regnis;* eos dein ſecutus eſt Auctor Vulgatae, mutato paulum titulo *de Regibus.* Meliora eligens, cum recentioribus omnibus, Auctor noſter, nomen et diviſionem codicis Hebraici *in librum Samuelis unum atque alterum* retinet. Samuelem nonniſi Au- §. 2.
ctorem librorum iſtorum, poſt Spiritum ſanctum, primarium eſſe, cum *Wellſio* declarat, addendis ſcilicet ſeptem Capitibus ad calcem prioris libri, forſan per Prophetas *Gad* et *Nathan.* *Grotii* ſententiam, *Ieremiae* hoc opus tribuen- §. 3. 4.
tis, recte reiicit, et ſaltem auctore alio quocumque, Samuele

muele ſuperſtite, eodemque divinitus adflato, completum illud atque emendatum eſſe, contra *Iſidorum, Spinozam, Hobbeſium*, *P. Simonem*, *Clericum*, alioſque ſuſtinet. Emendatum autem revera, atque adauctum eſſe ab aliis Scriptoribus divinis, probat locis Cap. V, 5. VI, 18. VII, 1. 2. 15. IX, 9. XIII, 1. XVI, 14. XVIII, 16. XXVI,
§. 5. 6. 7. 6. XXX, 25. Sequentia finem, ſeu conſilium ſcribendi operis, in continuanda ſcilicet hiſtoria populi Dei, qua verae religionis intereſſet, et enarranda Theocratia poſitum, reſpiciunt, vitaeque Samuelis memorabiliora ordine
§. 8. recenſent. Theocratiam per reges Iſraelitarum, etſi quodammodo immutatam, tamen nequaquam eſſe ſublatam, rite probat: retentam nempe eſſe a Deo, qua auctoritatem ſupremam; ceſſaſſe autem tunc demum, quum Sceptrum ab Iuda penitus ablatum eſſet, *Geneſ.* XLIX, 10. templumque deſtrueretur, adeoque ipſe cultus Moſaicus aboleretur. Demonſtrationem ſumſit ex *Warburtoni divina Moſis legatione*, eamque conficit ſex argumentis. Primo, regem a Deo, non a populo electum, Deique quaſi legatum fuiſſe: ſecundo, non niſi poteſtatem, exigendi legum obſervantiam, minime autem legum ferendarum, conceſſam regi: tertio, reges, tamquam legatos, a Deo ſubinde remotos: quarto, eandem poenam decretam iis, qui *Uncto Domini*, quam qui Deo maledixerint: (Recte taxare nobis videtur h. l. abuſum huius tituli eum, cum Unctos Domini adpellant Reges quoscunque, quippe praerogativam, non niſi iis convenientem, qui ſolio Meſſiae ſederunt:) quinto, regnum monarcharum Iudaicorum ſemper *regnum Domini* fuiſſe adpellatum: ſexto denique, idololatras morti devotos eſſe ſub regibus, uti ſub praefectura iudicum. His addidit Noſter obſervationes duas, idem vindicaturas, legem nempe divinam, novo cuicunque Regi a Deo praeſcriptam, *ius regni* adpellatam, 1 *Sam.* X, 25: et interceſſionem Dei in rebus gerendis inſignioribus, prae-
§. 9. ſertim imperantibus Saulo et Davide. Caetera docent
§. 10. uſum legendi libros Samuelis moralem; allegant eiusdem aucto-

auctoritatem canonicam, quippe omni tempore extra dubium poſitam; atque dividunt libellum ſecundum *Henricum*, *Franc. Burmannum*, *Heideggerum*, et *Carpzovium*, in tres ſectiones principales, hiſtoriam Eli Sacerdotis, a Cap. I. ad IV: Samuelis a Cap. IV. ad XII: et regni Sauli a Cap. XIII. ad XXXI. Difficillimam denique, Auctor aſſerit, eſſe ſpartam ſtabiliendi veram rerum-geſtarum, in hoc libello enarratarum, chronologiam. Facile vidit Auctor eruditiſſimus, duces, quos hac in re ſequi adhuc ſolitus eſt, quorum princeps erat *Uſſerius*, a veroſimili ſubinde potuiſſe deflectere. Si e re ſua duxiſſet, perquirere de his opuſcula quaedam Theologorum noſtratium, (in quorum numero iis, qui vernaculam noſtram non intelligunt, *Ordinem Temporum*, et *Cyclum magnum b. Alberti Bengelii*, et induſtriae et pietatis nomine merito commendandum duceremus,) forſan variae dubitationes luci, a noſtratibus praelatae, conceſſurae fuiſſent. §. 11.

§. 12.

Sequuntur in opere hoc, poſt Tabulam chronologicam, ſecundum Uſſerium praecipue conformatam, et ſubinde paullo immutatam, iam memoratae Diſſertationes duae, *Auguſtini Calmeti* altera, altera *Stackhouſii*, ſuper ſpectro, quod Saulo 1 *Sam.* XXVIII, 11. 12. adparuit, conſcriptae. *Calmeti* diſſertatio diffuſa ſane eruditione referta, atque ſententiis ferme omnium Rabbinorum et Patrum eccleſiae ſuper hac controverſia adornata, in iis, in quibus erravit doctiſſimus Auctor, ſolide refutata eſt a *Moshemio* noſtro in notis. Iſtas ſi conſulere potuiſſet noſter, forſan reiecturus erat et *Calmeti*, et *Stackhouſii*, et *Artignii* ſententias. *Stackhouſius* e. c. in hoc toto coelo aberrat, quod mortuos pro lubitu per terras vagari, et adparere amicis poſſe ſtatuit, ideoque Samuelem etiam, amore, quo ferebatur erga Saullum, commotum, ei adparuiſſe credit. Sed cum *Calmeto* et *Stackhouſio* erravere Patres, et alii, ut *Iacobus Saurin Tomo IV. p.* 466. ſq. *Diſputationum biblicarum*: *Patrikius*, Interpres Anglus: *Delany* in *Hiſtoria vitae et regni Davidis*, *Iſraëlitarum regis*, *pag.* 363. ſq.

 et

Digitized by Google

et *Petrus le Brun* in *Hiſtoria critica praxeon ſuperſtitioſarum,* Tomo IV. pag. 14. ſq. Ventilata denuo nuperrime inter noſtrates quosdam Theologos, *Schroeerum* et *Schmeerſahlium,* et quam vehementiſſime agitata eſt controverſia. Sed profecto neuter iſtorum rem tetigiſſe nobis videtur, licet prior vero aliquanto propius acceſſerit, quam poſterior. Diſtinguere debebant doctiſſimi Interpretes in textu hiſtorico inter id, quod enarret Scriptor, et illud, quod ſentiat aut iudicet. Quum autem Scriptor ſanctus omnino adfirmet diſertis verbis, et feminam et Saulum cognoviſſe Samuelem, Saulumque cum Propheta collocutum eſſe: dubium omne concidat neceſſe eſt, ſic utique ſe rem habuiſſe, quoniam Scriptor Θεόπνευςος memoriae prodidit. Spectrum autem fuiſſe id, quod conſpiciebatur, et cum Saulo verba miſcebat, ſatis exinde elucet, quia veroſimile non eſt, Deum, qui a Saulo penitus receſſerat, aut per Prophetas, aut per ſomnia, aut per Urim ei reſponſa dediſſe, quin pythoniſſae gratia Samueli iuſſiſſe, aut conceſſiſſe, ut adpareret. Ideoque adparitio illa Samuelis non niſi adparitio, ſeu ſimulacrum, ſeu ſpectrum, id eſt ſenſatio, (ut ita dicere liceat,) fuit, ab operatione diaboli immediata profecta. Haec de praemiſſis ſufficiant. Commentarii, qui huic libello ſubiiciuntur, ſunt *Patricki, Willeti,* Theologorum, qui *Bibliis Anglicis,* iuſſu procerum Angliae, Anno MDCXL. notas adſperſerunt, item *Poli, Wellſi, Stackhouſii, Pylii, Walli, Henrici, Mendozae, Whiſtoni, Delanii, Spenceri, Berruyerii, Houbigantii, Collectorum hiſtoriae univerſalis,* et aliorum. Obſervationes ad chronologiam pertinentes decerptae ſunt ex *Uſſerio, Desvignolio, Bedfordio, Harduino, Scaligero;* criticae, hiſtoricae, geographicae, et phyſicae ex *Kennicotti* libro incomparabili, qui Viris doctis quotquot ſunt rerum iſtarum ſatis gnari, neque obſeſſi praeiudicatis opinionibus magnopere probatur, ex *Doughtaeo, Glaſſio, Vitringa, G. L. Oedero, Witſio, L'Empereur, Fortun, Scaccho, Tarnovio, Schultenſio, Wagenſeilio, Starkio, Lakemachero, Deylingio, Zornio, Seldeno, Scotto* et *Webſtero, Saurino,* *Lydio,*

Digitized by Google

*Lydio, Medo, Victorino Strigelio, Braunio, Claytono, Lu-
dolpho, Buxtorfio, Briſſonio, Waterlando, Vatablo, Iunio,
Lightfootio, Grotio, Eſtio, Tremellio, Martianaeo, Bud-
deo, Schickardo, Bodino, Schuckfordio, Thorndickio, Lewi-
ſio, Goodwino, Boulducio, Stillingfleeto, Bartoloccio, Cunaeo,
Venema, Kiddero, Cumberlando, Pfeiffero, Relando, Sha-
wio, Cellario, Sykio, Macknightio, Bernardo de Breiten-
bach, Cocceio, Perizonio,* ex novo Theſauro philologico,
ex *Bocharti* Canaan et Hierozoico, *Derhamo, Scheuchzero,*
aliiſque. Sed ohe, iam ſatis eſt. Nunc ad memorabi-
liora quaedam interpretationis ipſius accedimus. Ad
1 *Sam.* I, 2. Polygamiam licitam fuiſſe ex dictis et exem- Pag. 3.
plis, h. l. Elkanae, hominis Levitici, aliorumque mon-
ſtratur; praecipue ubi prior uxor ſterilis reperta fuiſſet. pag. 4.
Manah achath appajim, verſ. 5. eiusd. Capitis, exponitur per
portionem ex optimo, cum moerore mariti amantis da- pag. 13.
tam. *Morid ſcheol vajjaal, Cap.* II, 6. figurate, et quidem
ſic intelligendum eſſe aſſeritur: *ex infortunio ad felicitatem
conducit* Deus. Canticum Annae, II, 1 — 10. non ita pag. 16.
recte, uti nobis quidem videtur, eſt explicatum. Παρα- pag. 17.
φράζουσιν Angli Interpretes nimia ſaepe cum temeritate. Ut
vindicarent prophetiam 1 *Sam.* II, 33. tres fecerunt, cum pag. 25.
W. Whiſtono, Sacerdotes, nomine *Abiathar* praeditos:
unum, qui Sauli furorem evitaturus ad Davidem ſe recepit;
ſed hic numquam Pontifex fuit: alterum Sacerdotem ſum-
mum, circa ultimum Sauli regnum creatum: tertium
eum, qui hac dignitate privabatur a Salomone. *Mekale-
lim Cap.* III, 13. de filiis Heli Sacerdotis dictum vocabu- pag. 29.
lum, emphaticum eſſe contendunt, *exſecrabiles ſe fecere* Sa-
cerdotes, ſ. nomini Dei blaſphemiam conciliarunt. *Bid-* pag. 30.
bhar Iehovah verſ. 21. intelligendum eſſe de *Dei filio* pu-
tant, qui ſenſu eminentiori verbum Iehovae adpelletur. pag. 33.
Abductionem arcae foederis in caſtra *Cap.* IV, 4. a Deo
reprobatam eſſe recte ſuſtinent, quia ſine rogato Deo id
fecerint Iſraëlitae. Pulveris adſperſionem ſuper caput, pag. 35.
ad *verſ.* 12. ſignum triſtitiae non apud Hebraeos tantum,

Digitized by Google

ſed et gentilibus commune fuiſſe, monſtratur ex *Virg. Aen.*
Pag. 37. XII, 606—611. De ſtatu Heli Sacerdotis poſt mortem, diſputant eruditi, ad *verſ.* 18, imprudenter quidem noſtra ſententia. *Saurinus* multa adfert, quibus excuſare ſtudet infortunatum patrem, ita ut optima de eius ſalute ſperare
pag. 44. non dubitet. *Koſemim, Cap.* VI, 2. modo *augures*, modo *ſapien-*
pag. 47. *tes* ſignificare, probatur. *Argaz* vocabulum, quo arcula illa adpellatur *verſ.* 11. in quam dona principum Philiſtaeorum coniiciebantur, ex lingua Philiſtaeorum, non Hebrai-
pag. 51. cum eſſe, creditur. Numerus eorum, quos morte mulctavit Deus propter temerariam arcae inſpectionem, reducitur *verſ.* 19. ad ſeptuaginta, et ſignificatur, comparationem eſſe h. l. cum quinquaginta millibus hominum, occi-
pag. 53. ſorum inter Philiſtaeos. *Vajinnahu, Cap.* VII, 2. vertitur per verba, *reſpiciebant* Deum: recte, uti nobis quidem videtur.
p. 56. 57. Ea, quae ad *verſ.* 6. de aqua in ieiunio per Samuelem
p. 64. hauſta dicuntur, lectu digniſſima ſunt. *Miſchpat hammelech, Cap.* VIII, 11. explicatur per rationem gerendi imperii, qua utuntur reges erga ſubiectos ſibi cives. *Houbigantius* vertit: *Tale ſibi imperium arrogabit.* Vocabulum
pag. 70. *jechdal* notare angorem maximum, ad *Cap.* VIIII, 5. mon-
pag. 73. ſtratur. *Jazor*, de Saulo rege, *verſ.* 17. dictum, ſignifi-
pag. 77. cat *ſubiicit.* Ungendi regis caerimoniam non niſi apud eos uſitatam fuiſſe demonſtratur ad *Cap.* X, 1. qui primi ex quacumque familia imperio ornarentur; ita Saul, David, et Iehu uncti ſunt: et apud illos, quorum ſucceſſio in diſceptationem venerat; ita Salomon unctus eſt, quoniam Adonias contra voluntatem divinam rex iam proclamatus
pag. 80. erat. Obſervationes interpretum circa ſcholas propheta-
pag. 81. rum ad *verſ.* 5. digniſſimae ſunt, quae legantur. *Nebhel, ibid.* eſt teſtudo duodecim chordarum; *Kinnor,* nablium decem chordarum, idemque, quod Graecorum *νάβλα* et *κι-*
pag. 97. *νύρα. Bedan, Cap.* XII, 11. inter liberatores populi Iſraëlitici numeratus, quisnam fuerit, in dubio relinquitur. *Ben*
pag. 102. *ſchanah Schaul bemalco, Cap.* XIII, 1. ſic exponitur: Annum poſt unctionem imperaverat Saul usque ad tempus,
quum

Digitized by Google

quum fugaret Philiſtaeos, et urbem Iabes liberaret, et ideo
Gilgale in regno confirmaretur; Anno ſequente, ſeu ſe-
cundo, elegit tria millia hominum, etc. *Ad olam, verſ.* 13. Pag. 108.
per verba, donec ſubſiſtet ex te nata poſteritas, explica-
tur. *Rimmon, Cap.* XIV, 2. pro nomine rupis proprio ſu- pag. 113.
mitur, in tribu Benjamin ſitae. Ad *Cap.* XV, 3. ſententia pag. 127.
Dei, contra Amalekitas lata, recte defenditur. *Jad,* pag. 131.
verſ. 12. per *trophaeum,* erectum Carmeliae, explicatur.
Ad *Cap.* XVI, 14. de Spiritu pravo, Saulo a Deo immiſſo, pag. 142.
temeraria nobis videtur interpretum Anglorum ſententia,
neque tam ex principiis theologicis, quam neophiloſophi-
cis concepta. Male autem philoſophari nobis videntur ii,
qui poſſibilitatem obſeſſionis diabolicae corporalis ideo pla-
ne negare audent, quia qualitates et effectus actionesque
ſpirituum non cognoverunt. De nuditate Saulli, *Cap.* XIX, pag. 170.
24. inter prophetas recte ſtatuunt, non niſi depoſitionem
veſtium exteriorum ſignificari. Ad *Cap.* XXI, 14. 15. varia pag. 184.
dicunt interpretes de morbo, quo David correptus fuit
apud regem Philiſtaeorum Achiſum. Rectiſſima atque opti-
ma nobis videtur interpretatio illa, qua Davidem, terrore
perfuſum, ad tempus convulſionibus epilepticis, cum vero
delirio coniunctis, fuiſſe adfectum ſtatuunt, fictionemque
tunc temporis locum habere non potuiſſe aſſerunt; quae
interpretatio textui Hebraico quam maxime reſpondet. In- pag. 199.
terpretatio verborum *Cap.* XXIV, 4. *lehaſech eth - raglav,*
per verba: *ut dormiret,* valde nobis arridet, et probe ſta-
bilita eſt hoc loco. Quae ad *Cap.* XXV, 39—41. dicuntur, pag. 214.
adfectatam magis elegantiam amantium recentiorum redo-
lent, quam mores antiquitatis ſimpliciores. Locum *Cap.* pag. 231.
XXVIII, 11. de adparitione Samuelis apud pythoniſſam
Hendoream interpretantur ſecundum *Calmetum* et *Stackhou-
ſium,* duces erroneos ſecuti, quod ſupra iam diximus. *Hag-* pag. 239.
giſcha na li haëphod, Cap. XXX, 7. recte exponunt per: *in-
due Ephod in meam utilitatem,* contra *Cunaeum,* qui ſtatuit,
Davidem ipſum induiſſe veſtitum ſacerdotalem, ut quaere-
ret ex Deo, quid conſilii capiendum ſit. *Jachel* de Saulo pag. 245.

Digitized by Google

dictum, *Cap.* XXXI, 3. ſic interpretantur: Saullus ipſe, vulnere lethali iam adfectus, in terrore verſabatur quam maximo. Sufficiant haec lectoribus noſtris. Quod olim fecimus, repetimus et nunc. Precamur Editori doctiſſimo vires corporis tales, quae contentionem animi ſuſtinere valeant. Quantum enim adhuc illi eſt maris aequor arandum.

GEORGII GOTTL. BOERNERI I. U. D. DE modis ſanciendi foedera pacis Imp. R. G. Commentatio.

Francofurti, 1759. plag. 7. quatern.

Non illam, quae ante Pacem Weſtphalicam adhibita fuit in foederibus pangendis, rationem, doctiſſ. Auctor commemorandam ſibi in hoc libello propoſuit, ſed ab hac demum Pace, qua felicitas publica Imperii ſtabilita et confirmata eſt, ſcribendi initium fecit. Hinc enim pacis componendae ratio novam quaſi faciem accepit, quoniam illud obtinuit, ut non ſolus Imperator, ut antea, pacem ſanciret, ſed omnes etiam Imperii ſtatus ſuas partes agerent. Deſcriptus vero eſt hic libellus in ſeptem Capita. Definit in primo Auctor foedera pacis Imperii, et naturam eorum explicat. Foedera pacis Imperii R. Germ. ait eſſe pacta ab Imperatore et Statibus inter ſe, vel ab Imperatore et Statibus cum exteris imperantibus, belli finiendi cauſa, ſub variis conditionibus inita. Hic ſimul multis id agit, ut Imperatorem et Status coniunctim ius foederis ſanciendi exercere debere demonſtret. In ſecundo Capite oſtenditur, quando ius pacis faciendae cum Statibus Imperii communicatum fuerit. Diſſentit Auctor a Spenero, qui a primordio regni Germanici conſenſum Statuum Imperii neceſſarium fuiſſe tradidit; exiſtimat potius, eo tempore Status Imperii ad pacis Imper. negotium, cum conſilii dandi ſplendoriſque augendi

di cauſa, tum ad vitandas ſuſpiciones contentionesque, ab Imperatore adhibitos fuiſſe. Imperator Sigismundus demum A. C. MCCCCXXXI. in comitiis Noribergenſibus hunc conſenſum Statuum Imperii inſtituit. Pergit Auctor ad varios modos, quibus a Pace Weſtphalica inde foedera pacis Imperii ſancita fuerunt, et in Capite tertio illum maxime ſollemnem, et dignitati Imperii conſentaneum modum proponit, ubi negotium pacis in conventu totius Imperii conficitur. Maxime vero hoc Auctor ex hiſtoria Pacis Weſtphalicae illuſtrat, et in Capite quarto de altero modo ſanciendi foedera pacis Imperii exponit, quo foedera ab Imperatore et Deputatis Statibus Imperii ſanciuntur. Qua occaſione Auctor de Deputationibus Imperii in univerſum diſputat, et earum inprimis Imperii Deputationum extraordinariarum, extra Comitia habitarum, mentionem facit, quas nonnunquam pacis Imperii ſanciendae cauſa inſtitutas fuiſſe legimus. Deinde Auctor de conſtitutione Deputatorum, et de ratione tractandi diſſerit. Tranſimus ad Caput quintum, in quo lex illa Capitulationis: ubi feſtinatione opus ſit, ſaltem Electorum conſenſum ad foedera pacis Imperii initio requiri: illuſtratur, et cum hiſtoria, tum ſententia illius, explicatur. Hic etiam demonſtrat, conſenſum Electorum ad foedera pacis Imperii, ubi feſtinandum ſit, utiliſſime et aequiſſime conſtitutum eſſe. Sed eiusmodi quoque foedera pacis Imperii extant, quae ſolus Imperator, impetrato antea Statuum mandato imperii nomine agendi, iniit cum exteris principibus. De his Auctor in Capite ſexto agit. Nulla Imperii quidem lege dicit conſtitutum eſſe, ut Imperator ex mandato Statuum foedera pacis Imperii etiam nomine inire poſſit; iſtum tamen modum nihilominus valere. Nam ex iure publico et privato univerſali conſtare, quemlibet exercitium iuris ſui, aliusve negotii, alteri demandare poſſe, niſi pacto aut lege ſpeciali prohibeatur; quemlibet etiam mandato, hoc

eſt

eſt pacto de negotio gerendo, tantundem obligari quam facto proprio. Ter data eſt Imperatori a Statibus univerſis facultas, ſuo nomine foedera pacis ſanciendi: nimirum Carolo VI. ad faciendam Imperii etiam nomine, pacem Badenſem; in negotio pacis Viennenſis, Anno MDCCXXV. cum rege Hiſpaniae initae; in altera pace Viennenſi cum rege Galliae A. MDCCXXXVIII. pacta. Obſervat Auctor, ex his exemplis elucere, mandata Imperii tum demum poſtulata fuiſſe, cum de pacis conditionibus in foedere quodam praeliminari iam conveniſſet: quae tamen ratio iuri Statuum, ad foedera Pacis Imperii concurrendi, repugnare Auctori videtur. In Capite ſeptimo V. Cl. exemplum pacis proponit, a ſolo Imperatore, ſuo et Imperii nomine factae, cui deinde Statuum aſſenſus acceſſerit. Etſi enim Pax Weſtphalica conſenſum omnium Statuum ad foedera pacis Imperii requiri conſtituerat, in proximo tamen pacis Noviomagenſis conventu, Anno MDCLXXVI. inchoato, hic conſenſus neglectus fuit. Quod quidem exemplum copioſe ab Auctore, et docte, ut reliqua omnia, illuſtratur.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Auguſti Anno MDCCLIX.

CONTINUATIO SECUNDA EMENDATIONUM HEUMANNIANARUM TERTULLIANI.

Duo prima *Apologetici* capita in *Poeciles* meae *primo Tomo* partim interpretatione illuſtravi, partim emendavi: et *primum* quidem *caput* p. 27. ſqq. *ſecundum* p. 197. ſqq. Reliqua capita eodem modo pertractavi in *Tomo ſecundo Miſcellaneorum Groninganorum* p. 470. ſqq. Superſunt tamen plura in *Apologetico* hoc partim corrigenda, partim interpretanda: quae nunc exhibeo ad paginas editionis Havercampianae.

Pag. 46. lin. 2. pro *neſciunt* lege *non neſciunt*. Error typographi.

P. 57. lin. 2. lege *erit. Homo.*

P. 63. lin. 4: *Qui ſicut non palam ab eiusmodi hominibus* (Chriſtianis) *poenam dimovit*, etc. Lipſius in nota ad libri ſui ſecundi *de cruce* caput 14. p. 131. reſcribit: *Qui ſicut palam.* Quod ait Tertullianus, (ita pergit,) poſſis vel ad crurifragium referre, vel ad vivicomburium, quo affici accuſatores Chriſtianorum iubet Imp. M. Aurelii epiſtola, apud Onufrium in *Faſtis* expreſſa.

P. 75. lin. 3. *de die*, von Tage zu Tage.

P. 104. lin. 2: *ἔλαυνε, dicebant*, τὴν μητέρα. Clericus in Tomo decimo quinto *Bibliothecae* ſuae *antiquae et novae*

p. 106. pro ἔλαυνε reſcribit ἐβίνει, et hanc ſcripturam docet eſſe veriſimillimam. Adiicio verba Ciceronis Lib. IX. *ad famil.* epiſt. 22: *Cum tibi dico BINI, tu facis, quaſi ego Graece* (βίνει) *dixerim.* Et in Epicteti *Enchiridio* cap. 63. pro ἐπὶ πολὺ πίνειν reſcribo βινεῖν, et deleo ὀχεύειν, *(coire cum muliere,)* quod margini adſcriptum fuerat ab aliquo, qui verbum βινεῖν erat interpretaturus. Si honeſtatis aliquis ſtudioſus pro βινεῖν ſcripſiſſet πίνειν, ſublaturus etiam erat verbum ὀχεύειν.

Pag. 106. lin. 8. pro *virgine continentia*, lege *virginea continentia.* Τὸ *virgine* perindocte defendit Havercampus.

P. 114. lin. 5. pro *par*, male Wopkenius in *Obſ. miſc. crit.* Tomi decimi libro primo p. 38. reſcribit: *pater eſt.*

P. 122. lin. 2. pro *militarior*, Clericus p. 107. reſcribit *mitior.* Malim *moderatior.*

P. 126. lin. 3. et 4: *Cervices ponimus? ante plumbum, et glutinum, et gomphos, ſine capite ſunt Dii veſtri.* Scaliger, cuius loca plura, in quibus hanc ſuam correctionem exhibuit, Havercampus indicat, ita legendum cenſebat: *Cervices ponimus ante plumbum: glutinum et gomphoſis capiti ſunt diis veſtris.* Reiicit hanc emendationem Gatakerus in *Adverſariis* ſuis *poſthumis*, cap. 16. p. 562. atque ita reſcribit: *Cervices ponimus, ante plumbum et glutinum et gomphos, ſine capite ſunt dii veſtri.* Interpretatur hoc hiſce verbis: Cervices ponimus, ubi capite plectimur. At dii veſtri, ante plumbum et gluten et *(ligneos)* clavos, quibus truncis ſuis ſimulacrorum veſtrorum capita committuntur, capitibus caruere.

P. 132. lin. 6. ſqq. *Domeſticos deos, quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis, pignerando, venditando, demutando, aliquando in caccabulum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva, ut quisque contritus atque contuſus eſt, dum diu colitur, ut quisque Deum ſanctiorem expertus eſt domeſticam neceſſitatem.* Hunc locum admodum veriſimiliter emendat, et ſimul interpretatur Chriſtius, in *Noctium* ſuarum *Academicarum Obſervatione* XXVI. p. 293: *Domeſticos*

meſticos deos, quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate (pro iure patris in familiam) *tractatis, pignerando, venditando, demutando. Aliquando in catabulum de Saturno* (itur, conflato ſimulacro:) *aliquando in trullam de Minerva. Et quis non contritus* (lapidibus) *et concuſſus eſt* (verbere,) *dum diu colitur; ut quisque dominam ſanctiorem expertus eſt domeſticam neceſſitatem*, id eſt, prout quisque diu in ſacrario repoſitus, periclitatus eſt ſcapulas praebere ſaepius, ſi infortunium ingrueret, et imperaret praeſentius et ſanctius Numen, domeſtica ſcilicet irati domini clades ſeu necesſitas. Eodem modo Martialis *Lib.* VIII. *epigr.* 40. Priapo ſuo, niſi recte data ſervet loca, caminum interminatur, igne comburendo.

Pag. 135. lin. 5: *obba.* Cuiacius in *Obſervationum et Emendationum* Lib. XI. cap. 7. ait: obbam eſſe poculi genus, nominari etiam *obuam*, et ſpeciatim ita vocari vas, quo libari ſolebat mortuis.

P. 148. lin. 21: *moechum Anubim.* Quam hiſtoriam reſpiciat Tertullianus, docet Clericus ex Ioſephi *Antiq. Iud.* Lib. XVIII. cap. 3. (editionis Hudſonianae) §. 4. Totam eam recitat p. 107—112.

P. 159. lin. 5: *cum ſua Epona.* Recte hic reſcriptum eſſe *Epona*, docet etiam Iac. Phil. Tomaſinus, in Libro *de donariis ac tabellis votivis*, Cap. XXXI. p. 210.

P. 160. lin. 1. et 2: *qui crucis nos religioſos putat, conſecraneus erit noſter.* Lud. Bourgetus, in epiſtola quadam ad Cuperum, quae inſerta eſt *Novorum Miſcellaneorum Lipſienſium* Tomo nono, ibi p. 345. plures commemorat editiones Pontificiorum, in quibus legitur: *qui crucis nos non*] *religioſos putant.* Scilicet ut crederentur Chriſtiani iam Tertulliani aevo adoraſſe crucem. Hoc quoque exemplo, inquit Bourgetus, docemur, quanta ſit Pontificiorum audacia in corrumpendis veteribus auctoribus.

P. 169: *Deus Chriſtianorum ὀνοκοίτης.* Clericus p. 113. reſcribit ὀνοκοιτής. E. A. Schulzius in *Faſciculo primo*

Exercitationum philologicarum, Berolini 1755. edito, et quidem in Exercitatione ſecunda p. 30. legit *Ononychotus*, et hanc ſcripturam in permultis paginis ſequentibus ſtudet reddere approbatione digniſſimam. Theodorus Haſaeus, cum in Libri ſui *de* ὀνολατρεία, capite primo §. 10. p. 14. ſqq. plurimorum Criticorum adduxiſſet de hoc verbo coniecturas, tandem Deſiderio Heraldo aſſentitur, ſcribenti ὀνονυχίτης.

Pag. 175. lin 6. pro *quod* ſcribe QVOD.

P. 189. lin. 1: *frequentiae pleraque montium vaſtant.* Clericus p. 113. approbat ſcripturam MS. Fuldenſis, et legit: *et frequentiae plerumque mortium vaſtant.*

P. 191. lin. 2. pro *providentiae ſcripta ſunt,* Clericus p. 114. ſcribit: *quae providenter ſcripta ſunt.*

P. 211. lin. 6. pro *utique* Clericus p. 115. recte reſcribit *ubique.*

P. 211. lin. 10. et 11: *ut credatis Chriſtiani, propter quos non creditis Chriſtianis.* Senſus: ut credatis ac fiatis Chriſtiani, quippe qui vos impediunt, ne fidem habeatis Chriſtianis.

P. 213. lin. 1: *multitudini tot nominum.* Clericus probat p. 116. hanc ſcripturam.

P. 216. lin. 2: *in uſum maledicti frequentat Satanam.* Haec verba interpretatur Clericus p. 117. ſq.

P. 217. lin. 3. et 4. pro *everſio ſic*, lego: *everſio. Sic.*

P. 219. lin. 2. pro *recogitatu* ſcribo *a recogitatu.*

P. 222. lin. 6. pro *et curaſſe creduntur*, lege *ut curaſſe credantur.* Sic Minucius Felix cap. 27: *ut curaſſe videantur.*

P. 226. lin. 7. et 8: *Edatur hic aliquis ſub tribunalibus veſtris, quem daemone agi conſtet*, etc. Falſum hic dicere Tertullianum, docet Daleus in Libri *de divinationibus* cap. 7. p. 544. ſq.

P. 235. lin. 6: *ut conſtaret*, id eſt, poſito, quod conſtaret, geſetzt, daß.

Pag. 238.

Pag. 238. lin. 5: *Duſares.* Per deum hunc intelligi *Bacchum*, Hottingerus docet in *Hiſtoria orientali* Lib. I. cap. 7. p. 235. ſq.

P. 249. lin. 1: *Romanis foſcibus illam.* Defendit etiam Vorſtius hanc ſcripturam in Libro *de hebraismis N. T.* cap. 27. p. 109. ſqq.

P. 253. lin. 1: *Sterculum.* Clericus p. 118. reſcribit, e Tertulliani Libro ſecundo *ad nationes, Stercutium*, quem adorabant Romani, quia, agrorum ſtercorationem ei curae eſſe, credebant.

P. 271. lin. 3: *in manibus eſſe plumbatis.* Clericus p. 119. ſq. docet, *manibus* eſſe Ablativum, et *plumbatis* Dativum, referrique ad deos vel ſtatuas, ſenſumque Tertulliani hunc eſſe: Non putamus, plumbatas ſtatuas in manibus habere ſalutem Caeſarum.

P. 275. lin. 2: *de pectore oramus.* Interpretatur haec verba Binghamus *Antiquit. Eccleſ.* Lib. XIII. cap. 5. §. 5. p. 137. ſq.

P. 288. lin. 1: *Hominem memento te.* Etiam Philippum, Macedoniae regem, puerorum ſuorum alicui hoc delegaſſe officium, ut ſingulis diebus ipſi acclamaret: *Philippe, homo es:* refert Aelianus *Var. Hiſt.* Lib. VIII. cap. 15. Idem Lib. IX. cap. 41. ſcribit: Pauſaniam Lacedaemonium, cum a Simonide peteret, ut ſapiens aliquod monitum proferat, hoc accepiſſe reſponſum: *Memento, te hominem eſſe.*

P. 293. lin. 3: *civitatem tabernae habitu aboleſacere.* Clericus p. 121. reſcribit *obſoleſacere*, idque defendit.

P. 309. lin. 3. pro: *ad mortem usque*, reſcribo fidenter *ad mortem usquam.*

P. 313. lin. 5. et 6: *paene omnium civitatum, paene omnes cives Chriſtianos habendo.* Deleo comma. Senſus: Habemus ferme omnes cives omnium ferme civitatum Chriſtianos. Ita etiam interpretatus eſt Havercampus. Clericus, ſententiam Tertulliani non aſſecutus, male

p. 121. pro gloſſemate habet haec verba: *paene omnes cives Chriſtianos habendo.*

Pag. 315. lin. 8: *compulſationibus*, id eſt, mutuis impulſibus.

P. 321. lin. 1: *Chriſtianae factionis.* Obſerva *mimeſin.* Vocabant ita ethnici Chriſtianam eccleſiam. Interpretatur ſemet ipſe Tertullianus ultimis verbis *capitis* 39. et primis *capitis* 40.

P. 321. lin. 2. et 3. ſic lege: *ut, qui mala refutaverim, bona oſtendam, ſi etiam veritatem revelaverim.*

P. 324. lin. 4. *cum velit*, id eſt, quoties velit.

P. 325. lin. 1: *iam otioſis*, id eſt, qui non amplius valent acquirere aliquid labore ſuo.

P. 325. lin. 3. lege: *alumni confeſſione ſua fiunt.* Notum eſt, qui dicti ſint hoc aevo *confeſſores.*

P. 325. lin. 6. lege: *diligant, (ipſi enim invicem oderunt:) et ut pro*, etc.

P. 336. lin. 5: *Haec coitio Chriſtianorum —— convenimus?* Aliter, et quidem recte, diſtinguit haec verba Clericus pag. 122.

P. 353. lin. 5: *eſt*, id eſt, *licet.* Ita ſaepe Tertullianus.

P. 374. lin. 9. verba quatuor ultima: *Deum, non proconſulem, timentes*, iure Clericus pag. 123. delet tamquam gloſſema.

P. 377. lin. 7: *et facilius*, pro *et tamen facilius. Et* pro *et tamen* frequenter dici a latinis Scriptoribus, docui in annotatione ad Ciceronis *Orat. poſt reditum in Senatu*, cap. XV. p. 329.

P. 386. lin. 1. et 2: *Quid enim Thales ille, princeps Phyſicorum, ſciſcitanti Croeſo de divinitate, certum renuntiavit, commeatus deliberandi ſaepe fruſtratus?* Bene interpretatur haec verba p. 124. Clericus, pro *commeatus* tamen ſcribens vel *commeatu*, vel *commeatibus.*

P. 408. lin. 7. pro *ſtatim illic veſica queritur,* legi debere: *illico vos ita quaeritis*, iam alibi docui. En Havercampi, haec verba eſſe vera Tertulliani verba, putantis, ridicula

cula interpretatio: Hoc mihi videtur proverbium a pueruliſ deſumtum, qui mingendi neceſſitatem ultra ferre non poſſunt, veſica lotio impleta, adeoque ſaepe virgam metuentes exclamant.

CASP. BARTHII EMENDATIONES CARMINUM, editioni Tertulliani Priorianae pag. 630. ſqq. annexorum, quorum auctores ſunt ignoti.

Emendationes illae reperiuntur in BARTHII *Adverſariorum* Lib. XVII. cap. 17.

Pag. 630. verſ. 31. recte reſcribit: *Sperans, heu! ſceleris veniam ſe ſtultus habere*, pro: *Sperans, heu! ſceleriſque viam ſe ſtultus habere.* Addit, ſe poſtea vidiſſe, Heraldum iam ita correxiſſe ad *Arnobium.*

P. 630. v. 336 — 338. pro: *Publice non audens dominum maledicere nude Secreto ingenio ſperans ſe poſſe latere. Tandem lux animae carnis captiva tenetur, Deſperatorum certat ſpes fortior hoſte*, ita reſcribit:

Publice non audens dominum maledicere, nunc de
Secreto ingenio ſperans ſe poſſe latere.
Tandem lux animae carnis captiva tenetur;
Deſperato cum certat ſpes fortior hoſte.

Ultima ſyllaba verbi *publice* corripitur, ut grammatici loquuntur, a poeta, qui et verſ. 34. dixit *ſpiritu*, ultima ſyllaba brevi. Tertius verſus adhuc mendoſus eſt: reliqua recte emendaſſe videtur.

P. 630. v. 40. pro: *Cuius amicitiae auxilio, patientia poena*, recte reſcribit: *Cuius amicitia auxilium, patientia poenam.*

P. 630. v. 82. pro: *nulla praecepta locutus*, ſcribit recte *nulli praecepta locutus.*

P. 630. v. 89. pro *habet*, minus recte ſcribit *amat.*

P. 630. v. 114. pro *peremti*, recte ſcribit *redemti.*

P. 630. v. 118. male corrigit. Recte ſcriptum eſt *decepti.*

P. 631. v. 145. male reſcribit *amne illud*, pro *aut illud.*

Pag. 631.

Pag. 631. verſ. 149. recte reſcribit *incredibili* pro *incredibile:* ſed *haut* pro *aut* non recte.

P. 631. v. 150. non recte ſcripſit *ſic vos*, pro *ſi vos*. Caeteras in *capite* hoc exhibitas a Barthio ſive correctiones, ſive corruptiones, praetereo.

P. 639. Hoc *de iudicio Domini* carmen e pervetuſto MS. correctius editum eſt in *Collectionis monumentorum Martenianae* Tomo IX. p. 3. ſqq.

P. 642. Carmen hoc, *Geneſis* inſcriptum, e MS. perfectum recuſum eſt in eodem Tomo p. 14. ſqq.

Carmen hoc emendare ſtudet *Barthius* Lib. XVII. cap. 19. Is

P. 642. v. 2. pro *Namque* male ſcribit *Iamque*.

P. 642. v. 65. recte reſcribit *ne fors malum*, pro *ne forte malum*. *Malum* enim hoc loco pomum eſt.

In eodem *capite* carmen *de Sodoma* emendare conatur.

P. 643. v. 6. pro *mandaverat*, male reſcribit *damnaverat*.

P. 643. v. 40. *lux altera*, id eſt, luna.

P. 643. v. 41. pro *redendum*, ſcribo *retentum*.

P. 643. v. 42. pro *nunc pacta libido*, ſcribo *nefanda libido*.

P. 643. v. 44. *Quo luxus genitura vocat*, non recte emendat Barthius. Interpretari debebat haec verba: *Quo luxus genitura vocat?* *Quò* eſt adverbium, et *luxus* eſt genitivus. Uti dicimus: *eò dementiae proceſſit*, ſic Tertullianus ſcribit: *quò luxus*. Iam horum verborum: *quò luxus genitura vocat?* hic eſt ſenſus: Ad quantum luxum vos vocat et incitat *genitura*, hoc eſt laſcivia?

P. 643. v. 48. pro *terram* lege *per terram*.

P. 643. v. 49. pro: *Omne genus luxu genus eſt: niſi foemina coniux*, ſcribe: *Omne genus duplex: non eſt, niſi foemina, coniux*.

Idem *Carmen* Barthius Lib. IX. cap. 8. non corrigit, ſed illuſtrat.

Etiam Ioh. Frid. Gronovius, qui nec dubitat, Tertullianum eſſe carminis huius Auctorem, in *Obſervationum*

ſuarum

Digitized by Google

ſuarum *in Scriptores eccleſiaſticos* cap. 22. multas Barthii, quem ſemel duntaxat nominat, correctiones reiicit.

Sequentur propediem *Variae annotationes ad Tertullianum*, e. g. de Verſionibus librorum eius.

APOLOGIA VINDICIARIA PRO BEROSO Anniano, ut vocant, eiusve Antiquitatum opuſculo, iniuſte a quibusdam, velut hypobolimaeo, quondam traducto: itemque pro Beroſi filia, Sibyllarum noviſſima, contra adverſariorum quorundam obtrectationes: Auctore P. ANGELO FLOERCHEN, Ord. S. Benedicti Profeſſ. Hildeſii ad S. Michaelem.

Hildeſii, apud Harzium, 1759. plag. 6. octon.

Notum eſt, *Ioannem Annium*, Viterbienſem, primum, Seculo decimo quinto exeunte, Beroſi antiquitatum opuſculum edidiſſe quidem, ſed non paucis, qui hunc libellum vel ab ipſo Annio, vel ab alio, inepte diligenti et ingenioſo homine compoſitum, et Beroſo falſo tributum credebant, fraudis et impoſturae ſuſpicionem inieciſſe. Suſcepit igitur Annii defenſionem iam olim *Franc. Marianus*, Oratione, anno 1733. Romae edita. Idem agit Auctor huius Apologiae, dum, quaſi pro aris et focis, ut ipſe ait, pugnaturus, quaecunque ſuae cauſae inſerviant conquiſivit. Sunt vero huius defenſionis Capita ſex. In primo collegit Auctor, quae de libris, ingenio, et doctrina Beroſi, apud antiquos ſcriptores invenit: in altero argumenta, quae hoc opuſculum Beroſo tribuant, exponit. Primum, ait, *Ioſephum*, in Lib. I. contra Appionem, ſcribere, Beroſum antiquiſſimas ſecutum hiſtorias, de arca, de diluvio, de Noa, de poſteris Noae, de monte Gordyeo in Armenia, varia memoriae prodidiſſe. Iam vero non ſolum Beroſum, ſe ex vetuſtis Chaldaeorum et Scytharum libris ſuam hiſtoriam hauſiſſe fateri; ſed etiam, quae Ioſephus ſe apud Beroſum legiſſe teſtetur, in hoc opuſculo legi. Deinde omnia

(ut ait,) in hoc libello commemorata Chronologiae reſpondent, et plurima eodem modo a Diodoro Siculo traduntur. Atque haec *proba*, (utimur verbis Auctoris, neque latinis, ut ſaepius, neque elegantibus,) *validiſſima* Auctori videtur, genuinum eſſe Beroſi opus. Porro, quae in hoc opuſculo de Noa et diluvio traduntur, limpidiſſimo decurrunt ſtilo, neque diſſimili illius Hiſtoriae Chaldaeorum, quantum ex paucis, a Ioſepho prolatis, colligi poteſt. *Eſt opuſculi ſtilus non ſolum limpidiſſimus, ſed et profundus et gravis: ſingula verba ſuum pondus habent, ſuamque peculiarem rationem ſignificandi;* (quid haec ſibi velint divinare non licet;) *nullum redundans, ita ut ſit ſtilus Beroſi doctrinae fama dignus.* Conſtat denique, Beroſum Chaldaicam Hiſtoriam fuſiori ſtilo conſcripſiſſe; conſtat etiam ex Ioſepho et Freculpho Lexovienſi, eundem Beroſum ex Chaldaicis libris *Defloratione m*, i. e. breve compendiolum edidiſſe: dudum igitur ante Annium *Defloratio Chaldaica* Beroſi extitit, neque ille huius Auctor eſſe poteſt. Haec ſunt, quae Auctor pro opuſculo hoc Beroſiano dicenda eſſe putavit. Nos quidem veremur vehementer, ut haec acutioribus ſatisfaciant: et, quamvis neque Beroſo ſuum foetum, neque aliis haſce ſuas delicias eripere velimus, rem tamen longe pluribus melioribusque argumentis confirmandam eſſe arbitramur. Primum telum Auctoris valde plumbeum, immo ligneum eſt. Conveniat hic Annianus Beroſus cum Beroſo Ioſephi. Quid inde efficitur? Nonne loca Ioſephi, ubi Beroſi mentionem facit, illi, qui hunc libellum effinxit, nota eſſe potuerunt? Quicunque talem fucum hominibus facere voluit, eum veriſimile eſt diligenter antea veteres ſcriptores excuſſiſſe, et inde repetiiſſe omnia, quae ſuo conſilio inſervire credidit. Legat mihi aliquis Conſolationem Ciceroni a Sigonio, aut quicunque ille fuit, affictam; et facile, quam aſtute homo iſte fallaciam ſuam exornaverit, intelliget. Quam aptis exemplis utitur! quam callide hiſtoriam eorum temporum attingit! Atque eodem modo ad alterum argumentum reſpondemus. Nonne etiam alius

praeter

praeter Beroſum Chronologiam cognitam habere potuit? nonne idem ille impoſtor Diodorum Siculum legere? Quomodo etiam Auctor omnia Chronologiae reſpondere affirmare poſſit, cum ipſe infra pag. 32. nec exiguos, nec paucos errores, proponat? Stilum Beroſi minime miramur Auctori placuiſſe, qui ſatis in hoc libello oſtendit, ſe aliarum rerum, quam deliciarum ſermonis, intelligentiorem eſſe. Nos quidem paucos fore arbitramur, quibus, et Beroſi, et Auctoris libellum legentibus, non in mentem veniat illud, ab iſta pitiſſanti apud Terentium in coena dictum:

aſperum
Pater hoc eſt: aliud lenius ſodes vide.

Accedit, [ut taceamus ex paucis illis, a Ioſepho laudatis, locis, non ſatis de Beroſiano ſcribendi genere iudicari poſſe,] caute eſſe de hoc opuſculo, Chaldaice procul dubio a Beroſo ſcripto, pronuntiandum. Sed non de eo agitur, num elegans ſit liber, num dignus fama Beroſi, (talia enim ab aſtuto impoſtore facili imitatione exprimuntur:) ſed an Beroſi ſit quaerimus. Quare nihil Auctoris cauſam iuvat, extitiſſe olim Beroſi librum: quis enim hoc negat? Illud probare debuit, eum librum, qui nunc ſub Beroſi nomine circumfertur, a nullo alio conſcriptum eſſe, quam ab illo, cui tribuitur. Sed haec obiter. In tertio Capite diluere conatur Auctor, quae Varrerius contra Beroſum Annianum protulit. Utinam ab aculeatis dictis abſtinuiſſet, quibus neque Varrerium confutat, neque meliora nos docet, ſed animos lectorum irritat, neque bonam de ſua humanitate opinionem concitat. In Capite quarto varia diſputat de Beroſi opuſculo, quorum praecipua haec ſunt: etſi ex librorum brevitate opus mutilum ac deminutum videatur, eſſe tamen illud totum et integrum, et ab ipſo Beroſo abbreviatum: quoniam Annius in praefatione hoc teſtetur, veriſimile eſſe, ipſum Beroſum ſuum opuſculum in quinque partes diviſiſſe: verum libri titulum eſſe *Deflorationem Chaldaicam*, atque ſic a Freculpho Lexovienſi laudari: multa in Annii commentariis inveniri inepta, multa

Digitized by Google

quoque ingenioſe excogitata. Tranſimus ad Caput quintum, in quo de tempore, quo Beroſus vixerit, Auctor exponit. Cuius ex ſententia Beroſus, *ſecundum rationabilem chronotaxin,* natus A. m. MMMDCLXXV: Beli ſacerdos factus A. m. MMMDCC: exul A. MMMDCCXVIII: in Coo inſula docuit A. MMMDCCXX: Hiſtoriam Chaldaicam Antiocho Theo inſcripſit A. MMMDCCLXV. (vel Anno MMMDCCLXXIII.) iam nonagenario maior. Tandem Auctor, in ultimo Capite, quaedam in Beroſi opuſculo animadverſione digna proponit, illiusque in hiſtoria errores refutat. Haec de prima huius libelli parte. Venimus ad alteram, in qua Auctor hiſtoriam Sibyllarum contexuit. Agit igitur in Cap. II. de Sibylla Babylonia; in Cap. III. de Sibylla Phrygia; in Cap. IV. de Sibylla Libyca; in Cap. V. de Sibylla Delphica; in Cap. VI. de Sibylla Erythraea ſeniore; in Cap. VII. de Sibylla Cimmeria; in Cap. VIII. de Sibylla Tiburtina; in Cap. IX. de Sibyllis Colophonia et Samia; in Cap. X. de Sibylla Helleſpontica; in Cap. XI. de Sibylla Cumana. Hic multis id agit Auctor, ut lectoribus ſuis perſuadeat, non hanc ſolam, ſed reliquas quoque Sibyllas, de Chriſti nativitate, perpeſſione, cruce et morte, multa praedixiſſe; id quod inprimis ex Virgiliana Eclog. IV. apparere exiſtimat. Neque ſatis habet, hanc ſuam opinionem, (utamur enim leviori verbo, quam res poſtulare videtur,) proponere tanquam luſum ingenii, ſed *impiam calumniam,* et *nefariam criminationem* eſſe pronuntiat, Patribus fidem in hac re derogare velle. Unde de reliquis facile iudicari poteſt. Tranſit Auctor in Cap. XII. ad Sibyllam Babyloniam iuniorem; ubi tamen nondum intelligimus, cur librum *Apologiam vindiciariam contra adverſariorum quorundam obtrectationes* inſcripſerit. Neque enim accuſationem, neque defenſionem invenimus; niſi fortaſſe huc illud referas, quod Gallaeus S. Iuſtini de hac Sibylla ſuavem fabulam in dubium vocavit. Magnam profecto Auctor gratiam inierit, oportet, ab hiſce vetulis, quarum vitam totam tam accurate examinavit, nihil ut

praeter-

praeterea, quam deſcriptionem veſtium, quas geſtaverint, deſideremus. Eſtne operae pretium inquirere, cur Tireſiae filia Daphne appellata ſit? pag. 52. an vere dicatur Hierophile Erythris nata? pag. 56. utrum ſexta Sibylla Cimmeria an Cumana appellanda ſit? pag. 58. *utrum per maſculinam lineam a Calchantis filio deſcendat Lampuſa, an potius per femininam a filia eius?* pag. 63. Sed conſtat etiam olim fuiſſe, qui ſcire voluerit, quid Sirenes cantarint? quae fuerit Hecubae mater etc. Coronidis loco impoſuit Auctor *praeconium* ſuae *Archaeologiae oecumenicae.* Recte *praeconium* inſcripſit iſtas pagellas, plenas laudum ſuarum. Adſcribimus pauca: *tam praeclara in operis frontiſpicio reperies Perilluſtrium reſpective, Eximiorum, Clariſſimorumque Virorum DDrum, Profeſſ. Publ. etc. teſtimonia, tam inſignia encomia, quam nullo unquam in libro conſpexeris —: nunc meam quoque tibi ſententiam expectorabo. Dico igitur: hoc opus Archaeologicum omnem lectoris fidem omnemque ſpem et expectationem excedet.* Latuit procul dubio Auctorem, quod eſt in proverbio: *vino vendibili non opus eſt hedera.*

DIPLOMATARIA ET SCRIPTORES HISTORIAE Germanicae medii aevi, cum ſigillis aeri inciſis, opera et ſtudio CHRISTIANI SCHOETTGENII, Rect. Scholae ad d. Crucis Dresd. et M. GEORGII CHRISTOPH. KREYSIGII; accedit Praefatio CHRISTIANI GOTTLIEB BUDERI, D. Conſil. Aul. Duc. Sax. Iur. Publ. Feud. et Hiſt. Prof. Facult. Iurid. Senioris in Acad. Ienenſi, de Itineribus eruditorum Virorum rei hiſtoricae fructuoſis. TOMUS II.

Altenburgi, typ. et ſumt. Richteri, 1755. Alphab. 5. tab. aen. 6. fol.

Complectitur alter hic Tomus viginti opuſcula, antiquitates Germanicas illuſtrantia, eaque minime contemnenda. Sunt vero haec: I. *Regeſtum latinum*

Privilegiorum, Confirmationum, aliarumque Gratiarum Ferdinandi I. Regis Hungar. et Bohem. ab Anno MDXXVII. ad A. MDLXII. Sunt Litterae hae, quarum numerus ad CLXV. excurrit, ex libro, quem dicunt, copiali et coaevo, repetitae. Quoniam ſaepe complures una eademque formula erant conſcriptae, brevitati conſuluit ita Kreyſigius, ut minus neceſſariis reciſis, argumenta tantum, ubi viſum eſt, proponeret. II. *Chriſtiani Schoettgenii Analecta Monaſterii Oſſecenſis.* Iam Sartorius hiſtoriam huius monaſterii in Bohemia, ad fines Miſniae, non procul Teplicio et Doxano, ſiti, paucis complexus eſt. Neque tamen ille integra documenta exhibuit, neque omnino omnia huc ſpectantia protulit. Quare Auctor, benigna fortuna documenta aliquot nactus, quod ille inchoatum reliquerat, perfecit. III. *Diplomata Miſcella Bohemiae XVII. ab A. MCCXCIII. ad A. MDCXIII.* In his eminent prae aliis IV. Georgii Regis Bohem. tabulae pacis, Imperatorem inter et Ludovicum Palatinum ad Rhenum, initae, A. MCCCCLXIII. et V. Uladislai, Regis Bohem. reſtitutio pacis A. MCCCCLXXXIV. IV. *Calendarium eccleſiae Cathedralis Miſnenſis.* V. *Anniverſarium monaſterii S. Afrae, quod fuit Miſnae.* VI. *Mortilogium eccleſiae collegiatae Cizenſis completum, per Philippum Holler, eiusdem eccleſiae Canonicum MDLXX. excerptum a Kreyſigio.* VII. *Calendarium Numburgenſis eccleſiae Cathedralis,* ſive memoriae eorum, qui liberalitate ſua eccleſiam cathedralem Numburgi iuvarunt. Ipſe vidit Kreyſigius, non paucos fore, qui haec, tanquam nullius momenti, aſpernentur, indignaque publica luce exiſtiment. Neque tamen eiusmodi chartis inſignem uſum in Geographia medii aevi, et Genealogia nobilium, denegandum eſſe arbitratur. VIII. *Codex diplomaticus monaſterii Buch, ab A. MCXCII. ad A. MDXIX.* Maximi uſus eſſe hunc Codicem, CCLXXXIX. chartas continentem, in hiſtoria Miſnenſi, et praecipue in hiſtoria urbis antiquiſſimae Belgern, huic monaſterio olim ſubiectae, merito Kreyſigius iudicat. IX. *Chr. Schoettgenii Hiſtoria*

Burg-

Digitized by Google

Burggraviorum de Leiſnig, cum codice Probationum. Propoſitum fuit Auctori, ut Schwarzii de hac re libellum, a Menckenio Script. R. G. Tom. III. inſertum, et emendaret, et augeret. X. *Codex Probationum, Hiſtoriam Urbis Penig ſimul illuſtrans, ab A. MCCCXXXVIII. ad A. MDXXXV.* Continet hic Codex chartas L, et cum praecedenti materia ideo coniungitur, quoniam urbs Penig a longo tempore dictis Burggraviis ſubdita fuit. XI. *Reliquiae diplomaticae Sanctimonialium Beutitzenſium, ab A. MCCXVIII. ad A. MDXVII.* Abſolvitur hic Liber chartis CXXIV, et monumenta exhibet multo emendatiora illis, quae in Hornii Biblioth. Saxon. manual. de hoc Conventu leguntur. XII. *Chartarium Abbatiae Boſau, ab A. MCXVIII. ad A. MDXLIX. urbi Cizae vicinae.* Chartae proponuntur XCI, quarum ope corrigi poſſunt, quae apud Leuckfeldum et Schamelium exhibentur. Utrumque enim in apographa manca et mutila incidiſſe Kreyſigius dolet. XIII. *Chr. Schoettgenii Diſſertatio de Nomine Rutheni, quo Advocati de Plauen iam ab aliquot ſeculis utuntur.* Coniicit Auctor, rationem huius cognominis inde petitam eſſe, quia Henricus ille, quem primum Rutheni nomine uſum eſſe legimus, vel Ruſſiam petierit, ibique militaverit Ruthenis; vel extra Ruſſiam quoque in exercitu ipſorum ſtipendia meruerit. Intelligit vero Ruſſiam minorem, in meridionali Poloniae parte ſitam, cuius duces vel reges illis temporibus multa geſſerunt cum Polonis bella, et cum Germanicis principibus connubia interdum coniunxerunt. Fundamentum ſuae coniecturae Auctor inde arceſſit, quod illo, quo primus Ruthenus vixit, tempore, alii illuſtres Viri cognomina ab iis regionibus acceperunt, quas peragraverint, vel in quibus aliquamdiu commorati ſint. XIV. *Anaſtaſis Eliſabethae Senioris, Landgraviae Thuringiae, ut et Miſniae Marggraviae, Diplomate authentico reſtituta, ac varii generis obſervationibus illuſtrata, Auctore D. Henr. Gottl. Francke, Iur. Publ. P. P. ac Sacr. Pal. Com.* Agit primum Auctor de marito Eliſabethae, Alberto II.

Landl

Landgravio Thuringiae et Marchione Miſniae, illumque docet minime talem principem fuiſſe, qualem quidem vulgo depingunt. Exponitur deinde de uxoribus Alberti, et praecipue de tertia, Eliſabetha, variaque de illius nomine, quod perperam multi Adelheidem faciunt, natalibusque diſputantur. Probat Auctor, et confirmat coniecturam Tenzelii, Eliſabetham ex antiquiſſima Ruthenorum familia ortam fuiſſe. In medium enim profert diploma aliquod, adhuc ineditum, Friderici Admorſi, in quo legitur: *unſere liebe Mutter Eliſabeth Reuſsin* etc. Qua occaſione de origine Ruthenorum, et titulo Advocati S. R. I. commentatur. Pergit porro ad Eliſabethae matrimonia, ad filiam iuniorem Eliſabetham, ad res geſtas Eliſabethae ſenioris, ad annum mortis, et ad varia elogia, quibus ab Hiſtoricis condecoratur. Definit denique diſſertatio haec in enarratione morum, quos Germani in decidendis litibus olim obſervaverunt. XV. *Chartae XLII. Monialium Weidenſium Ordinis Praedicatorum, ab A. MCCCXX. ad A. MDLXI.* XVI. *Annales diplomatici Abbatiae Monialium in Francken-hauſen, ordinis Ciſtercienſis, Dioeceſis Numburgenſis, in agro Zwickavienſi olim ſitae.* Incipiunt hi Annales, multis documentis referti, ab A. MCCLXXI. et in A. MDXXIX. definunt. XVII. *Hiſtoria diplomatica Abbatiae Grunhaynenſis, ordinis Ciſtercienſis, Dioeceſis Numburgenſis.* Dolet Kreyſigius, plurima huius Abbatiae diplomata, furore Huſſitarum, et ruſticorum rebellium, diſſipata et diſperdita eſſe. Quae ex tanto naufragio ſuperſunt, collegit tabulas, atque ex iis hiſtoriam ab A. MCCXXXVI. ad A. MDXXXVI. concinnavit. XVIII. *Disquiſitio de Iurisdictione et Officiis Wirceburgicis Comitum et Principum Hennebergicorum, cum codice Probationum.* XIX. *Reliquiae Diplomaticae Monaſterii Veilsdorf, Dioeceſis Wurtzburgenſis, ab A. MCLXXXIX. ad A. MDXXV.* Laudat in praefatione Auctor antiquus *Iohannem Zolner, conventualem monaſterii; illiusque,* ſcribit, *providentia omnia privilegia monaſterii literis comprehenſa iusſit in volumine regiſtraliter exarari, pro poſterorum non immodico*

Digitized by Google

modico profectu, imo ampliori utilitate. XX. *Codex diplomaticus monaſterii Caldenborn., ordinis S. Auguſtini, Dioeceſeos Halberſtadenſis.* Continet hic Codex, (in quo colligendo Kreyſigio uſui fuit liber copialis, ita dictus, a *Iohanne Eſocis,* ultimo Conventus Priore, abſque ordine transſcriptus,) chartas CCCI. ab A. MCXX. ad A. MDXXXVII.

ELOGIUM CHRISTIANI WOLFII.

Univerſi, qua litteris virtutique pretium ſtatuitur, orbis decus nominari meretur *Chriſtianus Wolfius*, qui, incredibili ſapientiae ornandae provehendaeque ſtudio, ſcriptisque pari iudicio curaque confectis, id conſecutus eſt, ut omnis Europa, in admirationem tanti nominis converſa, graviſſime ferat obitum Viri, qui, ad aſſerendum veri decus genitus, videtur omnino mori non debuiſſe. Dignus ergo eſt, ſi quisquam, *Wolfius*, cuius memoria in his Actis Noſtris, de quibus, dum vixit, unus omnium maxime meritus eſt, conſervetur, et cuius merita, in illuſtri velut monimento poſita, ita intueantur poſteri, ut boni ea imitentur, mali mirentur et formident.

Sileſiam ſuis illuſtravit natalibus *Wolfius*, Vratislaviae, urbe celebri et florentiſſima, anno ſuperioris Saeculi nono et ſeptuageſimo, IX. Kalend. Febr. (d. XXIV. Ianuar.) poſt horam VII. veſpertinam cum dimidia, in lucem editus. Quamvis, qua quisque hora, quove horae momento natus ſit, parum referre videatur: ii tamen, qui ex cuiusque hominis genitura futurorum viciſſitudines fatorum proſpici poſſe et praedici exiſtimant, in eruditorum vitis enarrandis apprime utile eſſe aiunt, ut genitalis indicetur hora, qua curatius cognita, fata hominum ſe dicturos pollicentur. Quorum quidem opinioni etſi non magis accederet *Wolfius*, quam Favorinus philoſophus apud Gellium: fuere tamen nonnulla, quae ipſum permoverunt, ut horam, qua naſcens primum vitalem hunc ſpiritum hauſit, notandam, et in commentarios ſuos referendam putaret.

Ienae cum in Matheſin diligentius incumberet, aſtrologiae quam vocant, iudiciariae, a multis, nec iis indoctis Viris, plus, quam concedat veritas, tribui intellexit. Quare, ne quid in artis huius myſteriis curioſius rimandis intentatum relinqueret, ipſe, iuvenili elatus impetu, verique ſciendi ductus ſtudio, hora natalis num ſibi eſſet fatalis exquirere allaboravit, ex praeteritis praeſentia, ex praeſentibus futura auguraturus. Calculo igitur ſubducto, rationibusque ſcrupuloſius initis, vidit invenitque multiplicem fatorum varietatem, exitu, quod mireris, poſt multos demum annos comprobatam. Naſcendi ſorte nactus erat parentes, non ſplendido illos quidem illuſtrique loco natos, at pios, honeſtos, et in filio, qui in ſex liberorum ordine ſecundus erat, liberalius educando, adornandisque futurae doctrinae praeſidiis, continenter occupatos. Patre uſus eſt cive Vratislavienſi, qui et domicilium Vratislaviae habuit, et honeſto nec illiberali opificio victum ſibi paravit, coriis alumine ſubigendis, et ad uſum aptandis, operatus. Hic pater, qua erat fide et vigilantia, nihil rerum omnium erat quod mallet, quam filiolum, quem iam utero incluſum materno ſtudiis liberalibus conſecraverat, eruditum evadere. Optatis parentum mire reſpondit puerili indoles, quae in ipſo fulgebat egregia. Vix tertium compleverat annum, cum libros, ut quique in manus inciderant, arriperet, iisdemque unice videretur oblectari, diſcendi cupiditatem, tanquam ſitim, reſtincturus. Ubi paullum adoleverat, cum patre, Gymnaſii Eliſabethani olim alumno, totos dies interrogando, audiendo, diſcendoque conſumebat. Ab hoc vocabula, flectendique voces rationem, per luſum, et quaſi aliud agendo, diſcebat, ita ut, officina coriarii in ſcholam converſa, nunquam niſi doctior inde rediret. Ex paterna diſciplina, nondum completo octavo aetatis anno, ad ſcholas, Vratislaviae publica conſtitutas auctoritate, acceſſit, et in Gymnaſio Magdalenaeo profecit ſub Magiſtris haud poenitendis, quorum nonnulli famam nominis ſunt conſecuti. Initia cultioris doctrinae

didicit

Digitized by Google

didicit a *Pohlio*, cui plus, quam ceteris, quos audierit, omnibus ſe debere, gratus profeſſus eſt. Ab hoc ad humanitatem informatus, graecam et latinam linguam avide arripuit. Cum hoc domi familiarius verſatus, ad pleniorem utiliſſimorum, quos legeret, librorum cognitionem deductus eſt.

Cum divino conſilio deſtinatus eſſet *Wolfius* ad ſuperſtitionem ſaeculi oppugnandam, et tenebras, quibus circumfuſa erat philoſophia, diſcutiendas, rationique, de ſolio velut deiectae, priſtinum decus dignitatemque reddendam, mirum non erat, quod adoleſcentulus et paene puer ad tam memorabile tantique momenti negotium, abditis quibusdam acrioribusque concitatus ſtimulis, ſe praepararet. In linguarum cultura non eum ſibi paſtum inveniſſe viſus eſt, quo mens, rerum cognoſcendarum avidisſima, expleri poſſet. Quare, cortice relicto, nucleum guſtaturus, ad philoſophiam ſe contulit, philoſophorumque ſcholis diligenter interfuit. Tum temporis innumeris ſcholaſticorum ſordibus inquinata erat philoſophia, et utiliſſimis quibusque doctrinis multa nox erat offuſa, ita ut, ſi quis cogitationes ſuas ac ſtudia ad eam referret, nihil aliud videretur agere, quam barbarorum augere gregem. In hos ergo philoſophiae ſcholaſticae hortos cum ſe deductum videret Noſter, floſculos, quos decerperet, fruſtra quaeſivit, lolio ubique dominante, ſterilique avena. Non tamen remiſit ſtudium, ſed, animo ad cogitandum compoſito, lucem ſcholaſticorum tenebris inferre, et, quae cuique termino ſubiecta eſſet ſententia, diligentius exquirere coepit. Ita ſe gerendo tantas in philoſophia fecerat progreſſiones, ut ad diſſerendum aptiſſimus, exercitatiſſimos, quin ipſos perſaepe Ieſuitas, vel ad certamen provocaret, vel provocatus erudite promteque diſſentientium infringeret argumenta, et, inciſo feliciter dubitationum nervo, victor ex pugna diſcederet. Quamquam igitur, tanto ſubtilitatum ſcholaſticarum et concluſiuncularum contortarum apparatu inſtructus, eruditiſſimis,

mis, qui tum Vratislaviae numerabantur, philoſophis, et in his maxime *Hanckio*, Noſtrum, in Academiam abiturum, examinanti, ſatisfaciebat; ſibi tamen, ſuaeque veri cognoſcendi cupiditati nondum fecerat ſatis. Cum enim, Logica adiutrice, verum inveniri poſſe, ex amicis accepiſſet, quidvis vero potius, quam artem verum inveniendi, per ſcholaſticae Logicae regulas adiuvari intelligeret: parum aberat, quin, philoſophiae pertaeſus, de philoſophandi utilitate deſperaret. In eo ſe confirmari ſenſerat crebrioribus *Gryphii*, philoſophiae ſcholaſticae infenſiſſimi, dicteriis, quae eo valebant, ut philoſophiam, (neque enim tum temporis poterat aliter facere vir eruditiſſimus,) riſui omnium exponeret, nolletque auditorum ſuorum quemquam philoſophari.

Ab hoc *Gryphio*, qui inter praeceptores *Wolfii* primo loco nominari debet, per amplum politioris litteraturae circum deductus, varios libros, variasque rei litterariae viciſſitudines cognoſcendi facultatem ſibi oblatam ſenſit. Nihil, praeter philoſophiam, in ſcholis Gryphianis, deſiderabat Noſter, qui, inſtinctu naturali vique occulta incitatus, omnia veri per philoſophiam inveniendi praeſidia cupidisſime circumſpiciebat. Peropportune ergo, commendatore *Pohlio* ſuo, et *Neumanno*, Theologo Vratislavienſi eruditisſimo, in philoſophiam incidit Carteſianam, non numeris omnibus expletam illam quidem, at ſcholaſtica multo luculentiorem. Carteſium in philoſophiam, quae contemplatione continetur, lucem intuliſſe, inveniebat gaudebatque; at eundem, cum videret, de morum doctrina, integritati ſuae reddenda, parum cogitaſſe, ipſum, tum iuvenem nondum viginti annorum, incredibilis quaedam inceſſebat cupido, eam philoſophiae partem, qua mores conformantur, emendandi, novisque locupletandi accesſionibus. Cui quidem conſilio, ad felicem pervehendo exitum, inſervire *Tſchirnhauſenii* Mentis Medicinam, ſibi toties commendatam, credebat, ex quo quidem libello viam rationemque novas eruendi veritates, omnium facillimo

facillime cognoſci poſſe ſibi perſuaſit. Legebat ergo *Tſchirnhauſenium*, in ſpem certiſſimam magnae inde hauriendae eruditionis ingreſſus. At cum *Tſchirnhauſenii* Medicinam, niſi rei mathematicae ſcientia excultus, legere, certe intelligere nemo poſſet, haerebat *Wolfius*, *ἀγεωμέτρητος* adhuc, ubivis ſubtimide, multasque, quae ipſum ulterius progreſſurum remorarentur, difficultates incidere ſenſit. Percupide ergo acceſſit ad Matheſin, cuius ſolide diſcendae dolebat nullam ſibi occaſionem Vratislaviae oblatam. Qui enim in Gymnaſio Matheſin docebant, in figurarum mathèmaticarum nominibus explicandis, uſuque globorum, coeleſtis et terreſtris, demonſtrando occupati, ultra progredi nec volebant, nec poterant quidem. Legit igitur, ſciendi expleturus ſitim, Euclidem, Clavii enarrationibus illuſtratum, in Algebra ipſum Clavium, in Arithmeticis Horchium, Friſium, alios. Theologiae praeterea, cui ſe totum conſecrare ſtatuerat, plurimum temporis operaeque in Gymnaſio impertitus eſt; quam cum, niſi praefultis hiſtoriae eccleſiaſticae praeſidiis, non recte utiliterque diſci, iudicaret *Wolfius*, *Kranzii*, hiſtoriam ſacram enarrantis, ſcholis quam potuit diligentiſſime interfuit, et a *Neumanno*, qui in Gymnaſio omnes Theologiae diſciplinas perſpicue, copioſe, et graviter tradebat, ad fontes purioris doctrinae imbibendos deduci ſe gaudebat. Hoc duce non modo Theologorum, qui ſe purioribus ſacris addictos profitentur, ſcripta diligentius lectitabat, ſed rationes quoque ſecus ſentientium ſuis ponderabat momentis, ſe adverſus errorum corruptelas muniturus. Tot ergo multiplicis doctrinae praeſidiis inſtructus, abitum in Academiam meditabatur *Wolfius*, idque ſuffragante ampliſſimo Patrum Conſcriptorum reipublicae Vratislavienſis ordine, a quo, quod rogarat, ſubſidium litterarium tanto facilius impetrabat, quanto, exploratione ingenii ſtudiorumque ante inſtituta, dignior exiſtimabatur, cuius ſtudiis, multum olim patriae profuturis, liberalitate publica ſubveniretur.

Digitized by Google

Ienam, anno ſuperioris Saeculi nono et nonageſimo, Virorum eruditiſſimorum, maxime *Hambergeri*, mathematici ad omnem memoriam inſignis, fama meritisque excitus, commeabat, et duo ſibi, quae perſequeretur, habebat propoſita: alterum, ut philoſophiam et matheſin, ad quam, natura duce, rapi ſe ſentiebat, diligentius excoleret; alterum, ut ex Theologorum ſcholis exquiſitiorem rerum divinarum cognitionem in patriam referret, ſacerdotis munia, quibus pia parentum ſimplicitas ipſum, infantem adhuc et puerulum, devoverat, obiturus. Humanam ſapientiam cum per varias artes ſcientiasque diffuſam eſſe non ignoraret, eam ſtudiorum inibat rationem *Wolfius*, ut alias diſciplinas ab aliis magiſtris ſibi tradi pateretur. Quare *Treuneri*, *Mülleri*, *Hebenſtreitii* in ſcholis, multiplices philoſophandi exercitationes obiit, ſpeique, quem optabat, fructum non cepit illum quidem, at, inſolito philoſophiae, exquiſitius diſcendae, ardore incenſus, occaſionem in interiores ſapientiae humanae receſſus, ſuopte ingenio, operaque domeſtica, penetrandi oblatam intellexit, mathematicae demonſtrationis methodique *ἀκρίβειαν*, quam in magiſtrorum ſcholis deſiderabat, ubique conſectari ſolitus. *Pufendorfii*, ut hoc utamur, philoſophiam de moribus, quae tum celebrabatur maxime, domi ſibi examinandam ſumſerat, eo quidem conſilio, ut obſcuris lumen inferret, confuſa diſcerneret, incerta ſuis devinciret legibus, idoneisque demonſtrationibus communiret. Qua quidem exercitatione, privatim ſuſcepta, cum ad morum iurisque naturae doctrinas ab origine cauſſisque repetendas, acrique iudicio diſcernendas, nihil utilius eſſe intelligeret: optavit, ut eandem viam, in tradendis ceteris philoſophiae diſciplinis, magiſtri, quos Ienae audiebat, perſequerentur. Res ergo ut felicius procederet, ad ſcientiae methodique mathematicae praeſidia confugit, quibus ſummotis facile intellexit, omnem, quae in philoſophando conſumatur, operam, eluſo irrito conatu, fruſtra impendi. Proinde, *Hambergero* duce, cui ſe

per-

perpoliendum dederat, novum inibat diligentiae mathematicae curriculum, in eoque, varii generis inſtitutione, exercebatur mirum in modum. Hunc, quanto cum voluptatis ſenſu, tanto cum fructu, audiebat quotidie, ſemperque ipſi affuit, ſive *Sturmii* Matheſin enucleatam, ſive Matheſin eiusdem compendiariam, aut tabulas in univerſam Matheſin, explicaret. In *Sturmio* accuratam demonſtrandi rationem, Euclideae methodi legibus conformatam, fruſtra quaeſivit, coepitque adeo ipſe ea, quae ſine demonſtratione poſita erant, demonſtrationibus firmare; id hoc exercitationis genere conſecutus, ut par eſſet in definiendi demonſtrandique facultate. Ita, matheſeos methodique mathematicae adiumentis fultus, via expeditiſſima et pede inoffenſo progreſſus eſt, cum in ceteris philoſophiae diſciplinis, tum vel maxime in Phyſica, quam *Hambergerus* docebat, *Sturmii* phyſicam conciliatricem interpretatus. Quantum ex commentationibus Hambergerianis ceperit utilitatis, vel ex eo intelligi poteſt, quod, uno amplius anno in Academia completo, amicis, quibus multas obiici difficultates et ſcopulos obſervaret, matheſin traderet, et, exploratiſſimam demonſtrandi viam ingreſſus, ea commilitonibus redderet explicatiſſima, quae ipſis impeditiora eſſe, et pluſculum habere difficultatis videbantur. Tanta itaque animi contentione, tamque felici ſucceſſu, conſectatus philoſophiam, propius ad metam flectebat, et acutius in dies diligentiusque de novis veritatibus inveniendis cogitabat. In quo mire ſe adiuvari ſenſit Tſchirnhauſenianae Medicinae Mentis lectione. In quem librum, ut diximus, cum adoleſcentulus incideret, multas ſalebras ſibi, nondum Geometriae perito, ex transverſo obiectas vidit, quas nunc demum, animo exercitationibus mathematicis probe ſubacto, facilius ſuperari poſſe ſperabat. Nec feſellit. Alia, correctione modeſte adhibita, limabat politius, et, ſi qua occurrebant enuntiata, quae obſcuritatis nonnihil habere viderentur,

ea,

ea, notionibus diſtinctius evolutis, ita illuſtrabat, ut ipſe *Tſchirnhauſenius*, cuius adeundi Lipſiae A. MDCCII noſtro data erat copia, commentationes, quas in methodum Tſchirnhauſenianam adornarat, maximopere ſibi probari coram affirmaret, iudicii acrimoniam, ſollertiamque ingenii Wolfiani admiratus. Tanti viri plauſu et aſſenſione acrius inflammatus, ad id, quod in philoſophia et matheſi ſummum eſt, pleno contendebat gradu, nullis difficultatibus, nullis malevolorum voculis, a veritatis inveſtigandae propagandaeque conſilio dimovendus. Conatibus ſtudioque non defuiſſe ſucceſſus, exitu comprobatum exoptatiſſimo. Tantum autem aberat, ut philoſophia et matheſis *Wolfii* curas ita ad ſe revocarent omnes, ut ſcientiis ſublimioribus tribueret nihil vel temporis, vel operae, ut etiam ad religionis diſciplinam, et ad rerum divinarum intelligentiam omnes cogitationes ſtudiaque conferret. Qua de cauſſa, in Academia Ienenſi, ſacrorum interpretes, qui ipſi ad percipienda rerum divinarum myſteria viam monſtrarent, adeundos audiendosque putabat, ex his maxime ſecutus *Beckmannum*, et *Treunerum*, quorum utrumque, in tradendis divinioris doctrinae capitibus perinduſtrium, ſuſpiciebat, ita quidem, ut illius perſpicuitatem, huius acumen ingeniique ſuavitates admiraretur, in neutro autem eam demonſtrandi vim, quam exſpectarat, roburque argumentorum et nervos videretur ſibi inveniſſe. Ab auſcultationibus, quibus minus, quam optarat, diſcendi explebatur cupiditas, animum ad meditandi, resque altiſſimi receſſus explorandi ſtudium operamque convertit, et, ut erat finiendi, partiendi, et, ex methodi mathematicae legibus, ratiocinandi ſatis peritus, ita in rebus ſacris tractandis tam feliciter verſabatur, ut Theologorum enunciata, confuſius perſaepe diſperſa, apto digereret ordine, enuclearet abſtruſa, expediret implicita, et alia ex aliis nexa colligaret. Quod vel maxime apparuit tum, cum, conſcenſis roſtris ſacris, frequentius

tius et Ienae et Lipſiae, ad populum de rebus divinis diceret, plurimumque ingenii, nec minus lucis, perſpicuitatis, facilitatis, ad res graviſſimas explicandas adferret. Qua nervoſe differendi dote quamquam omnibus erat admirationi, ſenſit tamen, ſe non tam ad eloquentiam ſacram, quam ad contemplationem mathematicam, radiumque in erudito pulvere ducendum eſſe natum. Quare, natura, vel potius providentia divina moderatrice, eam ſtudiorum iniit rationem, eas obeundas exercitationes putavit, ut omnem operam, cogitationesque omnes, Academiarum reique publicae eruditae uſibus, ſcientiarumque incrementis conſecraret, otio litterario cum dignitate fruiturus. Optati fructum tulit uberrimum, aliis poſt alia gloriae inſignibus cohoneſtatus. Quamquam enim exquiſitiori rerum utiliſſimarum ſcientia, publice privatimque adhuc ſpectata, plurimum nomini ſuo decoris amplitudinisque adiunxerat: mira tamen ingenii meritorumque famae acceſſio facta eſt, ubi laureae philoſophicae condecoratus honoribus, quos rite petenti Praeſes Ordinis ſui t. t. *Iohannes Schmidius*, A. MDCCII, Lipſiae contulerat, novi nominis dignitatem compluribus variae doctrinae exercitationibus egregie ornavit. Ineunte tertio huius ſaeculi anno, Magiſtri ornamenta tuiturus, in Academia Lipſienſi, (eo enim, ex complexu ſpatiisque Academiae Ienenſis progreſſus, ſe converterat,) conſcendit cathedram, ex qua, diſputatione in eruditiſſimorum Virorum conſeſſu habita, tam illuſtre ingenii lectiſſimaeque doctrinae dedit documentum, ut Lipſienſes, Wolfium Academiae futurum ornamento, augurio haud vano ducti, ominarentur. Luculento enim hoc ſpecimine, quo primum gradum capeſſendi muneris academici ſtruxerat ſibi, demonſtrabat, quantum valeret iudicio, quantum doctrina, ex interioribus philoſophiae adytis depromta. Diu iam multumque de morum philoſophia emendanda meditatus, nunc denique hac diſputatione primas lineas philoſophiae pra-

ſticae univerſalis, ad methodi mathematicae leges attemperandae, ducebat, idque cum tanto eruditiſſimi cuiusque plauſu, ut ab his velut initiis omnis Wolfiani nominis amplitudo, famaeque celebritas, repetenda videatur. *Godofredus Olearius*, tum philoſophorum ordinis praeſes, aditum ad cathedram, more rituque maiorum, novo Magiſtro aperuerat, conflictuque erudito cum ipſo congrediebatur, nonnullis, iisque exquiſitis dubitandi rationibus afferendis, ingenii Wolfiani vires iudiciique maturitatem exploraturus. Qui vero cum promtius ſcientiusque, quam a iuvene eius aetatis ſperari poterat, dubitationum nervos a diſputatore ſubtili incidi animadverteret, tantis ipſum condecorabat laudibus, quantis par eſt eum ornari, qui ultra philoſophorum vulgus ſapit, et de veritatibus inveniendis, ſcientiarumque finibus longius proferendis, cogitat. Neque ſoli *Oleario* Wolfianum philoſophiam morum novis augendi acceſſionibus conſilium probabatur, ſed ceteri quoque Theologi, et in his maxime *Rechenbergius*, plauſu dato, honorificentius quam quisquam crediderit de primo Wolfianae eruditionis ſpecimine exiſtimabant. Inprimis *Menckenius*, cuius animadverſioni auctoritatique cenſoriae ſubiecta fuerat diſputatio, laudat eam amicis, ut elegantem, ut ſolidam, ut exquiſitam denique et limatisſime elaboratam. Miratur idem methodi mathematicae, novo et commemorabili exemplo, ad morum philoſophiam feliciter applicatae, vim et nervos. *Leibnitio*, at quam acuto rerum philoſophicarum et mathematicarum exiſtimatori! ſcriptum commendat, nec tam commendat, quam mittit. Miſiſſe enim erat commendaſſe. *Leibnitius*, lecta diſſertatione, ſuavisſime afficiebatur, et, novos Magiſtri Lipſienſis conatus acumenque admiratus, litteris humanisſime ſcriptis eum cohortabatur, ut, qua via coepiſſet, pergeret, et, maiora auſurus, melius in dies magisque de veritate mereretur. Quo cum accederet perhonorificum *Tſchirnhauſenii* et *Neumanni* teſtimonium et

ſuffra-

ſuffragatio, tot Virorum eruditisſimorum laudibus acrius incitatus, ſcholas et mathematicas et phyſicas aperuit, miraque auditorum frequentia, quamdiu vixit Lipſiae, floruit. Nominis auxit famam dignitas amplioris loci, quem A. MDCCIII, diſputationibus ex more iterum iterumque habitis, inter Adſcriptos Ordini Philoſophorum, merito ſuo, et magna cum laude cepit. Ita, gradibus velut ſtructis, paullatim pervenit ad eam honorum amplitudinem, qua tot in Academiis, quae ipſum, inuſitatis cumulatum ornamentis, certatim ſuum eſſe cuperent, ad vitae usque exitum exſplenduit. Anno MDCCVI, quo res Saxoniae, docentiumque adeo circuli, incurſu impetuque Suecorum hoſtili turbabantur, cepit conſilium Lipſia abeundi, litteris vocatus publicis in Gieſſenſem Academiam, ad mathematum diſciplinas tradendas. Iam, collectis vaſis, iter parabat: at ipſum, nec opinantem, ad conſilium immutandum permovit Virorum, ſub id tempus in Academia Halenſi ſummorum, *Stryckii* et *Hofmanni*, auctoritas. Hos enim, cum prius quam abiret ex Saxonia, Halae, honoris officiique cauſſa, conveniret, ab utroque impenſe vehementerque rogatus eſt, ut in Academia Fridericiana, ubi rei mathematicae, tum laboranti fere, ſubveniendum erat, maneret potius, quam de itinere tam moleſto, tam ancipitis eventus, ad Haſſos ſuſcipiendo cogitaret. Quid Noſter? Diu animo multumque in diverſa verſato, neſcit, maneatne an abeat. Tandem perſuaſu inductuque *Leibnitii*, qui *Wolfium Danckelmanno*, aulae regiae purpurato, prolixiſſime commendarat, Halenſes opportunitates iis, quas Gieſſenſis Academia obtulerat, potiores eſſe ducit, publicique mathematum doctoris provinciam, ſibi a FRIDERICO I Boruſſorum Rege, eodemque Academiae Halenſis conditore, delatam, cum magna nec incerta ſpe rei bene gerendae cepit. Halas ergo Saxonum, exeunte Saeculi praeſentis ſexto anno, commigravit, novam dignitatem auſpicaturus.

Digitized by Google

Ad tantae igitur amplitudinis munus cum tantum ſcientiae, quantum ſtudii, adferret, unus omnium maxime ad fundum rei mathematicae excolendum idoneus, abeſſe non poterat, quin ſpei Patronorum, deſideriisque iuventutis his deditae artibus, cumulatiſſime faceret ſatis. Initio quidem, quamquam vel ingenii gloria et acumine, vel docendi ſuavitate, vel facilitate etiam methodique praeſtantia excellebat, par certe iudicari poterat omnibus, qui tum Halae vivebant, doctoribus: vidit tamen ſuoque expertus eſt exemplo, non ſemper eruditioni et virtuti parem datam eſſe fortunam plauſumque. Matheſis inculta adhuc neglectaque in Academia Fridericiana iacuerat, philoſophandique ardor videbatur tantum non extinctus. Ita mirum non erat, quanta frequentia Lipſiae floruerant ſcholae Wolfianae, tantam nunc in iis ſolitudinem Halis fuiſſe, ut vix pauci ad novum mathematum doctorem audiendum coirent. Quid ergo Wolfius? Nunquam, in eruditarum exercitationum curriculo, gradum ſtitit, nec veritatis ornandae ſtudio relanguit, ſed tantam in novo adminiſtrando munere praeſtitit fidem, quantam vix vel ſperare, vel exigere quisquam poterat. Qua quidem re fiebat, ut ſcholae Wolfianae gloria magis in dies magisque eniteſceret, *Wolfii*que vel in docendo perſpicuitas, vel exquiſitiſſimum iudicium, rationum pondere delectuque probatum, ubique celebraretur. Inſolita auditorum, qui ad ipſum nunc confluebant, frequentia, novusque iuventutis academicae ad matheſeos diſciplinas diligentius tractandas impetus, philoſophiae ad hoc, phyſices maxime, emendatio et incrementum, *Wolfio* unice in acceptis ferendum, tantam brevi tempore Academiae Halenſi conciliabant famam, ut ex pluribus disiunctisque locis, et ex variis et ultimis Germanorum nationibus, diſcendi cupidiſſimus quisque Halam commearet, nec, niſi Wolfiana inſtitutus diſciplina, quisquam recte philoſophari putaretur. Quae ingenii doctrinaeque fama latius evagata,

ceteras

ceteras Germaniae Academias tanta nominis meritorumque Wolfianorum admiratione implevit, ut omnes fere tantum decus inviderent Halenſibus, nonnullae etiam, in his maxime Lipſienſis, Ienenſis, Vitembergenſis, ad ſe, lautiſſimis propoſitis conditionibus, eum invitarent. Sed, regia munificentia retentus, permanſit Halae, ubi, creſcente fama, auctisque fortunae lautioris ornamentis, tam bene ſibi videbatur vivere, ut honore ab exteris ſibi oblato, emolumentisque facile careret. Pluris vero, quam omnes alias, identidem propoſitas, opportunitates, aeſtimavit graviſſimum publicumque, quo a Britannis ornabatur, teſtimonium. Hi enim, cum in Wolfiani ingenii monimentis, quae mirabantur, non trita, ſed nova et exquiſita proferri intelligerent, venerabundo cultu tanti nominis permoti, ipſum, nihil huius cogitantem, communibus ſuffragiis Sodalitati ſuae Londinati Anno MDCCX. adſcribebant, et in praecipuis ſuis numerabant ornamentis. Ita magnis doctisſimorum Virorum, qui trans mare vivunt, ſtudiis laudibusque cohoneſtatus, abeſſe non poterat, quin pari honore paullo poſt a Societate litteraria Berolinenſi adficeretur, Conſiliarii ſimul aulici titulo, auctoritate regia, A. MDCCXV adiuncto. Quo novo gloriae theatro aperto, acrius ſe ſenſit extimulatum ad optime merendum de philoſophia, de phyſica inprimis et matheſi, quibus ornandis emendandisque, divino conſilio, natus deſtinatusque eſſe videbatur. Eo valebant, quae ſingulis annis, ſingulisque fere cuiusque anni menſibus, foras dabat ſcripta, tam limata, ut vel ob exquiſitioris argumenti praeſtantiam, vel ob miram in inveniendis connectendisque veritatibus accurationem, conſentientibus eruditorum iudiciis ac teſtimoniis fuerint comprobata. Gratulari ergo ſibi poterat debebatque Hala de tanto Viro, qui Academiae erat ornamento, quem Germania colebat et obſervabat, quem in pretio habebant Belgae, quem Galli admirabantur, Germanisque invide-

videbant, quem ſuſpiciebant Itali, quem Britanni ferebant laudibus, quem Septentrio, ut incomparabile eruditorum decus, mactabat honoribus, et quanto maximo poterat plauſu ornabat. At vero, ſunt peſtes quaedam hominum, aliena laude dolentium, quos quem in furorem agit perſaepe invidia? Quanto altius ſurrexerat *Wolfii* gloria, tanto minus malevolorum obtrectationem, laudibus ſuis obterendis intentam, evitare poterat. Fit enim ita fere, ut omnes ii, qui veri decus aſſerunt, errorumque et ſuperſtitionis intercedunt corruptelis, indignisſimam gloria ſua fortunam ſubire cogantur. Quibus ſaevientis fortunae procellis exagitatus fuit Grotius, qui, de litteris licet immortaliter meritus, extorris tamen patria, domo, inops, et miſeriis coopertus, ubivis tutius, quam inter cives ſuos vivebat! Quantam iniuriarum molem ſuſtinuit Carteſius, cum de philoſophia integritati decorique ſuo reſtituenda cogitaret, in diſcutiendis errorum tenebris unice occupatus! Quantam invidiae tempeſtatem ſibi contraxit Puffendorffius, ſtrenuus, ſi quisquam, acerrimusque veri aſſertor! Quam vario iniuriarum genere laceratus, quibus conviciis proſciſſus fuit Thomaſius, ridiculis Scholaſticorum ineptiis exſibilandis exſtirpandisque intentus! Quam ſaepe Leibnitius, confiсto Atheismi crimine, famae ſuae labem adſperſam vidit! Mirum ergo videri non debet, *Wolfium*, qui horum, quos commemoravi, nemini vel acumine, vel veri propugnandi ſtudio concesſit, ſimilia perpeſſum eſſe fata, innumerisque et foedisſimis, undique congeſtis probris fuiſſe lacesſitum. Ab initio ordiendum eſt.

Cum plauſus laudesque, quibus et commentationes Wolfianae a iuventutis academicae coetu, et ſcripta ab exteris, iisque eruditisſimis, excipiebantur, maiores eſſent, quam ut collegarum nonnulli aequo eas ferre poſſent animo: fieri non poterat, quin invidia, obſcure ſerpens, maiores in dies acquireret vires, odiumque, diu iam incluſum

ſum in lividorum mentibus et compreſſum, impetu tandem prorumperet. Neque nulla invidiae parata erat materia. Orationem, (inde enim omnis fortunae, quam ſubiit Noſter, adverſae, origo repetenda eſt,) in illuſtri Senatus Academici, hoſpitum, iuventutisque litteris deditae conſeſſu, more rituque maiorum, A. MDCCXXI. habuerat, purpuram cum dignitate Prorectoris Academici depoſiturus. Qua cum Wolfius philoſophiam Sinenſium moralem, interſperſis ſubinde Confucii laudibus, nervoſius diſſerendo explicaret, aegre id tulit Theologorum ordo, qui, errores, neſcimus quos, in ea deprehendiſſe ſibi viſus, captabat inde occaſionem claſſici canendi. Alii clanculum ipſum mordere; alii aperte nec diſſimulanter, quin etiam pro concione ſacra, philoſophiae Sinicae errores, eorumque propugnatores gravius obiurgare; alii alia via Wolfium hoſtiliter aggreſſi, Spinozismi, Fatalismi, Atheismi, et cuius non Ismi ipſum accuſare, omnes autem orationem de Sinenſium philoſophia adferre tantorum criminum cauſſam et materiam: fere ut Romulus, interemto fratre, muri cauſſam oppoſuit ſpeciem honeſtatis, neque probabilem, neque ſatis idoneam. Litteris, ultro citroque miſſis, res diſceptabatur: tandem vero adverſarii, veritatis vi victi, obmutuerunt, aliam, eamque opportuniorem, famae laudibusque Wolfianis detrahendi occaſionem arrepturi. Neque defuit ea nocendi cupiditati. Ediderat *Wolfius* A. MDCCXX, atque adeo paullo ante, quam oratio de Sinenſium philoſophia morali tantos concitarat motus, Metaphyſicam, ſive meditationes, ad rationis normam conformatas, de Deo, anima, et mundo. Iſte libellus, dici non poteſt, quantas excitarit tragoedias, in Academia maxime Halenſi. Indignius ferebant alii, *Wolfium* a re mathematica ſtudium operamque convertiſſe ad philoſophiam, eamque ſublimiorem, tradendam; alii, et in his maxime Theologi, idoneum magis, quam nunquam ante, tempus nacti, gravius *Wol-*

fianam

ſianam μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος incuſandi, materiam criminationum ex hoc libello, exiguo illo quidem, at litibus ſerendis alendisque aptisſimo, arceſſebant. Cumque ipſi ulcus hoc tangere nollent, Straehlerum quendam, philoſophiae tum magiſtrum, eundemque Wolfii quondam auditorem, pollicitando et gratia permovebant, ut contra praeceptorem arma ferret, Metaphyſicaeque Wolfianae enunciata examini, typis imprimendo, ſubiiceret. Subiecit: at res aliter, ac opinatus erat Theologorum ordo, cecidit. *Wolfius*, cauſſa fretus, tectusque innocentia, contemnebat potius adverſarii, tam imbecillis, tela, quam ut retundenda putaret. Eius rei arbitrium totum refertur ad Senatum Academicum: poſt, ubi de Straehleriano auſu impudentiaque Rex factus eſt certior, fit decretum, uti Straehlerus licentiae graves det poenas, neu ſcribat poſthaec quicquam, quod vel *Wolfii*, vel ullius Profeſſoris Academici, quisquis fuerit, famae detrahere videri queat. Ita tum, compreſſa Straehleriana procacitate, diſceſſit victor *Wolfius*: at adverſarii, qui, iurato foedere, in tanti philoſophi perniciem conſpiraſſe videbantur, non, niſi extincto, quem acerrime oderant, *Wolfio*, conquieſcendum ſibi putabant. In tanto, tamque turbulento adverſitatum concuſſu, mireris, *Wolfium*, quamvis publicis complurium Regum populorumque litteris evocaretur alio, non potuiſſe tamen adduci, ut locum, quem videbat eſſe ſcopuloſisſimum, nulla, licet lautisſima, conditione, undecunque ſibi oblata, mutandum exiſtimaret. Petrus I. Ruſſorum Imperator, cui eam Deus dederat mentem, ut impenſe cuperet, populum, parendi lege ſibi ſubiectum, quem ferocem immanemque natura finxerat, aut efferaverat licentia, ad humanitatis cultum traducere, in eo omnes ingenii contendebat nervos, ut provinciarum ſuarum urbes, de integro velut conditas, iure, legibus, optimisque moribus emendaret. Quibus cum nationem Ruthenicam inter arma aſſueſcere

videret

Digitized by Google

videret non poſſe, varii generis artes introduxit, Muſarumque ſacra, ab exteris adſcita et arceſſita, benignius recepit, liberalisſime eruditos fovit, et magnifice ornavit. Felicitati Ruthenorum reparandae, reique litterariae rationibus in regno ſuo conſtituendis moderandisque, unum omnium maxime praeeſſe voluit *Wolfium*, cui, per aulae purpuratos iterum iterumque A. MDCCXV, et MDCCXX. liberalisſime invitato, ea promiſit laborum praemia, ea ornamenta, quibus ante id tempus eruditorum nemo in omni Europa fuit cohoneſtatus. Eodem fere tempore, Noſtro Praeſidis dignitas in Scientiarum Academia, Vindobonae, Caroli VI. auſpiciis conſtituenda, delata fuit; neque dici fere poteſt, quanta aemulatione plures alii Principes Regesque tum vel inprimis, cum *Wolfius* Halae iniurioſius tractaretur, in eo ornando et ad ſummam dignitatis amplitudinem evehendo elaboraverint. Maxime Carolus, Cattorum Princeps, A. MDCCXXIII, qui, tanquam ex ſpecula, fata philoſophi proſpicere ſibi viſus, conſtituto ſtipendio liberaliori, vereque regio, ipſum ad ſe invitavit, Academiae Marburgenſis, inclinatae iamiam et prope collapſae, rationibus, aut *Wolfii* conſilio et eruditione, aut nullo alio modo conſuli poſſe arbitratus. At Noſter, ultro recuſatis, licet amplisſimis, conditionibus, Halae permanere ſecum conſtituit; ne, animi fracti et abiecti timiditate et ignavia, ceſſiſſe potius malevolorum inſidiis videretur, quam easdem conſtantia et firmitate ſupeaſſe. Sed vero, quanto diutius commoratur Halae, tanto vehementius ſibi videt confligandum eſſe cum tortuoſis nonnullis ingeniis. Invidia in eam impulerat mentem obtrectatores, ut, quem adhuc ſatis aſtute quidem, at fruſtra aggresſi fuerant, ad eum nunc gladiatorio animo, ut ait ille, adfectarent viam. Auctoritatem irae, hucusque ſine viribus vanae, adiungunt. Univerſum Theologorum Philoſophorumque ordinem ad arma vocant. Omnes, quos ediderat *Wolfius*, libros ſu-

Nnn munt

munt examinandos, et, quem quisque confutaret, conſtituitur. Alius alios ex iis excerpit errores, omnes autem, paucos ſi exceperis, in eo conſentiunt, Metaphyſicam plurimum continere veneni. Publicantur, qui fuerant excerpti, errores, et, altero alterove concluſi volumine, ſubiiciuntur eruditorum iudiciis. Wolfius reſpondet, et ab iniuriis, quibus infamari ſe aegre fert, nomen defendit ſuum, editaque commentatione de differentia nexus rerum ſapientis et fatalis neceſſitatis, obtrectatores, criminibus diſſolvendis, proſternit. Horum tamen praecipuus, velut dux perpugnax, *Langius*, bellum redintegrat, nec modo, altera poſt alteram commentatione contra *Wolfium* edenda, turbas auget, in eruditorum invidiam eum adducturus; verum quoque ad regem ipſum *Wolfii* nomen defert de Atheiſmi crimine, transmiſſis Berolinum ſcriptis, Theologorum Philoſophorumque nomine confectis. His quidem in ſcriptis, ad Regem perlatis, multa Philoſopho noſtro invidioſius afficta fuiſſe accepimus, de quibus ille ne ſomniando quidem cogitarat. Haud obſcure enim *Wolfius*, in hoc libello, Atheiſmi incuſabatur; et, ne quid confinxiſſe viderentur, criminationum praeſidia cauſſasque ex eo petebant, quod argumenta, pro exiſtentia Dei adhuc adferri ſolita, infirmaret, quodque, iis prorſus exploſis, novum quoddam, idque ſatis ſpinoſum, innumerisque obſtructum difficultatibus proferret; quod item definitionem Dei, erroris plenam, periculoſiſſimam, et talem denique, qualis ab Atheo concedi poſſit, in Scriptis ſuis adtulerit; quod libertatis humanae fundamenta evertat; quod Deum eſſe peccati cauſſam et machinatorem pronunciet; quod doctrinam de miraculis ludibrio Atheorum exponat; quod facile probatu eſſe neget, genus humanum aliquando initium cepiſſe; quod denique, propugnatione harmoniae praeſtabilitae ſuſcepta, hominem ex duplici conſtitui automato affirmet, atque ita ordinem rerum, fixis immutabilis cuiusdam neceſſitatis legibus colligatum,

Digitized by Google

ligatum, defendat. Satis erat, ſatis criminum, quibus publicus tantorum meritorum doctor poſtulabatur. Quae quamquam dudum ita omnia diluerat Noſter, ut, quae male intellecta fuerant, diſtinctius explicaret, et, turpiſſima criminis macula deterſa, innocentiae praeſidiis ſe tegeret: expertus tamen eſt, virtutem per ſeipſam ſaepe parum tutam eſſe. Quanto enim magis, et Regem, et illuſtres aulae Berolinenſis purpuratos, honori ſuo faviſſe adhuc intellexerat, tanto nunc vehementius, commutata ſubito fortuna, exterrebatur.

Anno MDCCXXIII. d. XII. Nov. regiae litterae ad Senatum Academicum perferebantur. Academiae Prorector, ſigno detracto, lectisque litteris, ubi cognorat gravius quid, quam ipſi adverſarii opinati fuiſſent, in *Wolfium* ſtatui, non poterat, quin cum ceteris, qui aderant, academiae magiſtris, *Wolfio* licet infenſis, inſolito attonitus ſtupore, perculſusque terrore, obmuteſceret, nec ſciret fere, utrum tam triſtis nuncius ferendus eſſet ad *Wolfium*. Ex Regis enim decreto *Wolfius*, de ſtatione graduque deiectus, omnibus exuebatur dignitatibus, et, Hala exturbatus, ſolum vertere cogebatur. Quod quidem etſi ad percellendum *Wolfii* animum ſatis eſſet aptum, ingraveſcebat tamen terror, cum ex regiis cognoſceret litteris, non tergiverſandum eſſe, non moras nectendas, ſed prius quam quatuor et viginti horarum elapſum eſſet ſpatium ſibi Hala abeundum, et ex omnibus omnino provinciis Boruſſicis intra biduum diſcedendum. Horret animus, et refugit meminiſſe poenae, quae conſtituta ei fuerat contra, quam edicto ſancitum erat facturo.

Incredibile dictu eſt, quanto terrore confuderit haec fortunae inconſtantia, non dicam *Wolfium*, ſed omnes eius amicos, omnes Academiae Halenſis cives, et nonnullos quoque ipſius adverſarios, qui, ſubito velut fulmine percuſſi, ſtupebant, nec decernere fere poterant, lae-

Digitized by Google

tanduſne ſit potius, an lugendus tam inſolitus caſus. Quid ergo *Wolfius?* Res ſuas, quantum per temporis anguſtiam licet, componit, vaſa colligit, dat ſe in viam, vixque ipſi copia datur unum alterumve amicorum ſub disceſſum ſalutandi. Atque ita in ſinum complexumque Caroli, Cattorum Principis, a quo Noſter, ut diximus, tam impenſe tamque benigne et liberaliter invitatus fuerat, confugit, e turbulento mari tanquam in portum venturus. Ab Carolo tanta excipitur comitate et clementia, ut neſciret *Wolfius*, conveniatne magis mirari inuſitatam Principis gratiam, ſibi exuli et hoſpiti praeſtitam, an novam fortunam, ex commutato rerum ſuarum ſtatu oriundam. Litterae, Principis ſigillo et auctoritate publica munitae, quibus ad novum munus vocatur, ſeptimo die poſt quam Hala abierat, Caſſellis, ab illuſtri Dalwigkio, cum perhonorifica principalis gratiae ſignificatione, ipſi coram traduntur. Reditus annui, iique opulentiores, conſtituuntur. Pecunia, frumentum, et quicquid ad bibliothecam ſupellectilemque Wolfianam Marburgum devehendam requiritur ſumtuum, id ex aerario publico ſolvitur, curanturque omnia, quibus ad rem familiarem Marburgi recte conſtituendam, et ad neceſſitates vitae expediundas indiget Wolfius, ne quid ex repentina commutatione et abitu Halenſi caperet detrimenti. Invident Haſſis tantum decus cum ceteri populi, tum Saxones vel inprimis, qui, in *Wolfium* omnia ornamenta, liberali manu congeſturi, eum in Academiam Lipſienſem revocant, additisque pollicitationibus regiis, ſuum eſſe cupiunt. At nihilominus, quam decreverat, perſequitur viam, et, exeunte huius Saeculi anno tertio et viceſimo, Marburgum concedit, Matheſeos et Philoſophiae Profeſſoris Primarii dignitatem capeſſit, Conſiliarii aulici titulo et inſignibus, ut ante Halae, condecorandus. Fama praeceſſerat ipſum magna, maior inventus eſt. Aperuit, ſub huius Saeculi anni quarti et viceſimi initium, ſcholas et mathematicas, et philoſophicas, atque,

inde

inde ab eo tempore, de ſomno velut excitata diuturno, revixiſſe videbatur Academia Marburgenſis. Quae enim de *Wolfii* ſatis Halenſibus, mutataque rerum ac fortunarum illius ſede, ad omnes Europae populos permanaverat fama, tantum aberat ut ipſius diminueret exiſtimationem, ut etiam maiores, quam numquam antea, gloriae fortunaeque ipſius factas eſſe acceſſiones, res ipſa, tragoediaeque exitus unumquemque doceat. Plurimi ad libros *Wolfianos* lectitandos accedunt, nunquam acceſſuri, niſi erroribus confingendis tantopere infamaſſent eos malevoli. Innocentes, perſpicui, ſolidi, et bonae frugis pleni a lectoribus recte ſentientibus deprehenduntur libri tam famoſi. Quid ergo? Laudatur et defenditur Wolfius. Contemnuntur et, gravi notati animadverſione, caſtigantur adverſarii. Sic in partes itum eſt. Alii, qui a *Wolfianis* ſteterunt partibus, dicti ſunt ex eo tempore *Wolfiani*, qui contra ſenſerunt, anti Wolfiani. Praeterea brevi, *Wolfii* adventu et eruditione, ſic illuſtrata fuit Academia Marburgenſis, ut ex ultimis Sarmatarum, Dacorum, Suecorum, Helvetiorum, Danorum, aliarumque gentium finibus progreſſi, frequentisſimi ad eum confluerent auditores, ipſaque adeo Academia, quae ante Wolfii adventum a ſolitudine et vaſtitate propius abeſſe videbatur, famae celebritate, et ſtudioſorum frequentia, ceteris omnibus antecelleret, par certe iudicaretur. Extra teli iactum poſitus, et tanquam in portu tutus, docendo, commentando, variique generis ſcriptis philoſophicis edendis, tempus otiumque conſumit, et generoſo contemnit animo maledicorum voculas, ad quas, innocentia Principisque gratia tectus, dudum occalluerat. Et qua tandem ratione calumniarum punctiunculis concuti commoverique poterat is, qui, etiam Marburgi, a potentisſimis Europae Regibus et Imperatoribus ornari ſe vidit honoribus invidendis, quos mereri, quam prenſare, malisque aucupari artibus, malebat. Anno MDCCXXV, eruditae, quae Petropoli apud Ruſſos floret, Academiae Scientiarum, cui ornandae iam dudum a Petro Magno maxime

xime idoneus putabatur, Profeſſor Honorarius, addita annua penſione lautisſima, ſcribebatur; Auguſtisſimaque Rusſorum Imperatrix, conditiones ſplendidisſimas et optabiles, olim oblatas, ipſi etiam nunc in Ruſſia patere, litteris clementiſſime ſcriptis ſignificavit. Hos honores, quos nec expetebat, nec exſpectabat, inſecuti ſunt multi alii, iique ampliores. Ut enim ſilentio praetereamus, plurimos, eosque eruditiſſimos *Wolfii* et philoſophiae Wolfianae defenſores, quorum magnum proventum eo tempore tulerunt omnes fere Germaniae Academiae: quanti convenit illud aeſtumari, quod Fridericus I. Suecorum Rex, qui Carolo, A. MDCCXXX. placide defuncto, ſucceſſerat, eadem qua Carolus, et maiori etiam, clementia complexus ſit *Wolfium*, et propemodum in amicis et familiaribus habere conſueverit? Quoties abſens ad Noſtrum litteras, clementisſime ſcriptas, dedit? Quoties, cum Caſſellis eſſet, cum *Wolfio*, ad ſe invitato, ſermones, eosque eruditae humanitatis ſale perſperſos, de rebus graviſſimi argumenti conſociavit? Quoties eum, praemiis ornamentisque aliis plurimis cumulatum, abs ſe dimiſit? Unicum, (exſtant enim plurima regiae gratiae in *Wolfium* documenta,) adtuliſſe ſufficiat. Sub novi anni auſpicia clementiſſimus Rex Noſtro, ut fere amicus amico, proſperrima quaeque non modo apprecatur, ſed, in gratiae ſingularis teſſeram, numum aureum, eundemque ingentis ponderis, ei dono mittit. Splendent in facie una imagines Maiorum Auguſtorum, unde genus ſuum deduxit Regina, in orbem diſpoſitae, Rege centrum occupante. Vix quarta anni pars elapſa fuerat, cum novum gratiae documentum adderet Rex clementisſimus. Eum enim, nec opinantem, ad Conſiliarii Regiminis dignitatem evehit, illumque inter Profeſſores Marburgenſes in ipſo corpore tribuit locum, qui ſplendori huic conveniebat. Ita igitur patuit, tantum *Wolfio*, indignisſimo exilio, eripi non potuiſſe, quantum ipſi, damno reconcinnato, reſtituebatur.

Anno

Anno MDCCXXIII. nova, eaque illuſtris gloriae *Wolfianae* acceſsio eſt facta. Rex Chriſtianisſimus in Scientiarum Academia, quae Pariſiis floret, locum, morte illuſtrisſimi Comitis de Pembrock vacuefactum, noſtro, licet extero raro et commemorabili exemplo, decernit; quod more conſueto rite electum, una cum mathematico quodam celeberrimo, illuſtris haec Societas illo dignum propoſuit Regi, et prolixisſime commendavit. Quae quidem honorum inſignia, quemadmodum ad amplisſima fortunae et amplioris dignitatis ornamenta, quae paullo poſt Wolfio vel invito obtrudebantur, plurimum adtulerunt adiumenti; ita iudicari poteſt, quam turpiter tandem malevolentia, in tanti *Viri* exitium adhuc accincta, ceſſerit virtuti innocentiaeque victrici.

Quae quidem omnia quamquam ſatis ampla ſunt, et ad *Wolfiani* nominis commendationem non modo inſignia, verum quoque eiusmodi, ut ſingularis providentiae divinae, pro tanti Viri vita, incolumitate, honoribusque excubantis, veſtigia non obſcura, ſed expreſſa ante oculos conſtituant: multo tamen eminentiora reſtant dicenda, quae vix credat, ſi qua futura eſt, poſteritas.

Idem ille Rex potentiſſimus, cuius ira fulmen ante decem annos in *Wolfium* iaculata, maximam omnibus philoſophiae cultoribus incuſſerat formidinem, idem Rex, inquam, a perilluſtri Cocceio, aliisque eruditis et ſummis aulae miniſtris, in mitiorem inductus ſententiam, de *Wolfio* Halam revocando cogitare coepit. Mandat Cocceio, A. MDCCXXXIII, ut cum eo per litteras de mutando domicilio, rebusque ſuis et fortunis Halam transferendis agat, pollicitationibus auctioris et amplitudinis et fortunae adiunctis. Quo nuntio, quem omnium minime exſpectabat, attonitus Noſter, litteris ad Cocceium exaratis, Regis ſibi conciliati gratiam gratisſimus praedicat ille quidem, at compoſitae mentis eſſe putat, non efferri praecipitis impetu conſilii, neu, niſi explorate, navigare. Sperat praeterea fore, uti Rex, tot inter dubitationes et moras,

ras, alio cogitationes convertat, deque propoſito deſiſtat. Quae dum aguntur, fama, ut fit, exit ad omnes populos, de *Wolſio* propediem Halas redituro. Qua quidem re gravius, quam dici fere poteſt, commoventur Halenſes nonnulli, *Wolſio* infeſtisſimi, qui hoc iam agunt, hoc meditantur, ut, ſi non vi, dolo certe et varii generis machinationibus, reditum in Academiam Halenſem, Regisque gratiam ipſi intercludant. Nova confingunt crimina, errores ex ſcriptis Wolfianis non intellectis conſarcinant; quod centies dixerant ante alias, idem dicendo repetunt; in Regis invidiam, callida, ne dicamus, malitioſa interpretatione philoſophiam Wolfianam adducturi. Rex, tot diſſonis de *Wolſio* iudiciis varie turbatus, ancipiti cogitandi cura diſtrahitur: at, ne diutius ignoraret, quid in utramque partem recte exiſtimetur, viam, eamque exploratisſimam init, verum, tot discrepantibus amicorum inimicorumve *Wolſii* opinionibus involutum, eruendi. Conſtituuntur, iuſſu et auctoritate regia, ſub Praeſidio Cocceiano, arbitri quatuor Theologi, duo Lutherani, totidemque Reformati, qui, ob acumen exquiſitisſimaeque famam doctrinae, et poſſe verum a falſo internoſcere, et, ob ſpectatam fidem vitaeque ac morum integritatem, non nolle, recte exiſtimarentur. Hi, partiti inter ſe operas, controverſiae Wolfianae diſceptandae negotium, quod ipſis a Rege demandatum erat, ita aggrediuntur, ut alius aliud ſcriptum Wolfianum ſumat excutiendum, omnes autem, cauſſis odii amorisve procul faceſſere iuſſis, ad rationis normam, verique praecepta, exigant poſitionem unamquamque, inprimisque, quos, aut quam graves commiſerit errores *Wolſius*, diligentisſime inveſtigent. Quod quidem gravisſimi momenti negotium a Theologis, ad dirimendas tot lites delegatis, tanta induſtria, quanta fide, conficitur, exituque concluditur philoſophiae Wolfianae ſatis glorioſo. Omnes enim, qui a Rege ſumti erant, arbitri, mira teſtimoniorum conſenſione pronunciant, philoſophiam Wolfianam ab omnibus iis, quos confinxerit invidia, erroribus liberam; ſeque, negant, in

ſcriptis

Digitized by Google

ſcriptis a *Wolfio* publicatis, inveniſſe quicquam, quod aut ad Atheiſmi, aut ad Spinoziſmi ſimilitudinem accedat. Ita cumulate ſatis ſibi factum vidit *Wolfius*, et philoſophiae Wolfianae gloria, ad quam obterendam nihil reliqui fecerant invidi, non modo reparata, verum etiam ita aucta ex eo tempore fuit, ut altius ſurgere non poſſe videretur. Rex, perſpecta Viri innocentia, mutat de philoſophia Wolfiana iudicium, nihilque omittit, quod ad ipſum Halam allectandum pertineret. Quid? quod litteras, crebrius repetitas, et ſua ipſe manu ad *Wolfium* ſcribit; et ſcribi iubet per Cocceium, in quibus dat multas nec dubias reconciliatae gratiae ſignificationes, ſumma ope conniſus, ut tantorum meritorum amplitudine inſignem philoſophum, rogando, hortando, conditionibusque liberaliſſimis propoſitis, ad redeundum in Academiam Halenſem permoveret. Vice-Cancellarii in Academia Fridericiana, et Conſiliarii Intimi dignitas ſplendidiſſima, cum annua penſione mille et ducentorum thalerorum ei offertur, cum aliis emolumentis, quae optaverant multi, pauci conſecuti ſunt. Quid ergo Noſter? Tot ipſum, gravius commotum, impediunt curae, ut, quid conſilii caperet, conſtituere non poſſet. Aliud ſuadet memoria beneficiorum, a Principe ſuo acceptorum, iisque devincta grati animi pietas, amor item quietis, qua iucundiſſime perfruebatur Marburgi; metus praeterea hoſtilium inſidiarum, quae ubivis tutius, quam Halae, ipſum vivere ſinerent; ſcriptorum denique formae maioris, quae Marburgi inchoaverat, ſine interpellatoribus continuandorum, ſtudium. Suadet aliud Regis potentiſſimi iterata ſollicitatio; ad hoc ſpes lautioris fortunae, clementiſſime oblatae, reparandique honoris, de quo non exiguam deminutionem nuperrimo, quod ſubierat, fato, factam eſſe putabant nonnulli, malevoli certe; et denique de invidia, publice ſolennique pompa triumphandi occaſio. Diu ita animo huc illuc impulſo, tandem, litteris ſubmisſiſſime ſcriptis, a Rege petit, ut manendi potius copiam ſibi faciat, quam abeundi impo-

nat neceſſitatem. Acta haec omnia ſunt inde ab anno huius Saeculi tertio et triceſimo usque ad noni et triceſimi exitum. Quo quidem ſexennio, neſcimus an Wolfio ullum aliud in omni vita fuerit glorioſius, quippe cum fortuna propitia, aut potius providentia divina, omnia ornamenta, intra ſex hos annos, in ipſum congerere voluiſſe videatur. Sub idem enim tempus, Anno nimirum MDCCXXXIII. Menſ. Dec. ab illuſtri Münchhauſenio, Maecenate in exemplum nominando, accipit litteras *Wolfius*, easque benignius et humaniſſime ſcriptas, quibus, Georgii, Britannorum Regis, nomine, ad philoſophiae mathematumque diſciplinas in Goettingenſi, proximo anno condenda Academia, tradendas invitatur, tantis honorum ornamentis ſtipendiisque oblatis, quanta ipſe ſibi optaverit, aut eſſet delecturus. Non ita multo poſt parem dignitatem et emolumenta ei offerunt Batavi, qui Ultraiectinam Academiam, eruditiſſimis Viris omni tempore florentiſſimam, ſe non ulla re dignius ornare putabant poſſe, quam *Wolfio*, Mathematicorum Principe, omnisque Europae ornamento evocando. At Marburgi, tanquam in portu, tranquillius, quam alibi ſplendidius, vivere maluit Noſter. Quamquam ipſi, in tanto bonorum cumulo, nihil ad bene beateque vivendum deeſſe videbatur, quadrageſimo tamen huius Saeculi ſequentibusque annis, fautrix fortuna eidem ornando ultimam admovit manum, operi ſuo tamquam faſtigium impoſitura. Anno MDCCXL, mortuo Friderico Guilielmo, Rege Boruſſorum, faſces imperii capeſſit filius, Fridericus II, togae bellique dotibus eminentiſſimus. Hic, vix dum conſcenſo ſolio regali, nihil prius, quam de *Wolfio*, agit, et in praecipuis maximeque neceſſariis curis habet, ut eum ad Ius naturae et Matheſin docendam, atque alia munia ampliſſima in Academia Halenſi capeſſenda, invitet, ſtipendium annuum bis mille thalerorum, Procancellarii item Conſiliariique intimi dignitatem, tutiſſimum denique adverſus hoſtiles inſidias munimentum, et quid

non?

Digitized by Google

non? pollicitus. Prolatandis conſultationibus tempus extrahere noluit nunc *Wolſius*, tanto promtior ad obſequendum, quanto plus poterat ſperare praeſidii felicitatisque a Rege, et ipſo Philoſopho, ſine exemplo maximo, et ad Philoſophiam ornandam defendendamque tum paratiſſimo. Pridie ergo Calend. Nov. Marburgo abit, abeundi venia, quam a Sueco Boruſſus, Rex a Rege petierat, impetrata, venitque ſexto quam diſceſſerat die poſt, inter votivas acclamantium voces, inter tot congratulantium ſtudia et certamina, Halas, unde, repentino diſceſſu, ante ſeptendecim annos, triſtiſſimus demigraverat vehementerque conturbatus. Atque ita tandem *Wolſio* in eum, ex quo pulſus erat, locum redeunte, philoſophia, velut victrix, de ſuperſtitione et calumniis glorioſe triumphavit. Humaniſſime ſub adventum exceptus ab amicis, domique, honoris officiique cauſſa, ſalutatus a Collegis, nulla interpoſita mora ſcholas aperuit, tantaque auditorum floruit frequentia, quanta ante eum philoſophorum aut pauci, aut, quod credibilius eſt, nemo. Omne tempus, quod ad bene merendum de Academia deque philoſophia concedebatur, ita diſpoſuit, ut magnam eius partem inſtituendis litterarum ſtudioſis impertiretur; maiorem vero conficiendis, quae Marburgi inchoaverat, ſcriptis maioris formae, ex voluntate regia tribueret. Ita factum eſt, ut et iuventutis academicae ſerviret commodis, et, admiratione ſui exteris iniecta, philoſophiae Wolfianae in omnibus omnium fere gentium provinciis, Academiis, Gymnaſiisque, cultores excitaret et propugnatores. Ipſe Rex, cum, quantum decoris et commodorum adferret academiae *Wolſii* praeſentia, intelligeret, eum, magnis licet iam cumulatum ornamentis, maioribus dignum cenſebat, et ſplendidisſimam Cancellarii dignitatem, mortuo Ludovico, A. MDCCXLIII gratioſiſſime in eum contulit. Quos honores ſecuti ſunt paullo poſt alii, iique ceteris omnibus qui praeceſſerant

Digitized by Google

certo modo eminentiores. Cum poſt Caroli VII Imperatoris deceſſum, ſuperiore Imperii interregno, Maximilianus Ioſephus, filius, idemque Elector Bavariae, dignitatis vicariae munus gereret, ſingulari ductus gratia, *Wolfium*, A. MDCCXLV, menſe Septembri, imaginum inſigniumque equeſtrium iure, Liberique Baronis titulo ornamentisque donabat. Quas Nobilitatis tabulas eo ſpectare volebat clementisſimus Imperii Vicarius, ut et meritis Wolfianis monimentum aere perennius exſtrueret, et gratiae referendae ſtudium probaret ei, e cuius ſcriptis, ab Ickſtadio ſibi explicatis, miram ſcientiae ſublimioris ubertatem et copiam hauſiſſet. Inter gloriae Wolfianae inſignia illud denique referendum videtur, quod pretioſo numo, in ipſius laudem memoriamque cuſo, iterum iterumque fuerit cohoneſtatus. Genevae Dasſierius, flandi ſignandique aeris peritisſimus artifex, hoc ſe amoris obſervantiaeque officium debere *Wolfio* putabat, ut numum cuderet, imagine philoſophi noſtri inſignitum, et aliis decoratum ſimulacris, quibus Wolfiana laus continetur. In parte adverſa eſt *Wolfii* effigies, artificioſe expreſſa, paullulumque eminentior; in averſa ſedet philoſophia, linteo induta veſtitu, et ſuis ornata comis, in cubitu, quem tortuoſus anguis, cauda in os inſerta, circum amplectitur. Cornu Copiae gerit in manibus, his additis verbis: Sedes fructusque perennis. Conſimili numo Veſtnerus, artifex Norimbergenſis, *Wolfii* faciem, in aere fictam, amicis dedit, adiecta inſcriptione non ineleganti. Kochius denique, Gothanus, in aere ſculpendi artificio inſignis, memoriam anni, quo Marburgo redierat Halam, ad poſteros numo exquiſite fabrefacto tradidit. Altera parte conſpicitur Wolfiana effigies, altera Hala, ſupra quam Sol, ex nubibus erumpens, his adiectis verbis: Halam reliquit A. MDCCXXIII, rediit A. MDCCXL. Ea praeterea re multum *Wolfio* declararunt honoris omnium nationum eruditisſimi Viri, ſummi Principes,

cipes, quin etiam Reges, quod, cum nullam ſibi tanti Viri coram videndi fieri copiam cernerent, eius imaginem, a compluribus, iisque in arte ſua excellentisſimis pictoribus, ſaepius expreſſam, magno ſtudio, et nonnunquam magnis ſumtibus conquiſiverint, eamque in Muſeis, Palatiis, Bibliothecis, tanquam ornamentum praecipuum, poſterisque monſtrandum, collocarint. Quanta ex eo in Noſtrum redundavit gloria? quod Reges, Principes, Comites, aularum, non modo Romanae, verum quoque Europaearum fere omnium Purpurati, ſua ad ipſum manu familiarius ſcripſerint, eumque propemodum habuerint inter neceſſarios. Quanta ex eo, quod Rex Galliae Bibliothecae regiae Catalogum, lautisſime excuſum, nec niſi regis amicis donari ſolitum, *Wolfio* dono mitti iuſſerit! Aeternis in laudibus verſantur, ſempiternaeque commendantur gloriae ſcripta, ab ipſo edita, quorum tantus eſt numerus, ut plura ſcripſerit, quam multi alii legerint, tanta praeſtantia, ut in omni, qua cultior eſt, Europa legantur, explicentur, mirificoque ſuffragiorum plauſusque conſenſu excipiantur.

His, quae commemoravimus, cunctis ornamentis honorumque inſignibus, multum addidit ſplendoris dignitas florentisſimusque ſtatus domus ipſius Wolfianae, ex matrimonio profectus. Anno enim MDCCXVI, Prid. Cal. Octobr. Halae, decimo anno poſtquam illuc venerat, virginem omnia ſexus elegantioris decora complexam, Catharinam Mariam, nobilisſimis Brandiſiae gentis natalibus oriundam, matrimonio ſibi iunxit, cumque ea usque ad vitae exitum iucundisſime concordisſimeque vixit, tribus filiis ex ea procreatis. Horum duo praematura morte deceſſerunt: natu maximus, Ferdinandus, tranquilliorem vitam, in praedio equeſtri klein Dölzig, quod pater paullo ante obitum emerat, ingreſſus, uberrimos paternae gloriae virtutisque fructus percipit. Quamquam autem inter continuas ſtudiorum operas, non poterat

non defatigari *Wolfius*, ipſeque, viribus paullatim attritis, et ſenectute ingraveſcente, priſtinam genuum nervorumque firmitudinem deſiderabat, nihil tamen ſibi unquam indulſit, neque ſe ab occupationibus ſtudiorumque curis, quibus inde a prima infantia aſſuetus erat, relaxavit; quin potius, quantum corpori, meditando nervisque animi contendendis, roboris detrahi animadverteret, tantum vita ſobrie temperanterque inſtituta poſſe putabat reparari. At cum quod reliquum erat virium, langueſcente ſenſim corpore, exhauriretur, morbo, qui ipſum debilitate ſubita A. MDCCLIII, adoriebatur, graviſſimo, tandem ſuccubuit natura. Primum podagrae doloribus, quos fregerat adhuc animi continentia, et temperantia vitae, correptus fuit; mox, ſede mali mutata, febris ardor, per omnia membra pervagatus, in interiores corporis partes invaſit, et, viſceribus ex fecum colluvione corruptis, plenioris inteſtini morbum, quem κωλικὸν vocant, comitem habuit, omnemque medendi curam, ab Experientiſſimo Madaio adhibitam, eluſit. Nihil ergo praeſidii cum reperiret in arte humana, ſe Deo, Servatorisque ſui arbitrio permiſit unice, et, aſpernatus caduca, atque aeterna contemplatus, de vita meliore cogitavit; confirmatusque alloquio et precibus Herrenſchmidii, Viri muneris gravitate perreverendi, et Chriſtianis expiatus myſteriis, humanarum calamitatum finem, animo fiduciae in Chriſto poſitae pleno, exſpectavit. Ita, animo ad aeterna compoſito, ſuſpiriisque his, complicata manu, et tremulo ore prolatis: *O Ieſu, mi Servator, corrobora me in hac hora!* morte ſomno ſimillima, integra mente, integris ſenſibus, d. IX. April. Anno MDCCLIV. acquievit, anno quinto et ſeptuageſimo aetatis, ultra menſes duo et ſedecim dies, completo. Funere elatus eſt ſatis amplo illo quidem perque honorifico, non tali tamen, quale Equeſtris dignitas, Cancellarii decus et amplitudo, atque tanta tanti Viri merita poſtulare videbantur. In templo Academico ſepultus

eſt,

Digitized by Google

eſt, caruitque, ex voluntate ſua, laudatione funebri, carminibus, aliaque pompa, et exſequiarum honoribus, quos vivus contemſerat.

Vixit *Wolfius* ſatis ſibi, ſatis gloriae, ſed nondum ſatis reipublicae litterariae, nec ſatis veritati, ad cuius decus tuendum genitus, cum plurima pararet ſcripta, fato occupatus, ea affecta reliquit, quae confecta optimus quisque optaverit. Copioſior, quam huius ſcriptionis modus capit, foret oratio, ſi, ex immenſa laudum Wolfianarum copia, vellemus raras incredibilesque animi corporisque dotes, quibus eminuit, percenſere; ſique adeo commemorare inſtitueremus, quanta, quamque paene divina iudicii vi et acrimonia fuerit inſtructus, quantam in rebus abſtruſiſſimis indagandis, penitiusque perſpiciendis, adhibuerit ſagacitatem, quantum acumen in vero ab erroribus, in certo a veriſimili internoſcendo, quantam ἀκρίβειαν ſollertiamque adtulerit ad rem quamque ſuis momentis ponderandam, ad implicita enodanda, et, quae ſoluta eſſent, demonſtrandi legibus vincienda, aptoque ſententiarum ordine et nexu digerenda. Dicendarum rerum multitudine obrueremur, ſi vel paucis attingeremus, quam fuerit boni rectique ſtudioſus, quam vitae integer, quam conſtans et propoſiti tenax, quam fortis tranquillusque in rebus adverſis, quamque moderatus minimeque elatus in proſperis, nunquam de gradu depulſus, quam providus circumſpectusque in quaque re ſuſcipienda, quam prudens in negotiis ſibi commiſſis, maxime in Conſulatu Academiae Ordinisque ſui, quam fidus erga amicos, quamque minime gravis inimicis, quam omnibus obvius et expoſitus, quam alienus ab artibus ſimulandi, quam in diſſerendo nervoſus, in explicando perſpicuus, in demonſtrando ſubtilis, in graviſſimis quibusque et ſublimioribus doctrinis tradendis tam facilis et dulcis, ut vel ab iis, qui ad ſubtilitates philoſophicas non facti videbantur, iucundiſſime audiretur, quam patiens la-

borum,

borum, quam avarus temporis, quam acer religionis Chriſtianae defenſor, quam pius divini Numinis cultor, quam aſſiduus operum divinitus conditorum, ſummique in iis adhibiti artificii admirator, quam accuratus denique, ut hoc addamus, in re familiari conſtituenda moderandaque. His, aliisque animi virtutibus, plurimum acceſſit commendationis ex oris corporisque dignitate, quam eximiam et prorſus ſingularem ipſi tribuerat natura. Animus *Wolfii*, tam raris dotibus cumulatisſime praeditus, tantarumque virtutum Spiritus, domicilio, in quo hoſpitaretur, amplo et magnifico dignus videbatur. Atque hoc divino munere ipſi conceſſum erat. Venerabili proceritatis iuſtae conformatione, faciei forma et gratia, igneo oculorum vigore, frontis exporrectae honore, oris ſuavitate, totiusque corporis, etiam ſenilis, habitu, ad decorem compoſito, obvium quemque capiebat, prodebatque mentis, quae in tam formoſo diverſaretur domicilio, praeſtantiam virtutesque admirabiles, quarum gloria nullis Saeculorum vicisſitudinibus, nullisque hominum iniuriis obſoleſcet.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Septembris Anno MDCCLIX.

Pars I.

MAGNUM BULLARIUM ROMANUM, SEU eiusdem Continuatio, quae Supplementi loco ſit, tum huicce, tum aliis, quae praeceſſerunt, editionibus, Romanae et Lugdunenſi. Cum Rubricis, Summariis, Scholiis, et Indicibus. PARS DECIMA-TERTIA, (Tomus decimus-nonus,) complectens Conſtitutiones Benedicti XIV. ab Anno MDCCLII. usque ad annum MDCCLVII, cum Appendice ad Annos MDCCXLIV. MDCCXLV. et MDCCXLVIII.

Luxemburgi, ſumt. Henrici Alberti Goſſe, 1758. Alph. 1. plag. 4. fol.

Continentur hoc Tomo Conſtitutiones Benedicti XIV. LXXXI. quarum argumenta breviter indicabimus. I. Erigitur Archiepiſcopalis Metropolitana eccleſia Goritienſis; et quaecunque eccleſiam ipſam, Capitulum, utriusque menſam, proviſionem vel collationem beneficiorum officiorumque reſpiciunt, conſtituuntur. II. Ampliantur et declarantur privilegia et indulta Confraternitati Sanctae Mariae *de Succurſu contra Infideles,* in civitate Ianuae erectae, conceſſa. III. Confirmatur concordia inter Epiſcopum Herbipolenſem et Abbatem Monaſterii Abbatiae nun-

nuncupati Fulden. Ordinis S. Benedicti, Nullius Dioeceſis Provinciae Moguntin. ſuper Iurisdictione epiſcopali in Clerum et populum ditionis dicti Monaſterii. IV. Abbatia Fuldenſis erigitur in Epiſcopatum, omnibusque iuribus et praerogativis donatur, praeſervato tamen ſtatu regulari; ita, ut idem Epiſcopus et Abbas Fuldenſis ſit. V. Conceditur Epiſcopo Herbipolenſi, ſub certis conditionibus, uſus pallii, et honor praegeſtandae ſibi crucis. VI. Veteres leges adverſus Duellantes ſancitae innovantur, ac novis confirmantur. VII. Damnatur et prohibetur lectio libri Gallici: *Apologie de tous les jugemens rendus par les Tribunaux ſeculiers en France contre le Schiſme:* etc. VIII. Conſtitutiones Pontificum Rom. ſuper vetita armorum delatione, retentione, et venditione, confirmantur. IX. Collegiata Eccleſia S. Mariae Maioris in Utinenſi civitate Archiepiſcopalis Eccleſiae dignitate donatur. X. Indiarum Orientalium Vicariis Apoſtolicis Epiſcopis mandatur, ut ſibi conſtituant Vicarium Generalem, cui ampliſſimae facultates mortuo Vicario Apoſtolico conceduntur. XI. Edicitur, ne Cardinales Epiſcopi Suburbicarii, in propria Cappella ſui Palatii Romae exiſtentis, ſuis ſubditis praeter primam tonſuram maiores vel minores ordines conferant, niſi requiſito et obtento Cardinalis Urbis Vicarii conſenſu. XII. Beatificatur Ioſephus a Cupertino, Sacerdos profeſſ. ordin. Fratr. minorum conventual. S. Franciſci. XIII. Confirmantur, innovantur, et augentur privilegia Militaris et Hoſpitalis ordin. S. Iohannis Ieroſolymitani. XIV. Conſtituitur regimen Vilnenſis Collegii a Gregorio XIII. pro Ruthenorum et Moſcovitarum adoleſcentium educatione erecti. XV. Solvuntur Monachi S. Baſilii, nationis Ruthenae, a lege emittendi quartum votum de non acceptandis Epiſcopatibus vel Archimandriis absque aſſenſu Superiorum. XVI. Promulgantur regulae ab Apoſtolicis Vicariis et Sacerdotibus Miſſionariis, cum Saecularibus, tum Regularibus, in Anglicanis Miſſionibus obſervandae. XVII. Confirmantur Apoſtolicae litterae de Beneficiis et Officiis cu-

 ratis

ratis per Indiarum Occidentalium regiones, Saecularibus etiam Clericis, ſublato aſſerto Regularium privativo iure, conferendis. XVIII. Venetiarum reipublicae ius nominandi ad Eccleſias Torcellanam, Caprularum, et Clodienſem, conceditur. XIX. Praeſcribitur methodus, in examine ac proſcriptione librorum a Congregationibus Romanae univerſalis Inquiſitionis ſervanda. XX. Ad vener. Fratres, Metropolitam, Archiepiſcopos, et Epiſcopos Nationis Ruthenae in regno Poloniae. XXI. Definitur Iurisdictio Rectoris Carpentoraten. in cauſis civilibus, criminalibus, et oeconomicis. XXII. Innovatur ac confirmatur exemtio Canonicorum Regularium et Monialium ordinis Praemonſtratenſis ab omni Superioritate, Iurisdictione, Viſitatione, quorumcunque Ordinariorum, per Praedeceſſores conceſſa. XXIII. Oppidum Mathelicae in Piceno ad primaevum ſtatum civitatis reintegratur. XXIV. Epiſtola ad R. P. Nicolaum Lercari, de cultu S. Maronis. XXV. Definitur Iurisdictio Congregationis ſuper Bono Regimine Communitatum, ditionis eccleſiaſticae, in oeconomicis et iudicialibus negotiis. XXVI. Tribunali Auditoris Generalis Camerae Apoſtolicae adduntur duo Praelati Aſſesſores in cauſis criminalibus. XXVII. Terra Sublaci, aliaque oppida et loca, Monaſterio S. Scholaſticae Sublacen. antea ſubiecta, a temporali iurisdictione dicti Monaſterii eximuntur, et Camerae Apoſtolicae incorporantur. XXVIII. Confirmantur Congregationis Cameralis decreta, de privilegiis liberae extractionis et exemtionis a Datiis, aliisque oneribus, in Ducatu et provincia Ferrariae. XXIX. Gregorianus cantus, ut a Monialibus ordin. minimor. S. Franciſci de Paula adhibeatur, praecipitur. XXX. Conceditur Correctoribus, tum Generali, tum Provincialibus ordin. minimor. S. Franciſci de Paula, ius decidendi circa electiones vel alia negotia, quae ad Generale vel Provinciale Tribunal, ob paria poſt tertium ſcrutinium ſuffragia, perveniunt. XXXI. Inſtituitur Gymnaſium in Aedibus Capitolinis, ad exercendos picturae ſculpturaeque ſtudioſos. XXXII. Baſilica

lica Aſſiſienſis S. Franciſci in Patriarchalem et Cappellam Papalem erigitur. XXXIII. Ad Albaniae Epiſcopos de bonis eccleſiae illius regionis. XXXIV. Datur Lucenſi Reipublicae facultas, tres viros Rom. Pontif. praeſentandi, ut unum ex iis Archiepiſcopum Lucanum eligat. XXXV. Ad Patriarchas, Archiepiſcopos, et Epiſcopos Italiae admonitio, ut Chriſti fideles in rudimentis fidei inſtituantur. XXXVI. Confirmatur Decretum Congregationis Conſiſtorialis, ſub conſtitutione Innocentii XII. ſuper Capitulationibus ſede vacante initis comprehendi Monaſteria quoque et Collegia utriusque ſexus. XXXVII. Prohibetur, ne Chriſti fideles, ſub Turcarum ditione ..antes, ad occultandam Chriſtianae religionis profeſſionem Mahumetana nomina ſibi imponant. XXXVIII. Praecipitur Eccleſiaſticis omnibus ritus Slavo-latini, ut in Miſſis Slavum litterale idioma cum characteribus Hieronymianis retineant. XXXIX. Quinqueeccleſienſi Epiſcopo Pallii uſus, et praegeſtandae crucis conceſſio datur. XL. S. Leoni I. Papae et Confeſſori Miſſa et officium decernitur, ſub ritu ſanctorum Doctorum. XLI. Centum oppidum, civitatis iuribus donatur. XLII. Conceditur Abbati Generali ord. Monach. S. Hieronymi Congregationis Italicae facultas, Cappellis Pontificiis interveniendi. XLIII. Lettera Circolare della Disciplina, diretta a' Superiori Regolari d' Italia, e dell' Iſole adiacenti, ſopra il dubio: ſe li Confesſori Regolari, non Curati, ſiano obligati ad intervenire alla Conferenza dei Caſi Morali, ordinata dalli Veſcovi nelle loro Dioceſi? XLIV. Quaeritur, an pueros, ante uſum rationis in odium Chriſti occiſos, canoniſari expediat? XLV. Proſcribitur liber Gallicus: *Principes ſur l'eſſence, la diſtinction, et les limites des deux puiſſances ſpirituelle et temporelle*, etc. XLVI. Confirmantur privilegia Olivetanae Congregationis. XLVII. Reſolutio Congregationis deputatae, ſuper correctione librorum eccleſiae orientalis, ſuper abbreviatione Officii et Miſſae, pro Monachis ordin. S. Baſilii, confirmatur. XLVIII. Ad Vincentium Card. Malvetium, Bononienſem Archiepiſc.

de

de S. Philocali, Martyris, corpore. XLIX. Sanctae Inquiſitionis Officialium numerus, qualitates, privilegia recenſentur. L. Syriacis et Armenis, in Latinorum eccleſiis ſacra peragentibus, proprium ritum ſervandum eſſe praecipitur. LI. Ad incendium compeſcendum, ad Eccleſiam S. Nicolai in carcere exortum, minus rite allatam fuiſſe ex Eccleſia ſacram pyxidem S. Sacramentum includentem, demonſtratur. LII. Quod Epiſcopis Vicariis Apoſtolicis Indiarum Orientalium imperatum fuit, ut ſi Epiſcopum Coadiutorem vel Vicarium Generalem non haberent, hunc ſibi adſciſcerent, id caeteris quoque Vicariis Apoſtolicis imperatur. LIII. Decretum Pontificium ſuper nullitate matrimonii Violantis Ioſephae Henriquez de Almada, et Ludov. Franc. de Aſsis Sanches de Baena confirmatur. LIV. Quae exemtio conveniat, ab Archiepiſcopi Neapolitani iurisdictione, Hoſpitali S. Angeli a Nido nuncupati, declaratur. LV. Praecipuus Latinae eccleſiae ritus in celebrandis tribus Miſsis natalitio Chriſti die, ab orientalibus non uſurpandus, demonſtratur. LVI. Decretum in cauſa Neapolitana Beatificationis et Canoniſationis Pauli Buralis, S. R. E. Cardinalis de Aretio nuncupati. LVII. De nova Euchologii editione, LVIII. Conceditur Iacobo III. Romae Britanniae regi, facultas S. S. Euchariſtiam ſuſcipiendi, etſi poſt mediam praecedentem noctem ientaculum, ſic valetudine poſcente, ſumſerit. LIX. Auctoritas tum Metropolitani Nationis Ruthenorum, tum Proto-Archimandritae Ordin. S. Baſilii M. eiusdem nationis, in Abbates ſive Archimandritas Monaſteriorum, huius ordinis, definitur. LX. Spolia Praelatorum Neapolitani regni, ut in deſignatos uſus erogentur, imperatur. LXI. Demonſtratur congruentia iterum inaugurandi Bononienſem Metropolitanam Eccleſiam. LXII. Definitur iurisdictio Veronenſis Epiſcopi. LXIII. Utinenſi Metropolitanae eccleſiae, Miſſa de Spiritu S. in die depoſitionis b. Bertrandi, Aquileienſis Patriarchae, celebranda conceditur. LXIV. Confirmantur privilegia Monaſterii

Digitized by Google

Monialium b. Mariae, ordin. S. Benedicti, Civitatis Aquileienſis. LXV. De Iure Metropolitico Archiepiſcopalis Eccleſiae Moguntinae in novam Dioeceſim Fuldenſem. LXVI. An, et quando adverſariis Conſtitutionis Unigenitus, S. Corporis Chriſti communio deneganda? definitur. LXVII. An conſecratio electi Epiſcopi, qui fuerat a Pontifice ordinatus Presbyter, ab ipſo Pontif. vel ex eius ſpeciali delegatione ſit peragenda? LXVIII. Confirmantur conſtitutiones Praedeceſſorum, de tondentibus monetas aureas et argenteas. LXIX. Praeſcribitur ratio conſtruendi proceſſus, tum ſuper ſtatu Eccleſiarum in partibus infidelium exiſtentium, et populum fidelem habentium; tum ſuper meritis praeficiendorum iisdem eccleſiis. LXX. Confirmatur Decretum, de tollendis conciliandisque controverſiis inter nonnullos Antiſtites Indiarum occidentalium, et Miſſionarios S. I. ſuper conceſſione diſpenſationum matrimonialium exortis. LXXI. De antiqui Urbis Panthei, hodie Eccleſiae S. Mariae ad Martyres nuncupatae, conſervatione providetur. LXXII. Acta Conſiſtorialia, pro Conceſſione Pallii Patriarchae Antiocheno Syro Maronitarum. LXXIII. Brevia ad Patriarcham, Archiepiſcop. Epiſcop. et Proceres Maronitarum. LXXIV. De iure Metropolitico Eccleſiae Moguntinae in Epiſcopatum atque Eccleſiam Fuldenſem. LXXV. Quibus poenis Miſſam celebrantes, aut Fidelium confeſſiones excipientes, ad Presbyteratus ordinem nondum promoti ſubiiciantur, docetur. LXXVI. Eadem, ſine Sacerdotali charactere ſuſcipientibus, ſinceram criminis confeſſionem nihil ſuffragaturam decernitur. LXXVII. Damnatur epiſtola MSC. *Ampliſſimis S. R. E. Cardinalibus, et clariſſimis Theologis in urbe Praeneſte congregatis* etc. LXXVIII. Acta et Decreta in cauſis Beatificationum et Canoniſationum. LXXIX. De S. Proci Martyris corpore, reperto in S. Thraſonis coemeterio, in eadem Eccleſia collocanda. LXXX. De facultate conſecrandi Abbatialem Eccleſiam Campidonenſem. LXXXI. De Conſecratione Eccleſiae S. Apollinaris. Additur praeterea index rerum et verborum locupletiſſimus.

QUAES-

Digitized by Google

QUAESTIONES MEDICAE PARISINAE. Ex Bibliotheca GEORGII FRIDERICI SIGWART, Phil. Med. et Chirurg. Doct. huiusque et Anatomes in Acad. Tubing. P. P. O. Medic. Aulic. Würtemberg. Facult. Med. Dec.

Tubingae, Impenſis Ioh. Georgii Cottae, 1759. Alph. 1. plag. 16. in 4to, cum tab. aen.

Schola Medica Pariſina, a multis retro annis, tanta laude floruit, tantamque adepta eſt auctoritatem, ut exteri magna ſemper frequentia ad eam tamquam Apollinis templum quoddam convolarint. E quorum numero cum eſſet Celeberrimus *Sigwartus*, exercitationes Academicas illas, quae a Doctoribus Medicis ibi quotannis evulgantur, et in Medicorum ſcholis examini eruditorum ſubiiciuntur, magna ſedulitate conquiſivit, eo conſilio, ut opportuno tempore iunctim eas in vulgus ederet. Conſilium iſtud oppido laudabile, olim iam a magno *Boerhavio* captum, exſequi iam incipit Vir laudatiſſimus. Collectio praeſens, quae prima eſt, comprehendit quaeſtiones, quae Anno MDCCXLII habitae ſunt, et numerum triceſimum complent. Tot ſcriptionum ſummam iam paucis complectimur, omiſſis, compendii cauſa, Auctorum celeberrimorum nominibus, quaeſtionumque inſcriptionibus.

Quaeſtio igitur *prima* perdocte diſſerit de virtute notisſimi illius remedii, quod in Anglia adverſus calculum viarum urinalium in vulgus emanavit. Poſtquam ſymptomata et ſigna calculi graphice deſcripta dedit, ipſiusque calculi generationem explicavit doctiſſimus Auctor, remedii laudati vim ac potentiam in diſſolvendo calculo eximiam eſſe fatetur. Etenim, cum calculus conſtet partibus terreſtribus, quae materie viſcoſa, tanquam glutine, compingantur ferruminenturque; facile intelligi, qua ratione remedium alcalino-ſaponaceum, in partes calculi ſalinas, terreſtres, et ſulphureas agere, ac gluten eius diſſolvere poſ-

ſit.

ſit. Ipſa etiam experimenta, a Cel. *Geofroy* de urinis calculoſorum hominum, remedium illud devorantium, capta, remedii energiam comprobarunt. Si enim urinae illae vaporent ad ſiccitatem remanet maſſa fuſca, ſpiſſa, ſalibusque ita referta, ut a centro ad circumferentiam tota appareat ſtriata, cuius deliquium ſegregatum ab oleoſa parte, ſi iterum vaporet, exhibet ſal, ſali ſodae proximum, ſimile ſali, quod idem Auctor ex ſapone extraxit. Urina, eodem remedio impraegnata, urinoſum quid alcalinumque redolet magis, quam urina vulgaris; eadem Syrupum violaceum colore mutat viridi, et cum acidis fermenteſcit paulo vividius, quam ſolet ſanorum urina. In urinarum illarum medio ſuſpenſa cernitur materies glutinoſa, filamentoſa, goſſypio quodammodo ſimilis, ſibique ſat ſtricte cohaerens, quae nihil aliud eſt quam ſulphur craſſius, nativum calculi vinculum. Plures etiam obſervationes de calculoſis iſto remedio tractatis ſequuntur; indeque, et ex illis praemiſſis colligitur, calculo renum et veſicae, pro natura calculi, aetate, et temperamento aegrotantis, remedium eſſe alcalino-ſaponaceum Anglicum. *Quaeſtione ſecunda* docetur, febrium intermittentium curationem ab emeticis eſſe auſpicandam, propterea, quoniam febres illae a materia cruda quadam, et indigeſta, primas vias obſidente, gignuntur, quam vomitibus exturbari poſſe nemo dubitet. Vomitu praeterea univerſum concuti corpus, expurgarique. Quibus ſubiunguntur febrium curationes, a praeſtantiſſimis Medicis per vomitoria feliciter ſuſceptae. *Quaeſtio tertia,* in acutis morbis aliquando cunctandum eſſe, ita praecipit, ut, quando et quomodo cum bonis aegrotantium rebus cunctari debeamus, ne expertus quidem medicus inde diſcere poſſit. *Quaeſtio quarta* uſum adſtringentium remediorum in evacuationibus diuturnioribus oppido rarum ſuadet, neque admittit remedia illa, niſi evacuationes ab humorum diſſolutione originem repetant. *Quaeſtione quinta* improbatur internus uſus adſtringentium ad ſiſtendas haemorrhagias, quod remedia illa humores cogant,

cogant, vaſcula minima occludant, obſtructionibus ergo ac viſcerum ſcirrhis, itemque cachexiae atque hydropi, anſam praebeant. *Quaeſtio ſexta* ſimplicem vulnerum curationem, et experientiae teſtimonio, et rationis ſenſu confirmatam, vehementer, neque indocte commendat. *Quaeſtione ſeptima* hydrops pectoris, dirum illud morbi genus, deſcribitur, doceturque, paracenteſin, quo citius fiat, eo feliciorem eſſe. Probantium rationum momenta praebet uſus, inde usque ab antiquiſſimis temporibus frequentatus, ab ipſo Hippocrate commendatus, dum pectoris hydrope laborantes lateris ſectione curare iuſſit. Cui ſanior ratio utique favet. Ocyus enim inſtituta paracenteſis morbum remediis magis obſequioſum docilioremque reddit, efficitque, ut glandularum infarcti tubuli reſerari, vaſaque diſrupta occludi poſſint. Nam, humore emiſſo, diaphragma moleſto pondere liberatur, pulmonesque antea compreſſi liberius expanduntur; unde reſpirationis negotium ſanguinisque motus circularis expeditius ſuccedunt. Cavetur etiam, ne ſerum diutius ſtagnans putredini obnoxium fiat. Et ſi complures ſint funeſti eventus celebratae operationis, eos non operationi, ſed eius adminiſtrationi nimis tardatae adſcribendos eſſe patet. *Quaeſtio octava* terebrationem ſterni in mediaſtini abſceſſu celebrandam eſſe evincit; quam cum lectoribus facile probari ſperemus, nihil ex hac Quaeſtione delibamus, niſi ſigna diagnoſtica iſtiusmodi abſceſſus, quae ſunt partim communia, veluti febris lenta, tusſicula ſicca, perpetua corporis macies et pallor, faciesque Hippocratica; partim propria, ut ſunt diaphragma pondere inſolito praegravatum, ipſiusque elevandi impedimentum, pulmonum expanſionis obſtaculum, unde reſpiratio difficilis, anheloſa, ſuffocans, erecta; in quamlibet partem decubitus impoſſibilis, in anteriorem tolerabilior, nocturnus frequensque ſudor, puris intercepti motus ſtrepitusque auditu perceptus, dolor acutus, durus, punctorius, ipſo reſpirationis momento gravior, et iuxta mediaſtini in ſterno directionem vergens. Quae quidem

Digitized by Google

ſigna eo diligentius perquirenda ſunt, quo magis conſtat, in morbi diagnoſi potisſimum manere difficultatem medendi. *Quaeſtione nona* ex vulgo notis colligitur, in omni partu fieri operationem chirurgicam. *Quaeſtio decima* amplam utilemque herniarum deſcriptionem continens, tum rationibus idoneis, tum obſervationibus oppido raris docet, in herniis inteſtinalibus, cognita quoque inteſtini prolapſi laeſione, operationem chirurgicam neutiquam eſſe omittendam. *Quaeſtio undecima* ſuturam tendinum disſuadet his potisſimum de cauſis: quia acu punctus tendo, tanquam pars ſumme ſenſilis, acerrimum dolorem, inflammationemque periculoſisſimam inferat; quia tendinis praeciſi extrema raro tam prope ad ſe invicem adduci posſint, ut felix ſanatio ſperanda ſit; quia ipſae muſculi fibrae ſutura tendinis moleſte ſollicitatae ſeſe contrahant, vellicentque continuo acu punctum filisque traiectis irritatum tendinem; tandem quia experimenta evictum dent, tendinem Achillis non ita difficulter ſanari. Id apud Sinenſes frequentisſimum eſſe, quippe qui latronibus tendinem illum praeſcindere ſoliti fuerint, ut a claudicantium incurſu facilius caveretur, iterumque in furto deprehenſis promptius iniicerentur manus: cum vero compertum eſſet, illorum plurimos in integrum reſtitui, ſupra et infra nunc reſecari, partemque ſectioni interiectam eximi, ſicque ſupplicio affectis omnem integrae ſanationis ſpem adimi ſolere. *Quaeſtione duodecima* praecipitur, ut, ſi praegnanti a quacunque cauſa ſupervenerit uteri haemorrhagia, quod circa ſeptimum menſem frequentisſimum eſt, partus manu quam ocysſime promoveatur, ne et foetus et mater periculum mortis ſubeant. *Quaeſtio decima tertia* docet, in fractura cranii benigniori, etiam ſi diſtracta et a cranio ſeiuncta aut inflammata fuerit dura meninx, non protinus ad trepani auxilium confugiendum, ſed largioribus et repetitis ſanguinis misſionibus, victu extreme tenui, reſolventium cephalicorum applicatione diſcusſionem humoris in meningibus haerentis iuvandum eſſe. *Quaeſtio decima*

quarta

Digitized by Google

quarta perdocte conſcripta, et multifaria lectione referta, notisſimum illud remedium Anglicum, calculo veſicae et renum diſſolvendo par, fuſe et accurate deſcriptum exhibet, modum rationemque recte eo utendi tradit, variaque experimenta, quae de pharmacis remedium illud conſtituentibus, ad varias concretiones lapideas extra corpus humanum diſſolvendas, capta ſunt, fideliter enarrat, pluresque curationes ope huius remedii, tum ab Auctore, tum ab aliis feliciter adminiſtratas, ſubiungit. Si quis quaerat, unde remedii virtus pendeat, reſpondetur: a calce, cui ſoli vivae, praeſertim animali, vim ineſſe calculos ſolvendi, et experimentis et exemplis compertum ſe habere aſſerit Quaeſtionis Auctor eruditiſſimus, Legationis Anglicanae Medicus ordinarius. Ex illis autem omnibus colligitur, veſicae calculo ſcalpellum non ſemper eſſe neceſſarium. *Quaeſtione decima quinta* ſectio urethrae in huius fiſtulis improbatur, tum propter dolores et cruciatus, tum maxime vero ob incertum exitum, certumque propemodum fiſtulae iterum erumpentis metum: commendantur autem cereoli, ſive ex felum inteſtinis contortis confecti, ſive ex linteo cera imbuto, et in ſpeciem cylindri gracilis efficti, atque oleo obliniti; ex his duplex commodum ſperari poſſe, ſcilicet quod et medicamenta, pro variis circumſtantiis, varia in urinae canalem immitti poſſint, et quod cicatrici faveant, iter expediant, impediantque, quo minus in plagas contra naturales illabatur lotium. Uſum etiam inſignem habere praedicantur tunc, cum vaſa varicoſa vel leviſſimo conamine ſanguinem dimittunt; roborare enim et conſolidare ſolent, vi medicamentorum, quibus illinuntur, et virtute, qua dilatantur, ita vaſa premunt, ut ipſis tonus reſtituatur. *Quaeſtione decima ſexta* aſſeritur, inflammationem in illis partibus, quae multis iisque capacibus vaſis refertae ſunt, veluti in membranis, pulmonibus, liene, caeterisque id genus partibus, ad reſolutionem promtiorem eſſe, quam ad ſuppurationem, propterea quod obſtruentes humores hiantia undique adiunctorum vaſorum ora

Digitized by Google

ſubire, et qua data porta effugere queant; contra vero, ſi inflammatio ad muſculos, adipem cutemque feratur, omnia ibi ſuppurationi dicata atque ordinata videri, quia hic vaſorum diſpoſitio ea ſit, ut, quamvis ſatis conferta ſint, tamen eorum neque adeo frequentes anaſtomoſes ſint, neque ita magnae cavitates; hinc ſanguinem ibi detentum, non tam libere divagari poſſe, anguſtioribus quippe coactum limitibus. Quae cum ita ſint, et a ſuppuratis partibus internis corporis humani magnum periculum aegrotanti immineat, in his partibus reſolutionem ſuppuratione optabiliorem eſſe colligitur. E contrario quoniam in partibus externis ſuppuratio facilius fiat, et per reſolutionem ipſum ſemen morbificum non eliminetur, ſed ex obſtructis partibus abreptum, reliquis humoribus admiſceatur, et per univerſum corpus circumducatur, novis ergo morbis anſam dare poſſit: in his partibus ſuppurationem moliendam eſſe, ſi quidem inflammatio non a cauſa externa, ſed interna fuerit effecta. *Quaeſtio decima ſeptima* oculi punctionem, ſeu paracenteſin, poſt purgatos humores praemiſſaque praemittenda, celebrandam proponit tanquam remedium prophylacticon adverſus cataractae principia. Ipſa oculi paracenteſis praecipitur ita facienda, ut acus lanceolata, cuius acies ſecandi habiliſſima latior contractiorve ſit, pro diverſa corneae perforandae diametro, inſinuetur in ipſam corneae dilucidae ſubſtantiam, oblique ducta ab imo ad ſummum, lineae unius transverſae ſpatio aut circiter a coniunctiva diſtans, utque pars corneae duntaxat infima perforetur, iridi vero et pupillae diligentius parcatur. Quod quidem multis feliciter ſucceſſiſſe aſſeverat Auctor. *Quaeſtio decima octava* chirurgos admonet, ne, ſauciata ſi fuerit arteria cruralis, pes protinus recidatur, ſed ut antea arteria vinciatur, expecteturque, an forſan propagines quaedam arterioſae tantum ſanguinis pedi largiri poſſint, quantum ad eius nutritionem requiratur. Hac enim vinciendi ratione nihil detrimenti metuendum. Nam ſi nihilo ſecius frigus indomitum gangraenam portendat,

Digitized by Google

tendat, inde non eſſe, quod nos conatus poeniteat. Omnia quippe ad amputationis opus prompta eſſe parataque. Sed ingens medentem manere decus, ſi, quod curationis reliquum, natura idoneis adiuta praeſidiis perficiat. Haec autem repetenda eſſe ab idonea victus ratione, a ſanguinis miſſione pro aetate viribusque inſtituenda; calidis etiam ſpirituoſisque inunctionibus partem fovendam eſſe. In *Quaeſtione decima nona* docemur, adductis exemplis, ab ictu, lapſu, aut etiam ſolo nixu, interdum vertebrarum cariem oriri; nonnulla quoque originem gibberis illuſtrantia, et medelam vitiorum in oſſibus frequentium perficientia, in medium proferuntur. *Quaeſtio vigeſima,* in omni tumore utplurimum tentandam eſſe reſolutionem, iubet paulo generalius; quot enim ſunt tumores, qui magno cum periculo diſcutiantur? *Quaeſtio vigeſima prima* pericula enarrat, quae metuenda ſint, ſi narium polypos, vel ſectione, vel avulſione, vel conſumtione tollere velimus; hisque medendi viis praefert ligationem tumoris, ſequenti ratione faciendam. Aegro in ſella, brachiis dorſoque mobili inſtructa, collocato, caput retrorſum inclinatum, firma, per nares externas, forcipis non inciſoriae crura immitte, diductis cruribus polypum arripe, arreptum leniter foras trahe, quantum ſubſtantiae mollities permittet; forcipe hoc in ſitu manente, filum ceratum, quam alte fieri poteſt, ſupra partem foras eductam, religandum iniice, duplici nodo conſtringe; novae, ſi poſſit illaeſa attrahi, prodeunti polypi parti alterum filum ſuperius iniice. Tum vel totum opus committe naturae conamini, aut forfice ſcalpellove portionem humoris, infra deligatum filum adime. Senſim enim polypus, intercepto humorum appulſu, per compreſſionem ſolito nutrimento defraudatus, a ſuperioribus partibus diſiunctus, intra octo vel novem dierum ſpatium excidet. Polypum vero in fundo oris pendulum, vel in alio quocunque difficiliori receſſu latentem, religare propius ad originem geſtienti, inſtrumento, curracem laqueum deferente, opus eſt, quodque arctius conſtrin-

Digitized by Google

gendi atque extrorſum trahendi facultatem miniſtret. Inſtrumentum illud ſit ad ſpecilli formam fabricatum, pomulo oculato ad extremitatem donatum, incurvum, brevius longiusve, firmum ac ſolidum, ita tamen, ut anguſtos narium maeandros absque laeſionis metu penetret. Per rimam pomuli oculati filum ceratum, quod extremitate anſulam, curraci laqueo comprehenſam, geſtet, transagito; dein ſimul ac pomulum naribus inditur, tumori inducas laqueum, alioque ſpecillo laqueum circum circa ita temperes, ut, dum pomulum altius adigitur, is tumorem aequaliter ambiens, ſemper adſcendat, quoad reniti pomulo aliquid ſentiatur. Tum fili extremitatem pendulam trahas, nodoque, pomuli oculati ope firmato, ſpecillum illud pomulo donatum educas, quod per totum curationis tempus, ſingulis diebus rurſus indendum erit, ut filo per rimam pomuli transacto, laqueum magis magisque conſtringas, quoad tumor oblitteretur. *Quaeſtio vigeſima ſecunda* tenuium inteſtinorum vulnera non lethalia iudicat, propter exempla ſanatorum vulnerum, quae tenuibus inteſtinis illata erant. Exempla alia petuntur ab optimis ac peritiſſimis Auctoribus medicis; alia Auctori ſuppeditat obſervatio propria. *Quaeſtione vigeſima tertia* aſſeritur, ſuſpenſoria adhibenda eſſe in herniis cum adhaeſione, in quibus comprimentia ſubligacula exitioſos producant effectus. *Quaeſtio vigeſima quarta*, perquam erudite et ſubtiliter tractat de percelebri illa curtorum chirurgia, et varia hiſtoriam huius mirandae artis concernentia ſuppeditat, quae alibi fruſtra quaeras. Operationem tam ſingularem Actis noſtris inſerere, et poſteris tradere, operae pretium videtur. Fit autem hac fere ratione. Decumbat laeſus adverſo lumine, capite non nihil erecto. Brachium, quod voluerit operationi committere, fotu adſtringente prius munitum, non plumeo, ſed laneo pulvino, manu fere ſupina, imponatur, firmiterque contineatur a miniſtris. Cutem, cui ſubeſt muſculus biceps, digitis aliquamdiu palpet Chirurgus, ſurſum deorſumque, et hinc inde a lateribus

Digitized by Google

bus trahendo, ac retrahendo, ut ea laxior aliquanto, et a ſubiectis nexibus expeditior fiat. Praeſto ſit forceps, cuius alae, manubrio ductiles, arcuatae ſint, et utrinque limbo inſtructae complanato, quatuor aut quinque digitos longo, unum circiter alto, intus mediocriter laevigato: in cuius ima parte rima ſit, per totam fere utriusque limbi longitudinem excurrens. Cutis, quo dictum eſt, modo contrectata, digitis fortius retrahatur a muſculo, ea latitudine, quam ſartura facienda requirere videbitur: forcipe prehendatur, punctimque per rimam adacto transfigatur ſcalpello ancipiti, ad utrumque rimae extremum caeſim ducendo. Hic, ſectione facta, eximatur: linteum valde tritum ac molle, ſua latitudine inciſionis longitudini ad unguem reſpondens, inducatur: forcipe remoto, laxetur cutis: et ea propago eſt, quae iam educanda, et ad maturitatem perducenda venit. Refrigerantibus, adſtringentibus, ſanguinis denique et humorum fluxioni obſiſtentibus, quibus iam linteum, antequam immitteretur, imbutum eſt, foveatur vulnus, deligetur, et curetur, ad abſolutam usque ſuppurationem. Hac peracta, et vulnere propemodum ſiccato, ſecundam licet moliri ſectionem, qua propaginis pars ſuperior a brachio ſeiungatur. Ea commodiſſime fiet immiſſo ſubter propaginis apicem vaginato illo et elaſtico ſcalpello, cuius utilitatem ad annulos muſculorum dilatandos, in ramicum curatione, temere iactaverunt, ſed quo in Φιμώσεως ſectione convenientius utuntur. Quatuor iam medicanda patent vulnera: duo vetera, nempe area in brachio nudata, et propaginis interior facies, quae ita curanda ſunt, ut illi novum tegumentum, huic vero callus increſcat: duo recentia, pariter ad cicatricem aut callum perducenda, nimirum ſuperior margo propaginis, et locus unde fuit exciſus. Quibus peractis, inſitioni locus erit. Curtae itaque nares ſcalpello, ſecus cicatricem ducto, incidantur: ad huius inciſionis ambitum propago accurate figuretur, reſecto, quod in eius oris vel calloſum fuerit, vel menſuram exceſſerit.

Ad

Ad brachium caput ſic admoveatur, ut, flexura cubiti ad altitudinem ſuperciliorum elata, capitis verticem vola manus, digitus medius ſuturae ſagittalis cum lambdoide commiſſuram attingat. Dum hoc in ſitu brachium detinetur, ad ſulcum recens naribus impreſſum, adducatur margo propaginis, et conſuatur, totuplici acuum curvarum traiectu, quot punctus exiget vulneris amplitudo. Sutura convenientibus linamentis et medicamentis, ſecundum artem, muniatur, et, quo dictum eſt, poſitu, brachium cum capite, axillis, et pectore deligetur, immotumque ſervetur. Quinto, ſexto, aut ſeptimo die, ſolvenda ſutura eſt, et exſpectanda partium commiſſarum firma et abſoluta coagmentatio. Ubi res eo devenit, ut ab ipſis, quibus inſita eſt, naribus, nutrimentum queat capere propago, huius amputanda radix, et vinculis brachium liberandum eſt. Iam naſo pendet rudis adhuc informisque lacinia, numquam interrupto demulcenda fotu, et ſolo novi hoſpitii commeatu nutrienda. Interim eius interiora magis ac magis exſiccare et ſolidare, radicique reſectae ſuppurationem et callum inducere oportet: tum naſi globulum, foramina, et columnam delineare, ac ſectione multiplici fingere: haec vulnera curare, columnam inſerere et conſuere: iis omnibus tandem genuinam naſi formam, tubulis intus inditis, tectorioque primum plumbeo, mox argenteo vel aureo, extrinſecus adhibito, conciliare. Quo dierum numero huiuſce operationis partes omnes abſolvantur, definiri vix poteſt. Sunt enim permulta, quae curationem contrahere poſſunt, vel producere. Raro tamen ante ſexageſimum diem, tantum opus coronidem obtinebit; rarius ultra octogeſimum excurret. *Quaeſtio vigeſima quinta* id, quod ultro largimur, ſatis prolixe et perplexe demonſtrat, ſcilicet, inter ſanitatem et morbum eſſe ſtatum quendam intermedium. *Quaeſtio vigeſima ſexta* de tono ſolidarum partium humani corporis ita exponit, ut, perlecta quaeſtione neſciamus, an Auctor omnium, an vero tantum multorum morborum cauſas, a laeſo tono partium deri-

Digitized by Google

derivandas eſſe indicet. *Quaeſtione vigeſima ſeptima* humorem perſpiratorium eſſe excrementicium negatur, propterea, quod Auctori recte quidem videtur, non omnem humorem ad cutem delatum ex corpore aufugere, ſed partem eius ad ſanguinis maſſam remeare. *Quaeſtione vigeſimo octava* breviter aſſeritur, humani corporis calorem non ſolum a cordis arteriarumque tritu originem trahere, ſed etiam a verticoſo ſanguinis motu, cuius ope ſulphureae eius partes, in turbinem actae, ſchema ſphaeroides adſequi teneantur, ac perenni tritu atque vibratione calorem augeant. *Quaeſtio vigeſima nona* colorem Aethiopum inde oriri docet, quod vaſcula cutanea ſanguinem proprie dictum, ſalino-ſulphureis partibus refertum admittant. Id intelligi ex natura, forte, et conditione Nigritarum, quam quippe eam eſſe, ut ſub deurente coelo vitam degentes, ipſius fere nudi actioni exponantur; inde magis dilatari cutis vaſcula, ad extremam usque cutis ſuperficiem propelli laticem purpuream. Praeterea duris, nec fere interruptis operibus, vacare Nigritas; inde fieri, ut ſubtilioris humoris transſpiratorii effluvium copioſius relinquat craſſiores pinguesque partes, quibus Nigritarum cutis foedari ſoleat. Ad hoc etiam conferre alimenta, plerumque ſalina, ac farinacea, et ex radice *Maniack* confectum cibum, Aethiopibus dictum *Caſſavre*, item frequentem uſum piperis ac potulentorum ſpirituoſorum. *Quaeſtio ultima* inteſtinorum valvulis vim atque potentiam in chymum propellendum ullam eſſe negat. Haec hactenus. Si vero nunc de ſcriptionibus ipſis iudicium noſtrum ferre velimus, fatemur quidem, non omnes ac ſingulas eiusdem pretii eſſe; nihilo minus tamen optamus, ut Cel. *Sigwartus* etiam caeteras, quas in promptu habet, ſcriptiones huius generis nobiſcum communicare velit. Bene de re medica univerſa merebitur, cuius ipſe ornamento inſigni eſt.

Digitized by Google

Olof Dalins Geſchichte des Reichs Schweden ꝛc.

i. e.

HISTORIA REGNI SUECIAE, ORDINE ANNALIUM ſcripta, ab OLOF DALINO, e Suecico idiomate in Germanicum verterunt I. BENZELSTIERNA, et I. C. DAEHNERT, Profeſſores in Academia regia Gryphisvaldenſi. TOMUS I.

Gryphisvaldiae, apud Hieron. Ioh. Struck, 1756.
Alphab. 3. in 4.

Sueciae hiſtoriam antiquiſſimam, ut plerarumque gentium aliarum, iacere in tenebris, nemo ignorat. Quod e periodo gentili ſupererat monumentorum, id fere omne ſub initia Chriſtianae religionis interiit; eſtque prodigio ſimile, aliquem ſaltem illorum apparatum ad noſtra usque tempora perveniſſe. Qui preedicando Evangelio adhibiti fuerunt Monachi, ſtulto zelo, multa talium monumentorum deſtruxerunt; quod crederent, cum iſtorum interitu, Chriſtianae religionis progreſſum coniunctum fore. Fuerunt alii, qui avide conquirerent, quidquid forte latuiſſet adhuc; ſed etiam iſtud magno Sueciae incommodo: nam extulerunt in regiones alias, atque adeo domeſticis divitiis ſpoliarunt Sueciam. Iam Anno MCXXXIV. Princeps Danus, *Magnus Nilſon*, quidquid potuit coacervare membranarum, in Daniam detulit; cuius exemplum decimo tertio Seculo imitata eſt *Mechtildis*, Adolfi filia. Iniquior his *Waldemarus*, Daniae Rex, quidquid ad Scaniam, Hallandiam, et regiones conterminas pertineret, rapuit, atque, teſte Saxone Grammatico, Anno MCCCLX. igni tradidit. Crevit ea Sueciae infelicitas, unitis, quae in Septentrione ſunt, tribus regnis, regnante potiſſimum Margaretha, Waldemari filia, atque Erico Pomerano: quod eleganti commentatione, *de defectibus Hiſtoriae Suecicae*, memoriae *Scarinus* prodidit. Mox Pauli II. P. M. indulgentio-

gentiopola, *Marinas a Fregeno*, quidquid potuit veterum monumentorum e Suecia Lubecam abſtulit, inde Romam petiturus, niſi fuiſſet in itinere a praedonibus expilatus. Leo X. ille bonarum litterarum per Italiam reſtaurator, ineunte XVIto Seculo, *Iohannem Heytmerum de Zonvelben*, per omnem Septentrionem miſit, ut, quae ſtudiis literarum profutura ibi locorum reperiret, ea omnia Romam deferret; quod deinceps cauſae fuit, cur Iohannes atque Olaus, Magni, magnam e Suecia talium monumentorum copiam, domui S. Brigittae, quae Romae eſt adhuc, inferrent. Neque ſurgente in Suecia Evangelii luce, habitare in tuto monumenta domeſtica potuerunt. Quemadmodum enim monachi gentilibus: ita papalibus Evangelici ſacrorum miniſtri, interitum accelerarunt. Eiusmodi tyrannidem exercuit *M. Abrahamus Andreae*, qui, quidquid erat monumentorum S. Brigittae, Catharinae, Ingridis, Helenae, Sanctorum item, Nicolai, Sigfridi, Brynolfi, Davidis, Eskilis, Holmgeri, et talium, id omne diruit. Imitatus hominis eius ſtultitiam *M. Ericus Schepperus*, omni opera elaboravit, ut pari facinore poſteris innoteſceret. Secutis temporibus, aut cupiditati exterorum, quod monumentorum ſupererat, aut flammis ceſſit. Commode tamen exeunte nono Seculo acciderat, ut Islandia primos e Suecia et Norvegia incolas acciperet, qui in hanc ultimam Thulen multa ad res Septentrionis pertinentia ſecum deportarunt, unde deinceps, religioſe cuſtodita, (ut e. c. fabularis Septentrionis hiſtoria, Eddam vocant,) intaminata redierunt in Sueciam. Iam circa annum MCXIV. repertus eſt *Sämund Sigfuſſon hin Frode*, Islandus, qui Collectionem iſtiusmodi monumentorum inſtitueret; ſed opus hoc fere interierat, cum integro Seculo poſt, *Snorre Sturleſon*, et ipſe Islandus, Sibyllae quaſi folia colligeret, Eddam et Scaldam conſcriberet, adderetque opus aliud, *Heims Pringla* dictum, quo, aiunt, habere ſe Septentrionis incole facem quaſi aliquam, illuſtrandae antiquiſſimorum temporum memoriae. Putant nimirum, e Runis,

Digitized by Google

quos ſecum e Suecia circa A. MCCXVIII. in Islandiam detulit, plurimum profeciſſe. Atque haec eſt veteris hiſtoriae Suecicae facies, cui neque demere fidem, neque addere, temere poſſis. Magno igitur beneficio rempublicam litterariam adſecit *Dalinus*, Vir illuſtris, et laudibus noſtris maior, quod, cum publica auctoritate imponi ſibi ſcribendae, patria lingua, hiſtoriae patriae provinciam pateretur Anno MDCCXLIII. ea opportunitate ita uſus eſt, ut *Primo* hoc *Operis Volumine*, vetuſtiſſimam Suecicae hiſtoriae memoriam recoleret, eam a multis multorum fabulis purgaret, atque adeo caveret ſollicite, ne, etiamſi certo vera conſtituere non poſſet, novis difficultatibus obſcuriſſimam hiſtoriae periodum implicaret. Nulla eſt Hiſtorico ſcripta lex, quam non ſibi dictam Auctor putaverit; eſtque paene miraculo ſimile, in tali monumentorum vetuſtiſſimorum ſiccitate, ita orationem attemperaſſe Dalinum, ut cum voluptate eius Commentarios legas. Facile igitur carebimus impoſterum difficillimis nugis *Rudbekii, Saxonis Grammatici, Ioannis Magni*, Gothi, aliorum. Rudbekii enim Atlantica, etſi magnam ingenii vim produnt, tamen ad fidem hiſtoriae nihil, aut certe admodum parum faciunt. Saxo Grammaticus, ſacrorum Londini Scanorum duodecimo Seculo miniſter, unus omnium maxime ſeptentrionis hiſtoriam deturpavit fabulis, (quod *Kil. Stobaeus* pec. programmate Anno MDCCXXXV. edito evictum dedit,) quae fabulae, integris quinque Seculis veritatum numero habitae, nondum penitus e regionum iſtarum hiſtoria profligari potuerunt. Upſalienſis denique, tempore ſacrorum emendationis, Archiepiſcopus, Ioannes Magnus, Gothus, ſerie regum Sueciae, inde ab antiquiſſimis temporibus, quam impudenter effictam conſcripſit, omnem Septentrionis hiſtoriam conturbavit. Alia igitur *Erico Benzelio*, Viro multis et magnis in rempublicam litterariam meritis claro, ſemita quaerenda fuit, ut, patriae hiſtoriae aliquid lucis allaturus, tuto incederet: quem ſecutus *Iacobus Vilde*, Sueciae Hiſtoriographus, ita in hiſtoria regni illuſtranda verſatus

tus eſt, ut haberet iam *Dalinus* non ſolum praeclara exempla quae imitaretur, ſed monumenta etiam probatae fidei, quibus, ſcribenda ipſe Sueciae hiſtoria, inniti poſſet. Adiutus praeterea Archivorum, Bibliothecae item regiae, ſuae fidei commiſſae, et privatarum aliquot, ut Baronis *Guſtavi Rölambs*, et Comitis *Caroli Guſtavi Bielke*, eximiis copiis, Sueciae nobis Hiſtoriam dedit incomparabilem, et quae omnes omnium laudes ſupergreditur. Dictione utitur plana, veritati hiſtoricae accommodata, igitur quaeſitis ornamentis recte deſtituta. Opinionibus non indulſit, niſi veri ſimillimis. Teſtes toto Opere excitavit tales, qui non facile a quoquam reprehendantur, recentiores potiſſimum, qui ad veterum monumentorum praeſcriptum exegiſſe libros ſuos cenſentur. In quo quidem lectorum commodo conſultum ivit, quibus aut non ſunt ad manus antiqua illa; aut, ſi ſunt, conſulere ea non vacat. Hoc autem tale opus egregium *Dalini*, V. Cl. non legeremus Germani, (nam quotusquisque Suecorum linguam callet?) niſi reperti eſſent duumviri, doctrina et muneribus clari, Suecus alter, *Ioannes Benzelſtierna*, alter Germanus, *I. C. Dähnert*, in regia ſtudiorum Univerſitate Gryphica Profeſſores, qui ſocietate inita, in germanicum ſermonem transferrent, atque adeo verſionem darent, magna accuratione et ſtudio factam. In quo conſilio ſi ineſt aliquid reprehenſione dignum, profecto iſtud eſt, quod in vertendo libro egregio, nullam eorum, qui Germanica non intelligunt, rationem habuerint, quodque adeo noſtrum idioma praetulerint latino, quod tamen eſt omnium doctorum hominum. Quas *Benzelſtierna*, Vir doctiſſimus, et hiſtoriae patriae perquam gnarus, obſervationes ſuperaddidit, inprimis eo pertinent, ut, quae vel e Suecicae linguae rationibus obſcuriora videri poſſent, vel non ſatis eſſent ab Auctore, ſtudio brevitatis, declarata, ea uberius illuſtrarentur omnia.

Iam de ipſo Opere dicamus, cuius *primum Volumen* de vetuſtiſſima Sueciae hiſtoria exponit, eſtque tributum in Capita XX. quibus hiſtoriae filum deducitur usque ad ex-

Digitized by Google

tinctam in Suecia Ynglingorum gentem, hoc eſt ad annum Chriſti MLX. Gratiam nos inituros a lectoribus credimus, ſi, quae cuiusque capitis ſumma ſit, indicaverimus. Eſt igitur *Cap. I.* de Geographia veteris Sueciae. Difficile argumentum; quod altitudini aquarum, earumque diminutioni ſucceſſivae, (quae prodire fecit montes altiſſimos, inſularum ſpecie, atque in iis marina illa omnia, quae male a diluvio plerique repetunt,) innititur. Adeoque e mari Suecia prodiit; quod ab illuſtri Dalino, in Praefatione Tomo II. huius Operis praemiſſa, ab obiectionibus omnibus vindicatum eſt. *Capite II.* de primis Sueciae incolis ſermo eſt. E Scytharum proſapia repetuntur, qui variis nominibus, ut Getarum, Gothorum, et ſic porro, inde ab antiquiſſimis temporibus inclaruerant. Inprimis e ſtirpe Nomadum; de quorum moribus, excurſionibus, bellis, multa hoc loco, docte, et magna lectionis copia, diſputantur. Efficitur denique, Regem Nomadum, Idan-Thyrſe, attritum bello, quod ei Darius Hyſtaſpis intulerat, uxores, liberos, et quidquid carum Scythis ſuis eſſet, circa annum ante Chr. nat. DXVI. in ſeptentrionali hac plaga quaſi in tuto collocaſſe. Probabilis coniectura eſt, tranſiiſſe eos hodiernorum Ruſſorum et Finlandorum fines, atque prominentes tum e mari ſcopulos occupaſſe. Pergit deinceps Auctor doctiſſimus *Capite III.* de continuatis populorum e Scythia in Septentrionem immigrationibus exponere. Certum eſt, teſte *Tacito* de mor. Germanor. c. 2. non terra olim, ſed claſſibus advectos, qui mutare ſedes quaererent. Atque haec faciundi itineris ratio, in Septentrionem tendentibus, unica fuit; non enim, aquarum altitudine tegente quidquid ibi nunc terrarum eſt, dabatur optio. Pars Nomadum, *Wodini*, (ſeu Budini) inter primos Sueciae incolas cenſentur. Gens in colendis diis tam aſſidua, ut Scriptoribus quibusdam antiquis Sancta dicatur, quemadmodum Pomponio Melae, de S. O. III. 5. Mortuorum inprimis cadavera magna veneratione proſequebantur, eaque cryptis crediderunt, quae ſecuto tempore Gigantum ſepulcra,

Digitized by Google

pulcra, aut *Kumbl* dicta ſunt, e quo poſteriore vocabulo, igitur a primis Sueciae incolis, repetenda eſt *Aera Kumblarum.* Tres iſtiusmodi computos conſtituunt Septentrionalium antiquitatum curioſi, apud Gentiles iſtarum regionum uſitatos. Nimirum, ut Graeci per ludos Olympices, ab Urbe condita Romani, Chriſtiani a nato Servatore, Muhammedani a Prophetae ſui fuga, annos numerabant: ita Septentrionales populi antiquisſimi, a diverſitate rituum ſepulturae aeram duxerunt. Primi omnium ſepulcris condebant mortuos, antiquisſima igitur fuit *Kumblarum aera:* poſt Odinum cremabant cadavera, quam poterimus *aeram crematoriam* dicere: ultima omnium eſt *aera collium*, quod colles ſuperimponebant ſuorum ſepulcris, quorum adhuc per omnem ſeptentrionem inſignis copia ſupereſt. Wodini igitur, aſſumtis, paullo ante bellum Macedonicum, in ſocietatem ſagittiferis *Gelonis*, (ita dicuntur *Virgilio* Aen. VIII.) cum his, et *Neurorum* colluvie, (populus erat e Scythis, Graecis, et Hebraeis mixtus, cuius poſteri ſunt Fenni, Lappones, Aeſthii,) migrationem in Scandiam ſuſceperunt; quod ipſum Scandiae nomen e Scythico ductum eſt. Hic veterum *Thulen* A. collocat; quam ſententiam pag. 47. not. d) argumentis confirmare nititur. Primi iſti Septentrionis incolae, tercentorum annorum intervallo, tantopere accreverant, ut iam C. ante Chr. nat. annis dimitterent coloniam, e Sevis montibus, *Sevos*, (quos metri cauſa Lucanus, Silius Ital. alii, *Suevos*, et reliqui deinceps Scriptores ita perpetuo nominarunt). Hi viam quaſi monſtrarunt emigraturis deinceps popularibus: diffuſi enim orientem verſus, quem maxime omnium noverant, per Eſthiam, in omnes ad Balthicum mare terras pertigerunt. Hinc eſt, quod primas Suevorum ſedes ad mare iſtud Scriptores omnes collocant; et quod Germani, cum quibus coaluerunt deinceps, per legatos ad Caeſarem, faſſi ſunt, Suevis ne deos quidem pares eſſe. Accenſet Suevis illuſtris Auctor *Ingaevones*, (Ingemänner, Engemänner, Angemänner,) qui in angulis, atque maris et montium abditis, habita-

habitaverint, indeque egreſſi, Ingermaniae nomen dederint. Horum propaginem, ait, *Anglos* fuiſſe, a quibus tenuis inferioris Germaniae angulus, Angliae nomen acceperit, et quorum colonia, medio quinto Seculo, in Britannia ſedem ſibi quaerere inſtituerit. Hoc ſi verum eſt, male adhuc ad Saxonum genus Anglos retulerunt, quotquot fecere mentiorem populorum Germaniae. *Caput IV*, quod eſt de conſtitutione interna antiquiſſima Regni Sueciae, deque eius commutatione per Odinum facta, primum exponit quo tempore Romanis Sueciae incolae innotuerint, (imperante nimirum Auguſto, forte XV. a Chriſto nato annis;) deinceps de illorum piratica, unde *Wikingar* et *Askemanni* dicti fuerint; de primis eorum imperantibus ſecundo poſt Chriſtum natum Seculo, quos *Fylkir-reges*, huic vel illi tractui praefectos, nominabant; de Odini ex India adventu circiter A. C. CXXX, metu Romanorum; de partitione Septentrionis inter eius filios, dum ipſe Sueciae dominatum arripit, eique novos mores, novaque inſtituta inducit; de legibus denique, de deorum cultu, de tributis, deque Odini morte, quae A. C. CL. accidit. *Capite V.* de Theologia vetuſtiſſimorum Suecorum exponitur. Unum omnipotentem deum *Odini* nomine ſignarunt, eiusque talia attributa venerabantur, qualia nullus paene inter gentiles populus. Nolumus deſcribere plura; nam dignum eſt non ſolum hoc caput integrum, ſed totus omnino liber, qui a capite ad calcem legatur, magna lectionis copia ita exornatus, ut difficulter ab eius lectione recedas. Ponemus iam ſolos capitum indices, decerptis rebus admodum paucis; cetera integra relicturi hiſtoriarum amatoribus. Sunt igitur: *Caput VI.* de Idololatria veterum Suecorum: *Caput VII.* de eorum Legibus, deque habitu regis ad populum. Eſt hic locus inſignis de electionis libertate, deque lege regia illorum temporum. *Caput VIII.* de veterum Suecorum litteratura. Exponitur hoc loco de Suecorum lingua, ſcriptura antiquiſſima, de *Runis*, earumque uſu, de Poetis; (inter quos *Scaldi*, quorum carmina,

ad

Digitized by Google

ad morem Sapphicorum compoſita, antiquiſſimum annalium genus adpellat *Tacitus,)* de agricultura, de commerciis, de arte bellica et armis. Sub finem capitis reſpondetur, (vellemus modeſtius,) obiectionibus *I. D. Michaelis,* Viri doctiſſimi, qui aliquo loco Ulfilanum codicem argenteum literis Francicis, non Gothicis ſcriptum, pronuntiaverat. *Caput IX.* de veterum Suecorum moribus et conſuetudinibus. Laudantur ab hoſpitalitate, a cultu Senum, a frugalitate, (quae fere antiquiſſimarum gentium omnium praerogativa eſt,) ab honeſtate connubiorum, a fortitudine ſexus ſequioris. *Caput X.* de Gothorum e Septentrione bellicis excurſionibus. Iam igitur ad hiſtoriae filum redit Auctor, inde ab Odini temporibus, in quibus ſubſtiterat. Recenſet Gothorum irruptiones in Romanorum provincias: quae fuerint denique Theodorici magni geſta, quae Alarici M. et quousque Gothi, orientem verſus et occidentem, penetraverint. Tandem *Capite XI.* ſerie chronologica res Sueciae enarrare incipit, ab A. Chr. CL. usque ad annum MLX. in quo primum hoc Volumen deſinit. Eſt igitur undecimum caput de Iudicibus, ſimul et ſupremis Sacrificulis veterum Suecorum, e gente Ynglingorum; qui, etſi regio nomine non uterentur, habebant tamen omnem poteſtatem regiam. Domeſtico nomine *Drottar* vocabantur, quod vocabulum ſuperius pag. 93. ab arboribus et lucis, in quibus ſacrificia peragebant, Auctor repetiit. Sunt autem Ynglingi poſteri filii Odini, *Yngue,* quem pater Suecis Iudicem conſtituerat; quemadmodum alter eius filius, *Skiold,* qui apud Danos eadem praerogativa fuit, Skioldungorum regum ſeriem orſus eſt. Quod §. 6. Herulorum coloniam Hunicae genti admiſcet, id perperam ab eo fieri tamdiu credemus, dum teſtimoniis fide dignis opinionem hanc ſuam ill. Dalinus comprobaverit. Sed etiam hoc nobis abſonum videtur, quod Longobardos, (advocato teſte Warnefrido,) e Scandia ducit: neque debebat Auctor V. Ill. atque Cel. *Maſcovium,* Germaniae litteratae decus, cui eadem nobiſcum ſententia eſt, §. 11. not. f) eapropter

 tam

Digitized by Google

tam atrociter laceſſere, ut fere credas rem eſſe de aris et focis. Ultimus Drottarum A. Chr. CCCLXV. fuit *Domar,* quo imperante potentiſſimus Gothorum rex, Hermanricus, Anno CCCLXXIV. vitam poſuit. Hanc, ait Auctor, Epocham eſſe diverſi Gothorum nominis, cum alii *Oſtrogothi*, *Viſigothi* alii, qui omni deinceps tempore diverſas ſedes habuerint, dicerentur. *Caput XII.* eſt de primis Suecorum, ex Ynglingorum gente, regibus. Quinto ineunte poſt Chr. nat. Saeculo, primus ſe regem, e Drottis Upſalienſibus, dici iuſſit *Dygue*, cui filius ſucceſſit *Dag*, Sapientis nomine inſignitus, quod avium cantum intelligere crederetur. Qui A. Chr. DCX. nonagenarius obiit, *Ane* rex, etiam propterea memorabilis eſt, quod cum eo deſiit aera crematoria, de qua initio diximus, cepitque altera tumulorum, ipſius regis exuviis Upſalae tumulatis. Proſequitur Auctor *Capite XIII.* regum Sueciae ſeriem ab *Ane* ad *Ingialdum*, ab Anno igitur DCX. ad Annum DCCLX. *Capite XIV.* exponitur habitus regni Succiae, et mutata eius facies regnante Ingiald Illräde. Pulcra commentatio Auctoris inprimis: quod geographiam Sueciae illorum temporum, nimirum exeunte octavo Saeculo, exactiſſime adumbrat; quae, ſi cum deſcriptione Sueciae phyſico-hiſtorico-morali, ab *Erico Tuneld*, iuſſu Regis et Procerum, ante hos XV. annos, diligenter e monumentis publicis conſcripta, componatur, nihil ſupererit, quod ad exactam veteris Geographiae regni Sueciae cognitionem amplius deſideres. Nos hic praecipua proponemus. Vetus igitur Suecia a mari glaciali usque ad fretum Oreſundicum, quemadmodum a rupibus Norvegiae (Sevegebirge) ad mare balticum extendebatur, diviſum in regna quatuor, Sueciam proprie ſic dictam, Gothiam, Helſingiam, Wärmiam. *Sueciae* Auctor tribuit Uplandiam, Sudermaniam, Nericiam, Weſtmaniam, et maximam partem Dalecarliae: *Gothiae* orientalem atque occidentalem Gothlandiam, Smälandiam, Gottlandiam, Oeland, Wiken ſeu Bohus, Hallandiam, Scaniam, Blekingam: *Helſingiae* omnes ſeptentrionales provin-

cias,

cias, ut Angermanland, Medelpad, Iämpteland, Härjedalen, Gäſtrikland, occidentalem et ſeptentrionalem Botniam: *Wärmiae* denique totam Daliam, et marcas omnes ad ſeptentrionem lacus Wener. Atque haec quatuor regna Scandica, ait, principatum Upſalienſis aliquo modo coluiſſe, quod reges illi vetuſtiſſimum haberent Suecici principatus patrimonium. Singulas provincias ill. Dalinus deinceps ulterius partitur; quae nos hic non deſcribimus. Res geſtae, vel crudelia potius facta Ingialdi, recenſentur §. 17. usque ad finem capitis, quod pertingit ad Annum DCCLXXX. Eſt eius regnum memorabile tamen, quod aliquot circum regulos ſibi ſubiecit, adeoque auxit Sueciae regum dominatum; ſed et propterea inprimis, quod iudicem provincialem Uplandiae, *Wiger Spa*, (i. e. ſapientem,) iusſit provincias peragrare, legibus populorum et conſuetudinibus colligendis, unde prima legum Suecicarum collectio prodiit, quae dein, Birgero regnante, ſub finem decimitertii Saeculi, fundamenti loco fuit collectioni Legum alteri. *Caput XV*. reges ſecutos loquitur, ad annum usque DCCCXXIV. Primus inter eos eſt *Iſwar Widſamne*, propterea memorandus potiſſimum, quod, proſcripta Ingialdi progenie, quam Sueci DC. annis et amplius coluerant, liberis Suecorum ſuffragiis Rex electus eſt; quodque, provinciis vicinorum regulorum, quas anteceſſor ſubegerat, tuendis, praefectos conſtituit, ſua lingua *Iarlen* et *Herſen* nominatos. Noſtris moribus Comites diceremus, et Barones; eſtque adhuc inter Anglos frequentatum *Earle*, comitis adpellatio. Merentur legi, quae ab Auctore, de his regni adminiſtris, eorum dignitate et praerogativis, diſputantur pag. 334. ſeq. Quemadmodum et illa, quae deinceps de Iſwari foedere cum Carolo M. deque eius expeditione in Angliam Anno DCCLXXXVII. exponuntur. A qua expeditione Auctor monetariorum ex Anglia in Scandiam introitum ducit; ita ut primos Sueciae bracteatos ad haec tempora referendos exiſtimet. Regi huic circa A. DCCXC. mortuo, ex filia nepotes ſucceſſerunt, *Haraldus Hildetand*,

 et

et *Randwer.* Hic ille Haraldus eſt, quocum Carolus M. Anno DCCCXI. pacis foedere coaluit. *Capite XVI.* quod eſt de regno Eiſten-Beli et Ragnari, eximia ſunt relata de initiis Chriſtianae religionis in Suecia, beneficio Ludovici Pii, qui Benedictinum monachum, Anſcharium, Anno DCCCXXIX. ad eas gentes ablegaverat; de capta a Ragnaro rege A. DCCCXLV. Lutetia Pariſiorum, atque direpto omni agro, paceque cum Carolo Calvo, 7000. marcarum argenti aere ſoluto, inita. Igitur illae Normannor. in Gallia, et omni circum mare Europa, depraedationes, hoc inprimis tempore ad ſummum creverant. *Caput XVII.* ſub ſecutis quatuor regibus haec habet maxime notabilia: reditum Anſcharii in Sueciam, et quo modo in Comitiis Sigtunenſibus, A. DCCCLXII. ſors pro Chriſtianiſmo fuerit; quas clades Galliae, Germaniae, Angliae, ſeptentrionales hi populi, Nordmanni dicti, intulerint? Gormone inprimis, rege Dano, et Gotfrido Sueco, ducibus. Poterunt, quae hoc capite de his turbis docte diſputata ſunt, commentarii vice eſſe filiorum Ludovici pii, Caroli item craſſi, et Arnulfi temporibus. *Caput XVIII.* hiſtoriam Sueciae dimidii Saeculi X. exponit. Incidit in hanc epocham fugitivi e Norvegia *Gänge Rolſi* (cum Aſcomannis ſuis, hoc eſt utriculariis,) in Galliam irruptio, inita cum Carolo Simplici pax, atque Ducatus Normandiae facta ab eo conſtitutio, quod ab Auctore §§. 9. et 10. pulchre exponitur. Rolfi iſtius poſteri, Duces Normandiae, regi tamen Galliarum obnoxii, fuerunt: conſpicuus inter eos inprimis Guilielmus Conqueſtor, a quo et Angliae Regnum A. MLXVI. occupatum fuit. *Capite XIX.* res Suecorum ab A. DCCCCL-DCCCCXCIV. exponuntur. Hic igitur de *Haraldi Gormſon,* Daniae Regis, bello Gallico et Germanico, quod in tempora Ottonum incidit; de victa atque occupata ab Erico A. DCCCCLXXXVIII. Dania; deque turbis Suecorum inteſtinis, relatum legimus. *Caput XX.* quod eſt Primi Tomi huius ultimum, res Seculi XI. ad annum usque ſexageſimum proſequitur. Trium hic

hic regum hiſtoria enarratur, qui fuerunt celebris in Septentrione Ynglingorum Gentis ultimi. Primus inter eos, *Olof Skötkonung*, e Norvegia, cuius partem occupavit, Chriſtianos doctores accepit, a quibus baptizatus, Chriſti doctrinam magna contentione propagavit, hoc illis temporibus puriorem, quo aberat a monachorum fabulis longius. Primus fuit, qui *Sueciae regis* titulo uteretur: nam eius anteceſſores ſolo nomine regum Upſalae ſalutabantur. Titulo *Chriſtianiſſimi regis* a Legato Pontificis Unwano, Bremae Archiepiſcopo, ornatus, praerogativam poſteris reliquit, qua illi deinceps uſi non ſunt. Eius temporibus etiam latinae linguae uſus aliquis coepit in Suecia, ſervatis tamen et Runis. Regnante deinceps *Amundo Iacobo*, prioris filio, cum Canuto M. Danorum rege navali praelio depugnatum eſt; apparatus mille navium, victis Danis praeſidio fuit. Laudatur regis iſtius iuſtitia, et in Chriſtianae doctrinae propagationem inſignis ardor, ita ut a medio Seculo XI. certam ſedem atque tutam in Suecis haberet Chriſtiana religio. Ius manuarium primus omnium Sueciae regum ſuſtulit. Ynglingorum ultimus, *Emundus* ſenior, Amundi frater, etſi non uterinus, circa annum MLV. Rex Sueciae, quod Clero non eſſet magnopere addictus, *mali* nomen tulit, nullo ſuo merito. Suum ille ſibi Archiepiſcopum, Oſmundum, conſtituit, repudiatis Hamburgenſium Praeſulis, Adalberti, emiſſariis. Hinc illae lacrymae. Obiit Emundus anno MLIX. Cum eius filio Erico, Ericus fratris filius diſceptat. Utrique, anno MLX. decretoria ad Wårdsbergam pugna funeſta fuit: nam exacerbatis animis ad Kimſtadium paullo poſt ſingulari pugna congreſſi, occubuerunt. Atque hic inclutae, inde ab Odini temporibus, Ynglingorum Gentis, exitus fuit.

Haec ſunt Primi Tomi, egregii Operis, contenta. Additus eſt index *primum* Vocabulorum peregrinorum, de quorum poteſtate atque origine ill. Dalinus, in decurſu libri ſui, ſententiam dixit. Hunc ſequitur Index *alter*, rerum toto hoc primo Tomo maxime memorabilium, di-

ligenter ſcriptus, et qui Lectoribus, primo ſtatim intuitu, de rerum hoc opere expoſitarum, deque diligentia Auctoris, teſtetur. Dicemus de Tomo altero propediem.

IOSEPHI INNOCENTII DESERICII, HUNGARI Nitrienſis, Clerici Regularis Scholarum Piarum, de Initiis ac Maioribus Hungarorum Commentaria, quibus accedit circa finem Libri ſecundi inſigne et perantiquum Manuſcriptum, ex Vaticana Bibliotheca depromtum, hactenus deſideratum.

TOMUS PRIMUS.

Budae in Hungaria, typ. Veronicae Nottenſteinin, viduae, 1748. Alph. 2. pl. 8. fol.

Serius a nobis huius libri mentionem fieri, quam noſtra conſuetudo ferat, nemo mirabitur, qui libros, in extremis Hungariae regionibus typis impreſſos, non, niſi ſero, ad nos perferri poſſe, ſecum conſideret; neque ideo, quoniam ſerius commemorentur, librorum bonorum multaque eruditionis copia refertorum argumenta ſilentio praetereunda exiſtimet. Iam Auctor horum commentariorum totum hoc de initiis ac maioribus Hungarorum opus in quinque libros diſpeſcuit, quorum primo et ſecundo Hungaros Hunnosque a priſcis gentibus, quibuſcum eos vulgo confundunt, ſecernere, eorumque maiores, et veras ſedes demonſtrare; tertio Attilae regis genus, ortum, res geſtas, virtutes, ingenium, mores explicare; quarto hiſtoriam Hunnorum, qui, aſcito Abarorum nomine, Europam ingreſſi, et Pannonia denuo potiti ſunt, exponere; quinto tertium Hunnorum, ſub Hungarorum nomine, in Pannoniam adventum commemorare, eorumque hiſtoriam usque ad Stephani regis tempora pertexere, ſibi propoſuit. Hoc quidem primo Tomo Auctor duo priores libros abſolvit, quorum argumentum brevibus repetemus. In primo igitur Capite libri primi refutat ridiculam Iornandis, eorumque,

rumque, qui hunc hominem ſecuti ſunt, de execranda Hunnorum origine putidiſſimam fabulam. In ſecundo et tertio Capite manum cum iis conſerit, qui Hunnos ab Hunno, Tuiſconis filio, deducunt, et ex Germanis primum fuiſſe propagatos tradunt. Atque huius quidem opinionis veritatem demonſtrare tam arduum et difficile credit, quam *a fonte Nilum bibere, aut Pelio Oſſam imponere;* adverſari contra illi vehementer indolem, mores, ſimultates et odia, quae hoſce inter populos ſemper interceſſerint, linguam denique et ſermonem, ſummopere diverſum; eſſe in Tranſylvania praeter Germanos populos, ſive illi Saxones ſint, ſive Gothi veteres, praeter Valachos, Romanorum poſteros, praeter Hungaros hodiernos, inſuper Siculos, ſive *Székhelios*, Attilanorum Hunnorum progeniem: hi cum a Germanis origine, ſermone, moribusque prorſus diſcrepent, ſeque eodem cum Hungaris genere ortos eſſe fateantur, eademque cum illis lingua loquantur; apparere et Hunnos, Attilae ſigna olim ſecutos, minime Germanos fuiſſe, et hodiernos Hungaros eandem illam Hunnorum, maiorum ſuorum, linguam retinere, atque adeo eiusdem omnino generis eſſe. In Cap. IV. et V. quaerit Auctor, an Hunni, ſive Hungari, Alanorum, Gothorum, Gepidarum, Wandalorum, ac Longobardorum conſanguinei ſint? Concedit quidem, Hunnos Alanorum nomine quandoque fuiſſe vocatos, et Gothos olim cum Alanis et lingua et natione conveniſſe fatetur; negat vero, Gothos, etſi Hunni generis Getarum ſive Scytharum pars fuerint, Getas ipſos ſanguine contigiſſe: exploratum enim eſſe, Gothos e Scandia inſula, in oceano Germanico poſita, priſcis temporibus egreſſos, et longe lateque per Europam diſſipatos, ut occupata Dacia Dacos dictos eſſe, etſi haud Dacici generis fuerint, ſic Thraciam ingreſſos ad Getas acceſſiſſe, et Gothorum nomen in Getarum permutaſſe, non vero Getarum gentem in Thraciam intuliſſe. In Cap. VI. refutatur Iornandis ſententia, Hunnos Bulgaris originem debere. Rectius eſſe putat A. ſi dicamus, Bulgaros et in Europa

ropa

Digitized by Google

ropa Hunnorum concives aut ſubditos fuiſſe, et in Aſia finitimos, aut imperio quoque eorum parentes. In Capite VII. quaerit Auctor, an Hunni Attilani, ſive Unni, iidem cum Chunis ſive Cunnis, aut Cunis vel Cumanis? an iidem cum Thunis ſive Thunnis atque Thynnis? Neque negare omnino, neque affirmare Auctor videtur, Cumanos ſive Chunos generi Hunnorum annumerandos eſſe, etſi quaedam contra hanc ſententiam profert. Thunos vero apud Plinium, H. N. Lib. VI. cap. 19. ſive Thyros, ut alii legunt, ſive Thynnos, aut eosdem eſſe cenſet cum Chunis Ptolemaei, inter Baſternas et Roxolanos, iam ante Attilam propius citeriora littora Ponti Euxini poſitos, aut illo commigraſſe ex Aſia, vel cum maioribus Attilae, vel prius etiam, eosdemque eſſe cum gente Agazyrorum fortiſſima apud Iornandem, ſive Acathyrorum aut Acatzyrorum Hunnorum apud Priſcum Rhetorem, ſive Actirorum aut Acatarorum apud Suidam; quos et Hunnos fuiſſe, et Attilanis cognatos, atque etiam filium Attilae, natu maiorem, cum regia poteſtate praefectum habuiſſe, ex Actis Attilae in Excerptis Priſci Rhetoris apparere arbitratur. In Cap. VIII. exponit Auctor, quid de Iazygibus, hodie quoque in Hungaria iuxta Chunos ſive Cumanos viventibus, ſentiat? Eſt vero illius ſententia haec: Iazyges iam ante Attilae ſuorumque adventum, hoc ipſo loco, quem hodie in Hungaria incolunt, ac longe ampliore etiam conſediſſe: alios Iazyges tantum, alios Iazyges Metanaſtas nuncupari: Iazyges ab antiquiſſimis ſcriptoribus ad Danubii littora poſitos, ac late rerum potitos, Hunnos ipſos fuiſſe, aut Hunnorum neceſſarios: non falſo tamen dubitare quosdam, an praeſentes Hungariae incolae, Iazyges dicti, poſteri ſint priſcorum illorum Iazygum, qui iam ante Attilam inter Danubium Tibiſcumque habitaverint. Hic diſputat etiam Auctor de Urgis Strabonis. In Cap. IX. quaeritur, an Turcae Hunnorum propinqui? Negat vero Hunnos Hungarosve ulla unquam cum Turcis cognatione coniunctos fuiſſe. Negat quoque in Cap. X. Tarta-

Tartaros ullo modo ad Hunnorum ſive Hungarorum genus pertinere. Finem primo huic Libro imponit diſputatiuncula de Finnis, ſive Fennis, Saberisque, ſive Sabiris. Veniamus ad Librum ſecundum. In Cap. I. et II. quaerit Auctor, an Hunni Attilani ex Europaea Scythia, vel Sarmatia Europaea orti? Indicat ea occaſione Vir Cl. Scythiae et Sarmatiae Europaeae ambitum et limites; et deinde variis argumentis efficit, minime unquam cum Hunnos Attilanos, tum Hungaros, ſedes nativas in Europaea Sarmatia habuiſſe ad fontes Tanais, aut apud commentitios montes Riphaeos. In Cap. III. oſtendit, certum quidem eſſe, et exploratum, Hunnos Attilanos ex Aſia proveniſſe: ſed maximis hoc difficultatibus quoque involutum, variisque modis a veteribus Scriptoribus indicari, e quonam Aſiae angulo primum progreſſi fuerint. Inter varios Scriptores, quorum verba ſubinde illuſtrantur, aſſentitur Auctor Ptolemaeo et Diodoro Siculo, qui a Moeotide usque ad utramque Volgae ripam Sarmatas Aſiaticos per latera ſeptentrionalia Caucaſiorum montium extendunt, et tum demum Scythas intra Imaum habitantes ultra mare Caſpium, ſeptentrionem verſus et orientem. In Cap. IV. quaeritur, an Hunni primum ex Iuharia, alias Iuhra, Iugra, Iugoria, vel Iugaria, Moſchoviticae nunc ditionis in algido ſeptentrione provincia, prodierint? Negat et pernegat Auctor, quin contendit, Hunnos atque Ungaros inde a Volgae oſtiis, infra Bulgariam maiorem, usque ad Seres Indosque ac Perſas, priſtina ac nativa cunabula tenuiſſe. In Cap. V. proponit Auctor MSCtum ex Bibliotheca Vaticana, *de facto Ungariae Magnae a F. Ricardo Ordinis F. F. Praedicatorum invento tempore Domini Gregorii IX*, illudque in Cap. VI. et VII. uberius eo fine illuſtrat, ut appareret, avitas Hunnorum ſive Hungarorum ſedes fuiſſe orientem verſus, per alterum Caſpii maris latus, usque ad Indos et Perſas. Coronidis loco impoſuit Auctor huic Tomo brevem diſputationem de patria Hieronymi, Eccleſiae doctoris. Etſi enim conſtat, illum Stridone oppido

 natum

Digitized by Google

natum eſſe, quod, ut ait ipſe, *a Gothis everſum, Dalmatiae quondam Pannoniaeque confinium fuit:* tamen, cum duo oppida Stridonis nomine nota ſint, nondum ſatis exploratum eſt, quae illius patria fuerit. Exiſtimat vero Auctor, illud Stridonis oppidum, quod vix unius diei itinere diſtat Sabaria, Hungariae urbe, et patria S. Martini, Turonenſium antiſtitis, minus autem diſtat *Cháktornia*, Hungariae oppido, minus denique abeſt Petovia ſive Petobio, ac etiam Patavio, olim ad Dravum flumen ſito, et quod adeo confinium Dalmatiae Pannoniaeque dicendum eſt, natale ſolum Hieronymi fuiſſe, ipſum magis Pannonem atque adeo Hungarum, quam Dalmatam cenſendum eſſe. Caeterum nec inutile, nec iniucundum erit, conferre cum hoc Deſericii libro Illuſtris BELII noſtri elegantem diſputationem, de vera Epocha Hunnorum, Avarum, Hungarorum, in Pannonia, quae ante biennium hic Lipſiae prodiit.

IOH. GOTTLOB BOEHMII, P. P. COLLEG. MAI. Princ. Socii, Paſt. Arc. de AUGUSTINO OLOMUCENSI, et Patera eius aurea, in Numophylacio Seren. Princ. Reg. Elect. Dresdae adſervata, Commentariolus. Accedit eiusdem Paterae delineatio, adornata a GUIL. ERN. TENZELIO, V. Cl.

Dresdae et Lipſiae, 1758. apud Georg. Conr. Valtherum, Bibliop. Aulic. plag. 11. octonis, cum figura Paterae aeri inſculpta.

In multis honore et memoria perpetua digniſſimis monumentis, quae eximium illud Sereniſſ. Principis Regii, Electoratus Saxonici Heredis, Muſeum, inprimis gratum ſapientiſſimo domino ſuo ſpectaculum, ſervat, caput quoque extollit praecipuo ſplendore conſpicua patera aurea, cui illuſtre *Auguſtini Olomucenſis* nomen inſcriptum eſt. Ea cum ſuperiore tempore Dresdae verſanti *Boehmio* noſtro,

noſtro, Viro Cl. intuenda offerretur; rogatus ſuper ea ſententiam, non ſolum ingenue eam prodidit, ſed etiam pollicitus eſt, ſe, quae tum ſtrictim differebat, aliquando maiore cura perſecuturum eſſe. Quod ipſum edito hoc libello praeſtat; qui totus eſt in reducendo quaſi inter vivos *Auguſtino* illo, ſumma certe injuria pridem iam oblivione cooperto.

Dicit ergo *Capite primo*, (pag. 6—23.) de Patria, Genere, ac Studiis Auguſtini Olomucenſis. Patriae quidem vocabulum cognomen ei perpetuum haeſit, ut inde Olomucenſis, Moravus Olomucenſis, Olomuncius, Olomucius, de Olomucz, diceretur. Ac floruit tum Moravia, atque adeo Bohemia ipſa, pluribus viris, bonarum litterarum ſtudioſiſſimis iuxta et peritiſſimis. Talis apud Bohemos *Iohannes Siechta* eminuit, doctrinae et eloquentiae laudem ſummam adeptus, adeo ut unum illi parem eloquio *Haſſenſteinium* conferre auſit Hieron. Balbus. Hunc autem *Haſſenſteinium* inter alios regni Bohemiae proceres, eruditionis gloria excellentes, mirifice praedicat *Auguſtinus* noſter, ac nemo eſt qui eius in litteras merita neſciat. In Moravia tum *Ianus Zuola* claruit, ſed maxime *Stanislaus Thurzo*, Praeſul Olomucenſis, ingeniorum doctiſſimus benigniſſimusque aeſtimator. Hic potiſſimum efficiebat, ut Olomucium eo tempore eruditis hominibus opulentum celebraretur. Inter eos *Iohannes Oppovienſis*, Senator, et *Andreas Stiborius*, Canonicus, in primis conſpicui fuere. Sed *Stiborius* propinqua cognatione *Auguſtino* iunctus erat, a quo avunculus dicitur. Nihil ultra de huius ortu traditum apud ſcriptores legitur. Natum eſſe poſt annum Seculi XV. ſeptuageſimum, non vana ſuſpicione credit Cl. Boehmius. Adiuvabat egregii ingenii conatus et exemplo et beneficiis *Stiborius*. Mox Patavium miſſus eſt *Auguſtinus*, ubi primum philoſophiae, eloquentiae, atque poëticae feliciter operam navavit, tum etiam iurisprudentiae ſtudiis, Pontificii praeſertim iuris, initiatus eſt; neque a cognoſcendis litteris Theologicis alienus fuit. Recte vero

 mireris,

Digitized by Google

mireris, in claris Patavini Gymnaſii alumnis praetermiſſam eius a *Papadopola* memoriam eſſe.

Ita munitus, facilem Auguſtinus ad dignitates et munera publica aditum habuit; quae qualia fuerint, *Capite ſecundo*, (pag. 24 — 39.) oſtenditur. In ipſo Patavino Gymnaſio lauream artium, et ſupremos iurisprudentiae honores tuliſſe videtur. *Haſſenſteinius* certe *Iuris utriusque Doctorem* vocat; ipſe autem *Auguſtinus* maluit *Iuris Pontificii et Artium Doctor*, item *Artium et Decretorum Doctor* dici, quod indicio eſt, eum addictiſſimum iuri Pontificio fuiſſe. Cum etiam *Olomucenſis et Brunnenſis Eccleſiarum Praepoſitus* eſſet, hos fere honores in titulis ſuis ponere non curabat. Functus autem illis eſt praeclare, eaque virtutis et doctrinae commendatione factum eſt, ut in aulam *Uladislai*, Hungariae ac Bohemiae Regis, arceſſeretur. Ibi epiſtolarum ſcriniique regii magiſtrum egit, unde nomina *Regii Secretarii, Regni*, imo *Regis ſupremi Secretarii*, tributa illi a diverſis, et a *Petreio Aperbacho* etiam *Regii Auricularii*, conſpirans cum ceteris nomen, fluxere. Ex eo tempore *Auguſtinus* graviſſimis reipublicae negotiis interfuit gerendis. Plurimum vero apud Regem gratia valens, ſaepius interpellatus eſt ab amicis, ut eorum cauſſas conſilio et ope tueretur; quod ſatis docent vel *Haſſenſteinii* adeum epiſtolae. Neque tamen inter hos ſeveriores labores, a ſtudiis liberalibus animum avertit, quin potius impenſe eas coluit et amavit. Tanto ergo fidentius illi *Iohannes Sturnus*, Conſolatoriam *Haſſenſteinii* ab ſe editam, elegantisſimos illos omnium conſenſu elegos, ut Regi traderet, miſit, adiuncta epiſtola, quam hic pag. 36. 37. deſcriptam libenter legimus.

Ad Patronos, Amicos, obitum denique *Auguſtini Olomucenſis* deducimur *Capite III.* a pag. 40 — 61. Erant in patronis eius illuſtribus duo clarisſimi fratres, *Iohannes* et *Stanislaus*, *Thurzonii*: ille Vratislavienſis Eccleſiae, hic Olomucenſis, Antiſtites; uterque amicisſimus Eraſmo Roterodamo, ingenio et doctrina eximius, in litterarum ſtudioſos

ſtudioſos uterque propenſisſima voluntate. Igitur, inſcriptis *Iohanni* ſtudiorum ſuorum primitiis, in eius ſe clientelam merito dedit *Auguſtinus*, expertusque inſignem eius ut et *Stanislai* favorem eſt. Amicorum ipſius largisſima ſeges produci poteſt. Horum facile princeps *Haſſenſteinius*, quamvis obiurgare nonnunquam videatur in epiſtolis *Auguſtinum*, non tamen minus in eo diligendo perſtitit. Sed cum *Conrado* etiam *Celte Iohanne Sturno*, *Simone Fagello*, *Ioh. Cuſpiniano*, *Ioach. Vadiano*, *Petreio Aperbacꝭho*, *Ioh. Slechta*, et *Ioh. Nigro*, (quorum pleroſque quis eſt, qui non diligenter cognitos hodie quoque amet?) nata ſtudiorum, poetices in primis, communi vinculo amicitia intercesſit *Auguſtino*. In his *Aperbacchus* quidem nunc raro eruditorum ore frequentatus, olim ingenii atque doctrinae praeſtantia inclytus, *Eobano Heſſo* praecipue carus, et *alae litterarum praefectus* a *Croto Rubiano* adpellatus, venuſtos in *Auguſtinum* hendecaſyllabos condidit, iterum editos a *Boehmio* noſtro pag. 55. Ceterum exſtat facetum *Conr. Celtis* carmen, hic itidem pag. 58. 59. repetitum: in *Auguſtinum Olomuncium, dum apud puellam conſcneſceret;* quod tamen argumento non eſt, *Auguſtinum* ingloriam inter amores vitam exegiſſe. Obiit certe, vix dum ingreſſus aetatem virilem, Olomucii, morte repentina, anno Seculi XVI. decimo. Quam ſubitanei fati ſortem, coeleſtis irae ſignum interpretatus eſt Auctor Hiſtoriae Perſecutionum Eccleſiae Bohemicae, Cap. XXIV.

Bibliothecam nunc et ſcripta *Auguſtini Olomucenſis* ſpectemus, duce quidem *Capite quarto*, a pag. 62 — 91. Supereſt hodie quoque ſupellex libraria a Viro doctisſimo collecta, quippe quam Olomucenſi Eccleſiae propriam dicavit. Prolati vero ab eo in publicum ingenii fructus nec ipſi interierunt. Primum quidem eorum, cum in Patavino Gymnaſio humanitatis ſtudia ſectaretur, edidit: *Dialogum in defenſionem poetices*, typis exſcriptum Venetiis A. MCCCCXCIII, cuius in limine poſiti verſiculi, non in-

digni illi defenſore poetices, pag. 65. leguntur. Conſilium libelli ſcribendi erat, artem pulcherrimam a criminationibus ruſticorum hominum vindicare, inprimisque pro fabulari hiſtoria pugnare, quae eſt fundus et quaſi patrimonium poetarum. Multum omnino temporis carminibus pangendis tribuit *Auguſtinus*. Certe Pannoniae Regis res praeclare geſtas ceciniſſe illum, *Conr. Celtes* Auctor eſt. *Haſſenſteinius* porro verſus eius ſe legiſſe ait adeo perfectos, ut cum Italis ipſis de palma eum certare poſſe iudicet. Qua ſuper re adiecta hoc loco eſt epiſtola illius, itemque alia reſpondentis ipſi *Auguſtini*.

Poſthaec graviori multum argumento ſtilum adcommodavit. Graſſanti enim tum per Bohemos et Moravos Waldenſium ſectae, vel, vulgari voce, Picardorum, (quamvis hoc nomen perperam, ſive ea aetate, ſive noſtra, Waldenſibus et Huſſitis tributum eſt,) ſcriptis binis litteris ad Regem *de haereſi Waldenſium*, item aliis quatuor *contra perfidiam Waldenſium*, ad Ioh. Nigrum, qui ipſe de ſecta eorum erat, reſtitit. Eae uno volumine incluſae a Melch. Lotero Lipſiae A. MDXII. machinarum beneficio publicatae ſunt. Etiam Olomucii editum fuiſſe A. MDXXIX. Auguſtini de Olmuz Tractatum de Secta Waldenſium, memorat *C. Sagittarius* in Introd. in H. E. Tom. I. pag. 476. not. b); ſed ille paullo ante *Antonium* adpellat Auguſtinum, ut adeo non videatur eius narratio ſatis firma eſſe. Contra veriſimile putat Cl. Boehmius, *Auguſtini docti Threnum religionis neglectae ad Ladislaum, Pannoniae Bohemiaeque Regem*, Poſſevino in Adp. S. p. 134. excitatum, noſtri Auguſtini eſſe.

Certius magisque exploratum eſt, eum Olomucenſium Praeſulum hiſtoriam, capto a Cyrillo exordio, quem primum Moraviae Archiepiſcopum vocat, ad aetatem usque ſuam concinnaſſe. Inſcripſit librum *Catalogus Epiſcoporum Olom.* et Stanislao Thurzonio, qui tum eam provinciam ornabat, dicavit epiſtola ſapienter ſcripta, pro qua aliam ei Stanislaus miſit, et ipſam laude dignam. Utraque

que in hunc Commentarium relata eſt a pag. 82—88. Huius Catalogi exemplum tenet Cl. Auctor, Viennae Pannoniae ab Hieron. Philovalle et Io. Singrenio excuſſum, adnotato a vetere manu A. MDXV. quo tempore primum prodiiſſe, maturius Auguſtini fatum, ut credamus prohibet. Cum rarior recentiore aetate adpareret liber, ne omnino interiret curarunt *M. Freherus* in Script. Rer. Bohemic. et *Ianus Gruterus*, ſive, quemadmodum nomen texit, *Ioh. Gualterius*, in Chronico Chronicorum. Praeter haec autem ſcripta *Auguſtini*, ſunt qui *de componendis epiſtolis* libellum ei adſcribant. Sed hi videntur auditis eius in Waldenſes epiſtolis decepti, fumum pro igne cepiſſe. Addi tamen par eſt et iſtud, *Ioh. Blanchini* Tabulas coeleſtium motuum, editas eſſe ab *Auguſtino* A. MCCCCXCV. Venetiis, et nomini Andr. Stiborii conſecratas.

Tandem *Capite quinto*, (a pag. 92 — 127.) de Patera Aurea Auguſtini Olomucenſ. in Numophyl. Princip. Dresdae adſervata, diſputatur. Conſtat ea mero auro, (verbis utimur *Tenzelii*, de quo infra dicetur,) medium fere inter Ducatorum Coronatorumque, ut vocant, aurum tenente. Diameter ſupremae partis, ſive circumferentiae, eſt ſeptem digitorum ac dimidii. Pondus trium beſſium ac dimidii, ſive XXVIII. unciarum. Viginti duobus aureis Caeſarum Romanorum numis diſtinguitur, quibus corollae laureae rutaceaeque, ut aurifabrorum vocabulo utamur, innexae ſunt. In fundo altari inſidet puer alatus, ſeu Genius, dextra uvas exprimens in pateram ante ſe poſitam, ſiniſtra exporrecta uvas tenens, cum perigraphe: GENIO. LIBERO. Q. PATRI. Margini exteriori hi verſus literis uncialibus inciſi leguntur:

PHOEBIGENVM. SACRATA. COHORS. ET. MYSTICVS. ORDO.
HAC. PATERA. BACCHI. MVNERA. LARGA. FERANT.
PROCVL. HINC. PROCVL. ESTE. PROPHANI.

Sub

Sub pede vero inciſa ſunt verba:

AVG. OLOM.
SIBI.
ET. GRATAE.
POSTERITATI.
MDVIII.

Non eſt infrequens in epiſtolis *Haſſenſteinii* huius ſcyphi mentio, Pragae aliquamdiu ſervati, dein Brunnam miſſi, tandem Budam ad *Auguſtinum.* Fuerunt vero qui ex auro arte parato conflatum opinarentur: alii qui dedicatum fuiſſe ab *Auguſtino* ſodalibus quibusdam ſuis crederent, initiatis naturae neſcio quibus myſteriis. Hi in verſibus adiunctis praeſidium inepti quaeſivere; illis, minus etiam quo ſomnia ſua tuerentur, ſuppetebat. Itaque verius alii, et in his *Tenzelius*, ſodalitatem litterariam interpretati ſunt, cui haec patera dicata fuerit, conſtantem quidem illam vel novem membris, vel, myſtico numero, ſeptem, quorum non poſtremum ipſe eſſet *Auguſtinus.* Probat haec in univerſum Cl. Boehmius, niſi quod bene monet, non opus eſſe ut *myſticus* ordo ſeptenarius habeatur, ſed potius, velut *myſtica vitis* apud *Tibullum* dicatur, ita coetum doctorum hominum a myſteriis ſtudiorum adpellari. Solenne autem olim donarium erant ſcyphi, benevolentiae et amicitiae cauſſa oblati. Atque hunc *Auguſtini*, genialibus ſodalium epulis deſtinatum fuiſſe, loquuntur verſiculi ſecundi verba, et inſculptus fundo Genius. Fuit quippe patera, olim uſitata in ſacrificiis, dudum ad convivia perlata. Neque Graeci Romanique veteres ad fundenda carmina promtiores viſi ſunt, quam ubi Genio et Baccho, laetitiae datori, libaſſent. *Horatii* et *Martialis* exempla hic prima producuntur, tum etiam recentius *Camilli Querni* ex *Iovio.* Illud denique: *Procul hinc*, reliqua, poſitum eſt ab *Auguſtino*, ut rudes et indoctos homines ab elegante ſuorum ſodalitate arceret.

De

Digitized by Google

De talibus vero illius aevi eruditorum virorum ſocietatibus curatius ſibi disquirendum ratus eſt doctiſſimus Boehmius. Erat apud maiores noſtros ex Italia conſuetudo advecta ea, multumque celebrata doctis hominibus, ut pari virtutis ac litterarum amore, ſodalitia iungerent exercendis ingeniis, bonarumque ſtudiis artium provehendis. Hunc morem in Narratione de Eobano Heſſo pingit et laudat *Ioach. Camerarius*, clariſſimum illud Academiae noſtrae ſidus. Ita ergo tum per Germaniam, auctore et hortatore potisſimum *Conr. Celte*, plures inſtitutae ſunt litterariae ſodalitates, in quibus celebratisſima ad poſteritatis famam Rhenana et Danubiana. Nec obſcura eſt memoria Boicae, cuius quaedam prodiere poemata *ex liliorum contubernio*, Angiloſtadii ſcripta, in Opuſculis Societatis Aug. Vind. A. MDXVIII. 4. edita. In Saxonia iisdem temporibus *Leucopolitana* ſodalitas claruit, nuncupata a Graeco Vitebergae vocabulo, de qua in Laconiſmo tumultuario *Mart. Mellerſtadius*, qui primus Academiae Viteb. faſces obtinuit: „Adeſt litteraria phalanx „Danubiana Leucopolitanaque, quarum imperatores et „praefecti exiſtunt Conr. Celtis, et illuſtris ille Bohusl. „Haſſenſteinius, qui nuper communi ſuffragio, poſtquam „Matthaeus Lupinus, heu nimium immature, occidit, eam „praefecturam adminiſtrare coepit.„ *Lupinus* autem hic Lipſiae bonas litteras eximio cum plauſu profeſſus erat, carminibusque inprimis ſcribendis claruerat. Haud multo poſt Vindobonae *Colimitiana* ſodalitas effloruit, ductu et auſpicio *Ge. Tanſtetteri Colimitii*, viri multae, praeſertim mathematicae, doctrinae, et in litterarum ſtudia beneficentisſimi. In ea Cuſpinianus, Vadianus, Aperbacchus, Lazius, Rich. Bartholinus, Velocianus, Zuola, Urſ. Velius, verbo, quotquot tum Vindobona eruditos homines alebat, enitebant. Circa eadem tempora claritudo etiam aliqua fuit *Eobanici* ſodalitii, ab Eob. Heſſo, poeta doctisſimo, inſtituti: quod narrat in vita eius Ca-

merarius, qui et ſimilem coetum a Ioh. Mylio, Iuriſconſulto ornatisſimo, Noribergae congregatum fuiſſe refert.

Sed in his ſocietatibus dulcia ſeveris miſcebantur. Non eloquentiae duntaxat, non ſolis carminibus, operam dabant ſodales; ſed ſaepenumero de gravisſimis rebus docte et ſapienter inter ſe diſputabant, velut ex *Conr. Celtis* carmine ad Ioh. Vigilium, Sodalitatis litterariae Rhenanae hoſpitem, (Lib. III. Od. III.) intelligitur. Poſt haec autem, quum ſatis ſapientiae datum eſſet, omnis ſodalium chorus

Explicuit vino contractae ſeria frontis.

Hinc Celtis celebrat *pocula aurea et pateras, per regios pincernas, circumlatas, et inter pocula pulſata tympana et cornua,* in ludo Dianae ab ſodalitate Danubiana Lincii acto, ſpectante Maximiliano I. Rom. Imp. Idem feſtivas epulas Societati aliquando Rhenanae inſtruendas indixit. In his omnibus laetitiam honeſtam occupaſſe convivas, docent Eobani ad Iohannem Francum verſus, Libro Silvarum Octavo. Tale et Sodalitatis Colimitianae ſympoſium fuiſſe videtur, non incognitum facundis Urſini Velii verſiculis.

Atque in hos mores, in haec ſtudia, condita quoque eſt Societas litterarum in Pannonia, in qua, fauſto Matthiae Corvini principatu, optimae artes nuper effloruerant. Eſt in Principali Numophylacio Dresdae elegantisſimus numus, in honorem maximi Regis cuſus, tituloque inſignitus hoc:

Caeſare magna quidem victo, Thracumque tyrannis,
Maior Apollinea gloria parta tuba eſt.

Adeo illi triumphis omnibus potior viſa eſt gloria litterarum. Primus eas regno intulerat Ianus Pannonius, Quinque-Eccleſienſis Epiſcopus. Hunc Iohannes, Antiſtes Strigonienſis, aliique conſecuti ſunt, patriam doctrina ſua excolentes. Ita vero fama illorum excitus Celtis, lon-

Digitized by Google

longinquum in Pannoniam iter ſuſcepit, ac praeſens forte conſtituit *Ungarorum ſodalitatem litterariam*, cui etiam carmen inſcripſit, Lib. II. Od. II. De eo vero ſodalitio paucisſima proſtant in litteras relata. Sunt qui haud diverſum a Danubiano exiſtimant. In Pannonia latius propagatum fuiſſe; Budam tamen ſedem praecipuam delegiſſe videtur. *Auguſtinus* autem cum hac in urbe multam aetatem conſumſerit, accesſit ſine dubio ſocietati huic, eique pateram auream conſecravit.

Haec ſuperiora poſtquam commentatus eſſet Cl. Boehmius, delatus eſt ad eum ex Bibliotheca Regia Dresdenſi *Bohusl. Haſſenſteinii* Farrago Poematum, edita Pragae MDLXX. 8. et dudum ab eo deſiderata. His longe pulcherrimis carminibus ita uſus eſt, ut ex illis, (a pag. libelli ſui 128 — 138.) Analecta de Auguſtino Olomucenſi colligeret, hoc eſt partim huius et Slechtae atque Sturni laudes, partim ſtabilitae inter Auguſtinum et Haſſenſteinium amicitiae teſtimonia.

Subiungitur denique Paterae Aureae Delineatio a *Guil. Ern. Tenzelio*, Viro quondam doctisſimo, adornata Anno Seculi huius tertio. Quae ex ea memoranda fuerant, ſupra iam a nobis contextui Boehmianae narrationis immiſta ſunt. Neque attinet, duce Tenzelio, numorum in hoc ſcypho conſpicuorum imagines et epigraphes deſcribere, niſi quod in his eſt MAGNIAE VRBICAE AVG. numus, cum Venere Victrice, expeditus nuper a *Stoſchio*. Fata tamen paterae ſilentio premenda nequaquam ſunt. Cum originem deberet ſupremo Regis Ungariae Secretario, ſeu Cancellario, inde a Tataris aliquando rapta, inter barbaros illaeſa manſit, donec in obſidione Aſſoffenſi a Rusſis intercepta, in Iudaeorum crudeles manus incideret, eque his a Supremo Regis Poloniae Cancellario, Wolfg. Dieterico Comite a Beichlingen, vindicata, Germaniae poſtliminio reſtitueretur, Regiis deinde cimeliis

 aggre-

Tab. III. aggregata. Quid multa? Curavimus, Lector, ut eam hic ſculptoris ope ante oculos poſitam ſpectare poſſis.

Omnis autem hic Cl. Boehmii libellus, quem recenſendo commendavimus, non ſolum memoriam Auguſtini Olomucenſis docte atque eleganter reſtituit, ſed praeterea commemoratione iucunda eruditiſſimorum hominum; quos idem aevum tulerat, et interſperſis e libris eorum locis quamplurimis, utroque orationis genere nitentibus, imaginem fere quandam florentium ea aetate per Bohemiam et Moraviam, imo etiGermaniam Pannoniamque, litterarum, oſtendit, docetque, non obtuſa adeo ingenia his temporibus homines geſtaſſe, qualia multi hodie fingunt, averſo ab illis eorumque libris animo. Sed ut magis etiam placeat Lectoribus hic Commentariolus, faciunt duo doctiſſ. Auctoris carmina, alterum ad libellum, ad Muſeum Dresdae Principale alterum, utrumque facultatis poeticae in eo dudum ſpectatae novum documentum.

PLATONIS DIALOGI QUATUOR, EUTHYPHRO, Apolog. Socratis, Crito, Phaedo, Graece, e recenſione HENRICI STEPHANI. Varietate lectionis, animadverſionibusque criticis brevibus illuſtrati ab IOH. FRIDER. FISCHERO.

Lipſiae, ſumtu Langenhemii, 1759. plag. 14. octav.

Eundem illum Platonem, cuius ſapientiam ſumma cum eloquentia coniunctam ſic admirata eſt omnis antiquitas, ut, nec Iovem ipſum, ſi Graece loqueretur, aliter loqui diceret; quem divinum auctorem, quem Homerum, quem quaſi deum philoſophorum Cicero appellat; quem nec ſaepe nimis, nec nimis valde laudari poſſe arbitratur; qui digniſſimus egregio illo Aeſculapii animorum elogio, quo vere ac merito illum ſapientes Viri

Digitized by Google

Viri condecoraverunt; cuius tanta ſuit auctoritas, ut multi cum eo errare in philoſophia, quam cum aliis vera ſentire mallent; quis non maximopere miretur, nondum ita eſſe adornatum, ut commode manibus iuventutis teri poſſit? Sunt enim non paucae quidem Platonis editiones in lucem emiſſae, atque ita quidem emiſſae, ut plurimum a viris, eximiae doctrinae laude florentibus, ſplendoris Platoni additum ſit; ſed ſunt illae prope beatiorum ſolum opes, et ob inſignem raritatem et nimium pretium non in eorum omnium manus perveniunt, quorum magni intereſt, quae ille divinitus ſcripſit, cognoſcere. Laudandum igitur *Fiſcheri*, Viri Clar. conſilium, omnique modo iuvandum, edendi tam commoda ratione Platonis libros, ut de eorum raritate nullus nobis querendi locus relinquatur. Quo in negotio quid ſibi propoſuerit, quam viam iniverit, videamus. Textum quidem Stephani totum, pauca ſi exceperis, in quibus ab illo diſceſſionem fecit, retinuit, et cum ex Hopperiana Baſilienſi, et Aldina editione, tum e libris manu exaratis, ab editoribus Platonis aliiſque, ut Salvinio, Serrano, Cornario, in conſilium adhibitis, lectionum diſcrepantias adiecit. Excerpſit praeterea variantes lectiones ex ſcriptoribus antiquis, qui hanc vel illam ῥῆσιν ex dialogis Platonicis ſuos in libros transtulerunt, et una cum coniecturis criticorum addidit, ita ut paucis, quale cuique lectioni pretium ſtatuendum eſſe cenſeat, exponeret. In Phaedone Mudgii, Turnebi, et Ariſtippi lectiones, cum particulis ex Olympiodori commentariis, ex Forſteri editione petitas, invenimus, unde etiam Editor Vaſcoſani in Critone lectiones accepit, et Morelianas in Euthyphrone ſcripturas huc tranſtulit. In Apologia denique Socratis ſe diligenter uſum fuiſſe fatetur Rudingeri in huncce libellum docto commentario. Ipſis dialogis praemiſſa eſt Albini, philoſophi Platonici, εἰσαγωγὴ εἰς

τὺς Πλάτωνος διαλογὺς, quam primus ex codice Holſteniano doctiſſimus Fabricius vulgavit, et bibliothecae Graecae Vol. II. inſeruit. Quod ad notas Viri Clar. attinet, ſunt illae breves quidem, ſed doctae, acutae, et ſummopere utiles, et quae non magis tironum, quam magiſtrorum intelligentiam iuvent. In iis quidem veterum libris, ait Editor, qui eduntur, ut in ſcholis enarrentur diſcipulis, ineptum videtur nimis cumulari notas; quarum in locum ſuccedere peritorum magiſtrorum vox et doctrina debet. Atque horum iudicium utile eſt adiuvari notis Criticis brevibus, ut, quae ſit vera cuiusque loci et genuina ſcriptura, antequam interpretentur verba, videant. Ex his igitur conſilium Editoris intelligitur. Adſperſit tamen aliquoties non contemnendas notas, neque Graecarum litterarum indolem veram cognoſcere cupientibus iniucundas. Sic pag. 150. ſcribit: τῷ et τῳ ſaepiſſime in ſcriptis etiam libris ſunt confuſa: quo tamen temere a Criticis quibusdam, Hebraice indoctis, refertur locus Paulli 1 Corinth. XV, 8: ὡσπερεὶ τῷ ἐκτρώματι, nam Paullus quidem cum reliquis ſcriptoribus divinis ſolet ה articuli Hebraeorum, quod non raro vim Pronominis indefiniti habet, reddere Articulo praepoſitivo Graecorum. Cui addantur quae pag. 58. de verbo ἀποκτιννύναι: pag. 112. de ſcriptura vocis ἄττα: pag. 129. de mutatione, apud librarios ſaepe obvia, litterae ι et diphthongi ει: et pag. 182. de ſcriptura verbi θάρσος, habentur. In corrigenda emendandaque oratione, more ſuo, religioſus fuit Vir Clar. nec, niſi bis terve, ſi recte meminimus, ad ſuas coniecturas, non textui intrudendas, ſed in notis proponendas, confugit. Praefixa eſt his dialogis, praefationis loco, epiſtola ad Vir. Ill. BELIUM noſtrum, in qua Auctor docte et accurate de Stephaniana, Valderiana, Hopperiana, et Manutiana editione Platonis diſputat, et earum

quaſi

Digitized by Google

quaſi hiſtoriam proponit. Valde probatur Auctori cum Manutiana, quoniam et Manutius Muſuri Cretenſis opera uſus eſt, qui ad antiquiſſimos codices (παλαιὰ καὶ ἀξιόπιςα ἀντίγραφα appellat ad calcem dialogorum,) Platonem recognovit, et pravae lectiones non multae apparent, tum, quae ferme tota ex fonte hoc derivata fuit, Baſilienſis, ex officina Ioh. Valderi. Adiecti enim non ſolum ſunt Procli in Timaeum et Politicen commentarii, ſed acceſſit quoque praeter alia quaedam index Graecus triplex, verborum, nominum propriorum, proverbiorum. Etſi quoque editor nullis codicibus inſtructus fuit, feliciter tamen multa menda Aldini exempli ſuſtulit; interdum etiam, ob nimiam emendandi cupiditatem, ſana et integra loca corrupit. Hopperiana editio, cui Arnoldus Arlenius multum profuit, praeter propria, fere e vitioſis Baſilienſis primae lectionibus nata, peccata pauca, magnum habet eorum numerum cum eodem exemplo communem. De Stephaniana editione paullo copioſius Auctor diſputat, et cum, quae probanda, tum quae vituperanda cenſeat, exponit. Laudat quidem ſummam Stephani diligentiam, in corrigendis librariorum peccatis, qua cavit, ut Auctor vix duo vel tria vitia in quatuor primis Dialogis deprehenderet; laudat etiam quod nihil, niſi auctoritate bonorum librorum confirmatum, in contextis verborum poſuit; laudat denique indicem latinum, eumque uberrimum. Nunc, quae vitia eiusdem Auctor notet, videamus. Primo docet, pleraſque, quas Stephanus attulerit, coniecturas, non in eius ingenio natas, ſed alienas eſſe, multaque illum ex verſione latina Ficini, multa a Morelio et Turnebo ſumta, pro ſuis venditaſſe. Deinde invenit, Stephanum lectiones plurimas, quas ſe ex libris ſcriptis hauſiſſe profiteatur, ex editione Hopperiana, nusquam tamen memorata, ſumſiſſe; et, ut

eo

eo minus haec fraus deprehenderetur, lectiones Hoperianae editionis vel depravaſſe et mutilaſſe, ut modo unam alteramque litteram mutaret, modo integra verba omitteret, vel alieno loco poſuiſſe. Cuius fraudis ſpecimina et exempla bene multa Auctor in medium profert, ita, ut de rei veritate dubitandum non ſit. Auctor ad hanc rem accuratius indagandam ſe eo commotum eſſe ait, quod Scaliger Stephanum inter *importunos correctores* refert, eumque omnes, quotquot ediderit, edatve libros, ſuo arbitrio corrupiſſe ſcribit. Haec de praefatione. Nos optamus, ut, quam Cl. Fiſcherus praebuit, ea opportunitate homines, verae et ſolidae eruditionis cupidi, et iuvenes praeſertim, utantur, ſibique perſuaſum habeant, vix ex omni ſcriptorum numero ullum, in quo, ut nihil de ſumma voluptate ex hac lectione capienda dicamus, tanto cum fructu, quanto in Platone, ſuam induſtriam collocent, eligi poſſe.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Septembris Anno MDCCLIX.

Pars II.

SULPICII SEVERI OPERA, AD MSS. CODICES emendata, notisque, obſervationibus, et diſſertationibus illuſtrata, ſtudio et labore HIERONYMI DE PRATO, Veronenſis, congregationis Oratorii eiusdem civitatis Presbyteri. TOMUS II.

Veronae, 1754. apud Auguſtin. Carattonium. Alph. 3. quatern.

Iucundiſſimum ſemper fuit nobis, qui et ſtultum eſſe credimus, ſuae gloriae demtum putare, quidquid alienae cedat, et infirmam commendationem exiſtimamus, quae, ut ille ait, de alterius deſtructione fulciatur, bene merentium laudes rem publicam facere, et ſine cuiusquam obtrectatione litterarum ſtudia tractare, augere pro viribus et ornare. Quare nos, qui errores, a Cel. Pratone commiſſos, nuper iure redarguimus, iidem hunc alterum Tomum Sulpicii Severi priori longe multumque praeſtare, lubenter fatemur meritoque. Probavit ſe nobis vehementer accuratae eruditionis copia, qua adnotationes efflorefcunt: laudamus ingenium Editoris, in erroribus Severi indagandis acutum: admiramur diffuſiſſimae lectionis copias, ad illuſtrandam hiſtoriam apte collatas: multum de calore Viri docti aetatem detraxiſſe, candori vero

Digitized by Google

et aequitati adſtruxiſſe, laetamur, atque hanc humanitatem maximopere amamus. Quis enim non miretur, ſi ex eodem Pratone, quem nuper id agere vidit, ut omnes extra Romanae eccleſiae ſocietatem eruditos fungos eſſe doceret, et viros bonos, probos et doctos non ſine contumelia traduceret, ſi igitur ex eodem nunc audiat: *Flacium Illyricum hominem fuiſſe in Patrum ſcriptis admodum verſatum et eruditum,* pag. 18: *habendas ei eſſe a viris doctis gratias, quod hos Severi libellos, aliaque ſacrae vetuſtatis monumenta in publicam lucem protulerit;* pag. 19: *illius editionem ſinceram eſſe et bona fide curatam*, pag. 34: *non vulgarem eſſe Druſii, licet haeretici, in illuſtrando Severo induſtriam, cum mira brevitate et modeſtia coniunctam,* pag. 26: *Vorſtium fuiſſe multum in litterarum ſtudiis verſatum*, pag. 9: *et ſubtilem elegantiarum latinarum indagatorem*, pag. 75. Aliorum etiam doctorum non ſemel honorificam mentionem Editor facit, et, ſi quando, quod aliter eſſe non potuit, ab aliquo diſſentit, modeſte diſſenſus cauſas exponit. Ipſe ille Clericus, in quem tam vehementer Prato in priori Tomo invehitur, in quem, quaecunque Latium ſuggeſſit, convitia iecit, quem etiam *monſtrum hominis* appellavit, ut leniter tractatur! Nam, quae in illum dicuntur, nemini duriora et acerbiora videbuntur, qui furta, audaciam et imperitiam hominis perſpectam habeat. Solus eſt Hornius, quicum ſibi Prato immortales inimicitias eſſe voluit. Illud quidem caput, in quo de Horniana editione iudicium fertur, hunc titulum prae ſe fert, pag. 30: *Horniana imperitia, alucinationes, errores, blaſphemiae indicantur.* Alio vero loco, pag. 31. catalogus contexitur Hornianarum opinionum, in quibus ſibi Editor *os blaſphemum et impuriſſimum* deprehendiſſe viſus eſt. Sed de his ſatis. Leniet fortaſſe etiam hunc animum albeſcens capillus. Venimus ad praefationem, in qua varia proponuntur ad Severum ſpectantia, lectu non indigna. Primum teſtimonia et iudicia doctorum de Severi Hiſtoria Sacra afferuntur: quaeritur deinde, quae Severo huius operis ſcribendi occaſio

caſio fuerit. Scriptum vero docet Auctor cum in monachorum gratiam, quorum magnum numerum Severus domi alebat, et in Chriſtianae religionis rudimentis inſtituebat, tum in communem omnium utilitatem. Poſt de diviſione operis in duo libros, et de vero libri titulo agitur: quem Auctor non *Sacram Hiſtoriam*, ſed *Chronica* eſſe exiſtimat. Nam Severus Sacrae Hiſtoriae nomine ſemper Sacr. Scripturam appellat: omnes antiqui hos libros Chronica nominant: codex denique Vaticanus haec praefert: *Incipit Prologus Sulpicii Severi in Chronica, quae* etc. Porro de tempore, quo Severus hanc hiſtoriam ſcripſerit, diſputatur. Aggreſſus eſt Severus A. CCCC. fere, aut non multo poſt hoc opus, abſolvendo illi adhuc intentus erat A. CCCCII. et ſequenti; quando ad finem perductum et abſolutum fuerit, non conſtat. Immo ab ipſo Severo hanc hiſtoriam nunquam editam fuiſſe Auctor coniicit. Nullius enim nomini ſuum librum dicavit; parum cognitum et uſurpatum fuit hoc opus antiquis Patribus; reſtant denique non pauca, accuratius limanda et polienda. Tum praecipuae Chronicorum Severi editiones ordine recenſentur, et, quod cuique pretium ſtatuendum ſit, docetur. Tandem copioſe diſputat Auctor de duobus epitaphiis, altero Marii, qui ſub Adriani, altero Alexandri, qui ſub Antonini imperio ſanguinem pro Chriſtiana religione profudit, pag. 172. ſeq. productis, et a multis, ut Reineſio in Syntagm. Antiqu. Inſcr. pag. 953. et 977. in medium prolatis, a pluribus quoque reiectis et pro falſis habitis: qui cum potiſſimum eo argumento utantur, quod illa monogrammatis Chriſti notam appoſitam habeant, cuius originem ad Conſtantini M. aetatem referunt, multis hanc opinionem refutare et elevare conatur. Obiter alia quoque ab Editore afferuntur, quae cum propoſita materia coniunctione aliqua connexa ſunt. Nam pag. 6. aliquot loca ex Hieronymi epiſtola VI. *ad beatum Iulianum, diaconum Aquileienſem* illuſtrantur et emendantur. In loco illo: *mendaces faciunt, ut nec ſibi vera dicentibus credatur*, τὸ *ſibi*,

 quod

quod etiam in antiquis libris deeſt, expungi iubet. Deinde pro *et licet me ſiniſtro Ibera excetra ore dilaniet*, coniicit, *et licet me ſiniſtro Ibera excetra rumore dilaniet*, et mulierem aliquam, forte Caſtorinam, Hieronymi matertera̲m, notari putat. Porro pag. 9. orationem Salluſtii cum Severi oratione comparat, et, in quibus hic illum ſatis eleganter imitatus eſt, loca adfert. Tum pag. 11. de Chronicis Cornelii Nepotis: pag. 22. de vita Giſelini: pag. 23. de cenſuris in commentarium Sigonii, et pag. 32. de epiſtolis Severi, a Dacherio, Baluzio, et Clerico editis, agitur. Epiſtolas haſce non omnes eſſe Severo tribuendas Auctor pronuntiat: de ſecunda quidem paullulum dubitat, quartam vero Severi eſſe negat. Denique refutantur et pag. 14. P. Remondinus, qui A. CCCC. Hiſtor. Sacr. a Severo vulgatam eſſe docuit, et pag. 28. Coutantius, qui ex Severi loco vitioſo Synodum Sirmienſem, A. CCCXLIX. ab Arianis celebratam, elicuit. Haec de praefatione.

Ipſam hanc Hiſtor. Sacr. Auctor ex Lipſienſi editione A. MDCCIX. typographo deſcribendam dedit. At uſus eſt etiam codice ex Bibliotheca Vaticana membranaceo, et decimo fere ſeculo ſcripto. Hic codex plerumque quidem cum editis convenit, etiam ubi loca quaedam hiulca apparent, (quare Auctor vel codicem Hildeſianum, quem Flacius deſcripſit, ex Saxonia Romam perveniſſe, vel utrumque ex eodem fonte fluxiſſe arbitratur) ſed ſaepenumero lectiones elegantes et a vulgatis diverſas exhibet. Sic in prologo habet — *etiam poſt geſta connectere*, pro inepto *convertere:* Lib. I. cap. 4. *ab aſſueto ſermonis genere.* Forte tamen etiam vulg. ſe tueri poteſt *inaſſueto.* Nam Tibullus dicit: *operi inſuetas manus*, et Livius, 24. 48. *ita ſe a pueris inſuetos.* Cap. 9. *ac rurſum ſeptennii ſervitio ſubditus*, pro *ac rurſus ſeptem in ſervitio ſ.* etc.: ibid. *deſperata iam partitudine*, pro *partu.* Cap. 13. pro *legem naturae, lege naturae.* Sed illud nobis quidem melius placet, qui id interpretamur per res naturales; ſic ut Iob dicatur rerum naturalium cognitionem habuiſſe;

Digitized by Google

buiſſe; ita enim ſaepe de ordine naturae *lex* uſurpatur, ut apud Senec. Phoeniſſ. 84. *ipſa ſe in novas leges natura vertet*, Columell. 3, 8, 1. et ſaepiſſime apud alios. Illud certe quid ſit: *lege naturae et agnitionem Dei et omnem iuſtitiam complexus*, haud facile quisquam divinabit. Hornius in nota ad h. l. maximo conatu nihil dicit: ibid. pro *tum a Deo, tum ab eo*, quod melius: cap. 16. pro *albedine, albitudine*; cap. 19. pro *non volentes Dominum intueri, non valentes:* cap. 22. pro *arca ſepties circumlata, circumacta:* cap. 48. pro *cibo potuque abſtinere iubentur, c. p. abſtinentur:* cap. 33. pro *interdictionis eius neſcius, interdicti neſcius:* cap. 50. pro *ſe Dei nutu arma ſuppreſſiſſe, ſumſiſſe:* cap. 51. *dignum ſe exitum tulit*, pro *exitium.* Lib. II. cap 45. *omnibus fere epiſcopis de errore* etc. pro *epiſtolis:* cap. 47. *poſt multa et foeda* in MSS. additur *certamina.* Praecipue duo illa loca: in Lib. I. cap. 45. *ab eo viduae filius* etc. et in Lib. II. cap. 1. *maximeque Danielis* etc. bene codicis ope reſtituuntur. Huius igitur MS. varias lectiones Cel. Prato excerpſit, ſimulque antiquiores editiones in conſilium adhibuit, easque inter ſe comparavit. Sed duplex in hac parte nobis vitium Editor commiſiſſe videtur. Primum ſaepiſſime non nomina editionum poſuit, ex quarum quaque hanc vel illam lectionem ſumſerit, vel quomodo in hac, vel illa legatur, ſed plerumque *alias editiones, plerasque, quasdam, aliquot* dicit. Evolvant lectores pag. 46. n. 20. p. 47. n. 15. p. 55. n. 8. p. 50. n. 4. p. 8. n. 7. p. 59. n. 1. p. 13. n. 19. p. 19. n. 10. p. 20. n. 26. p. 21. n. 15. p. 24. n. 11. p. 31. n. 1. p. 129. n. 14. p. 115 n. 4. p. 132. n. 5. p. 147. n. 10. p. 150. n. 9. p. 224. n. 7. et ſic ſaepe alias. Quomodo vero lectores divinabunt, unde quaeque lectio profecta ſit? Nonne multum intereſt, utrum Minelliana an Giſeliniana aliquid praeferat? Valet etiam hic illud notiſſimum, *aliter catuli longe olent, aliter ſues.* Deinde deſideramus, ut in priori Tomo, etiam in hoc ſecundo, accuratam diligentiam Auctoris in inſpiciendis editionibus. Sunt enim complures,

Digitized by Google

eaeque non contemnendae lectionum varietates ab Auctore omiſſae. Sic in Prol. habet Prato: *multis voluminibus praeſcripta;* ubi Horn. *perſcripta,* quae lectio vera eſt et bona: ibid. pro *efflagitantibus* edit. Colon. *flagitantibus.* Lib. I. cap. 8. non *omnes impreſſi libri* minori *praeferunt,* iam in Horn. eſt *minoris:* cap. 18. pro *nondum deſponſatam,* edit. Colon. *non deſponſatam:* cap. 13. edit. Horn. *nec diſſimulare,* pro *nec diſſimulari licebat.* Lib. II. cap. 3. pro *tranſire videamus,* Giſel. *videmus.* Haec vero omiſit Editor cum aliis Virorum doctorum lectionibus, ut Lib. I. cap. 5. Sigonii, *fratrem* pro *patrem*: cap. 21. Druſii pro *Or Hor:* cap. 23. eiusdem pro *Geth Gae:* eiusdem cap. 24. pro *dux belli Iudas, d. b. Iuda:* et cap. 44. pro *Michaea Michaia.* Neque tamen lubet pluribus indagandis bonas horas perdere. Videtur nobis profecto Cel. Prato magis interdum feſtinaſſe, ut in hac re, ubi minime debebat, (ipſe enim pag. 34. *hanc primam et praecipuam editoris curam* appellat,) ſic etiam in aliis. Alias nunquam eum credimus ſcripſiſſe in praef. p. 9. *quae ſane* quemlibet *ſacris ſtudiis* deditum perſuadere *debent, ut id ſibi — familiare et intimum eſſe* velint. Neque enim tam iniqui ſumus, ut Pratonem talia conſilio poſuiſſe ullo modo vel ipſi credamus, vel aliis perſuadere cupiamus.

Sed illuc revertamur, unde digreſſi ſumus. Erat vero nobis propoſitum, ut de adnotationibus, Severi orationi ſubiectis, exponamus. Pertinent illae cum ad textus lectionem, tum ad difficiliorum locorum explicationem. Iam coniecturarum, quibus Editor Severo ſuccurrere voluit, maximus eſt numerus. Singulis prope in paginis aliquot occurrunt; totum vero per librum *ὡς μήγμακες.* Atque ex tanto numero vix viginti eſſe fatemur, quae ſe nobis probent. Aliae vel praeter omnem neceſſitatem, vel non ſatis feliciter ab Editore ſunt conflatae, atque adeo facile poſſent refutari, ſi hoc nobis iam eſſet propoſitum. Tranſcribamus huc aliquot: Lib. I. cap. 3. pro *diverſi generis beſtiarum,* coniic. *univerſi:* cap. 4. *mox a Domino cum filiis benedicitur, praeceptumque accepit,* coniic. *accipit;*

Digitized by Google

accipit; non opus; iam nuper monuimus, Pratonem non recte in uſu temporum definiendo verſatum eſſe. In hoc Tomo non ſemel in hunc lapidem impingit; ut cap. 46. extr. mutat *effecit* in *efficit:* cap. 54. *conſulit* in *conſuluit.* Lib. II. cap. 18. *occoeperat* in *occoepit:* cap. 24. *iuverat* et *occurrerat* in *iuvit* et *occurrit:* cap. 20. *interficit* in *interfecit.* Nunc eo redeamus. Cap. 4. pro *vacuo tum ſaeculo ex filiis Noe Sem fuit*, coniic. *Semen*, vel *ſeminatum fuit.* Cap. 5. *primaque eis — habitatio fuit*, coniic. *ei:* cap. 7. pro *iuvenilis aetatis* coniic. *iam virilis:* cap. 11. pro *poſtero die editus eſt*, coniic. *praepoſtero ordine:* cap. 12. pro *corpus ſepulchro ſuo redderet*, coniic. *ſuorum:* cap. 16. pro *aquae penuria tentaretur*, coniic. *teneretur aut ſimile quid.* Quare tandem? Nonne *tentari* ſaepe eſt idem, quod invadi, et opprimi? quo ſignificatu de calamitatibus et morbis uſurpatur; ut apud Horat. *renes morbo tentantur acuto;* et Virg. Georg. 3. *ſcabies tentat oves*, et ſic ſaepius apud alios. Cap 15. poſt verba — *ſexcenta pervenerat*, lacunam eſſe putat omiſſamque a librariis integram ſententiam, qua ſignificaretur tempus, quo Hebraei in Aegypto morati ſint; Severum vero forte ita ſcripſiſſe — *pervenerat. Id factum poſt annos CCV. ab eo tempore, quo Iacob in Aegyptum pervenerat, ab eo* etc. Cap. 18. pro *conſuluerit*, coniic. *non concluſerit:* cap. 20. totam hanc ῥῆσιν, *magnaque eo die — — periiſſe tradantur*, hinc penitus eliminandam iudicat, utpote aliunde huc translatam, et huic loco abſonam. Cap. 22. *Iordanis flumen validiſſimum tranſitum prohibebat, quia neque navium copia pro tempore erat, neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur*, coniic. *vadoſiſſimum: quis enim*, ait, *flumen validiſſimum unquam dixit?* At dixit et *fontem validum* Plinius in Ep. 161. et *flumen validum* Lucretius I. 292. Et ſi vel nemo unquam ita dixiſſet, ipſa tamen ſeries orationis docet, quam ideo totam adſcripſimus, ita legendum eſſe. Quin et aliquoties Editor coniecturas ſuas, quarum non decimam partem attulimus, in textu poſuit. Ut Lib. II. cap. 11. pro *adeo* ponit *a Deo ob peccatum*

catum—: cap. 13. pro *pergit ad reginam*, legit *ad regiam.* Lib. I. cap. 53. pro *vinctum captumque* ponit *victum captumque.* Poſt lectionis et verborum curam illud praeſertim Editor agit, ut frequentes graviſſimosque Severi in Chronologia et Hiſtoria lapſus indicet, atque etiam fontes, ex quibus quisque error derivatus ſit, oſtendat. Si quando minus recte et pie Severus de Chriſtiana religione et eccleſiaſtica diſciplina loqui Auctori videtur, vel defendit illum, vel mitius interpretatur. Prae aliis memoranda nobis videntur, quae pag. 5. de gigantibus; pag. 50. de nomine Abimelech; pag. 67. de numeris corruptis in ſacro codice, etiam Hebraico; pag. 182. de vaticinio Ionae, urbem Niniven triduo perituram; pag. 155. de die et conſulibus, quibus Chriſtus natus ſit; pag. 167. de Traiano perſecutore Chriſtianorum; pag. 187. de baſilicis, in loco paſſionis et reſurrectionis Chriſti erectis; pag. 195. de Nicaena ſynodo; pag. 200. de Marcello; pag. 213. de Liberio; pag. 229. de ſolitario Deo et unione trionyma; pag. 247. de die emortuali Hilarii, habentur. Potiſſimum, quae ad perſecutiones, ab Imperatoribus adverſus Chriſtianos ſuſceptas, pertinent, copioſe explicantur. Sed haec copia veremur ne compluribus lectoribus moleſta ſit; obruitur illa ingenium legentis, defatigatur attentio, et frequentibus Pratonis digreſſionibus, etſi doctis et bonis alias, longius a propoſita materia animus abſtrahitur, ut vix interdum rei meminiſſe poſſis, cuius gratia tam longa disputatio ſuſcepta fuerit. Utitur etiam Auctor hic frequenter aliorum adnotationibus, et vel integras eas apponit, vel argumentum certe excerpit. Etſi vero pag. 35. *ſe perpetuo ſua quaeque auctoribus aſſeruiſſe* profiteatur, *ne illi debita laude fraudarentur*, non ſemel tamen in hac parte illius candorem deſideramus. Iam in primo libro quot non adnotationes et coniecturae Druſii et Merceri afferuntur? neque tamen illorum nomen usquam apparet. Ne quis nos iniuriam Pratoni facere ſuſpicetur, notabimus loca aliquot, quae lectores evolvere, et cum aliis

con-

conferre poſſint, ut pag. 10. n. 1. et 5. p. 17. n. 6. et 10. p. 19. n. 7. p. 23. n. 23. p. 28. n. 13. et 17. p. 30. n. 1. p. 32. n. 16. p. 39. n. 12. p. 40. n. 2. p. 45. n. 6. p. 49. n. 7. p. 51. n. 19. p. 63. n. 14. p. 73. n. 1. p. 79. n. 13. et 18. p. 80. n. 14. p. 90. n. 4. p. 121. n. 2. Neque tamen haec durius accepturum Cel. Pratonem ſperamus, cum pag. 35. ipſe fateatur, *ſe ultro cenſoribus ſuis manus daturum, immo gratias habiturum, ſi quidem id non ex praeiudicata aliqua opinione, ſed ex rei veritate fiat.* Nos vero ex rei veritate iudicaſſe, is demum intelliget, qui, quae indicavimus, diligenter loca excutiat. Sed de his ſatis.

Tranſeamus ad diſſertationes tres, hiſce adnotationibus ſubiunctas. In Diſſertatione prima Chronologia Sacr. Hiſtor. Severi partim ex verbis ipſis, partim ex mente eiusdem, contexitur. Ad examen etiam vocatur temporum ratio a Giſelino inſtituta, quo ſe multo in ſubducendis numeris accuratiorem fuiſſe ipſe fatetur. Verum cum totam Pratonis tabulam huc tranſcribere non libeat; neque partes aliquae ex opere decerpi poſſint, quod continuatione quadam perpetua inter ſe coniunctum eſt: nihil, niſi ut lectores ad ipſam diſputationem legendam expendendamque invitemus, nobis relinquitur. Paullo fuſius agemus de altera Diſſertatione, in qua de Chronico Euſebio-Hieronymiano varia proponuntur. Notum eſt, quae fuerint Ioſephi Scaligeri et Dominici Vallarſii de illo ſententiae. Utrumque exiſtimat Auctor falſa veri ſpecie captum a vera via aberraſſe, atque media inter utrumque via incedendum eſſe arbitratur ita, ut Euſebium quidem duo libros ad Chronologiam ſpectantes edidiſſe contra Vallarſium cum Scaligero affirmemus, unum vero ex his, et ſecundum quidem ab Hieronymo in latinum ſermonem fuiſſe converſum, contra Scaligerum cum Vallarſio dicamus. et priorem, ut Vallarſius putavit, eius libri partem, quam Scaliger libri primi laciniam eſſe voluit, omnino reiiciamus, et cum Hieronymo tum Euſebio indignam iudicemus. Nititur potiſſimum Vallarſius loco quodam ex praefatione

Yyy ſeu

ſeu prologo in Chronicum, quem, ut Hieronymus interpretatus eſt, integrum latine, graece autem apud Syncellum ex priori parte habemus. Locus eſt hic: *Cum haec ita ſe habeant, neceſſarium duxi veritatem diligentius perſequi: et ob id in priori libro (ſ. libello) quaſi quamdam materiam futuro operi, omnium mihi regum tempora praenotavi, Chaldaeorum* etc: *in praeſenti autem, ſtilo eadem tempora contra ſe invicem ponens, et ſingularum gentium annos dinumerans, ut quid coaetaneum fuit, ita curioſo ordine cooptavi.* Unde Vallarſius colligit, unum quidem librum Euſebium de hoc argumento ſcripſiſſe, ſed illum in duas quaſi partes diviſiſſe, quarum prior contineatur illo, quod inſcribitur *Exordium libri*, quodque ab Adamo ad Abrahamum pertexitur, et *ſerie regum*, eidem *Exordio* ſubiuncta; alteram vero Chronicum ipſum abſolvat. Quoniam etiam illis Hieronymi *in priori libro* apud Syncellum ἐν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει reſpondet, Euſebium putat *praeviae* cuiusdam *diſſertationis*, ſeu praefationis loco, illa quae diximus praemiſiſſe, atque de his intelligendum eſſe locum illum, quo, Hieronymo interprete, prioris libri mentionem facit, ſeu, ut Vallarſius interpretatur, *praeviae operis ordinationis*. Quid ad haec Cel. Prato? Primum, ait, ſi etiam cum Vallarſio ἐν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει legamus, non tamen ſermo erit de iis, quae ſequi debeant prologum, ſed de anteriori aliqua praefatione. Eſt enim verborum ordo hic: ἐν τῇ προτάξει πρὸ ταύτης προτάξεως, *in ea, quae hanc praecedit, praeordinatione.* Deinde legendum illo loco omnino συντάξει, i. e. commentario, libro, ut Hieronymum legiſſe apparet, ut Scaliger legendum viderat, ut, quod caput eſt, in altero MS. regio habetur. Denique Vallarſii ſententiae maxime obſtant primum *futuro operi, priori libro* oppoſitum, et alterum, *in praeſenti autem,* iterum praeterito illi *praenotavi* oppoſitum. Nam, quoniam *in praeſenti autem* ad tempus refertur, quo haec Euſebius ſcribebat, et Chronicum edebat, *praenotavi* vero ad aliud tempus, quo *ſe priorem* illum *librum* iam

edidiſſe

Digitized by Google

edidiſſe indicat, non poſſunt *prior liber* et *futurum opus* de duabus unius libri partibus accipi, ſed de duobus libris diverſis, aliquo etiam temporis intervallo inter ſe diſtantibus, intelligi debent. Apparet etiam ex aliquot prologi locis, peculiarem eum eſſe prologum Chronici, i. e. libri illius ſingularis, a Nino et Abrahamo incipientis. Nam ex his: *Quamobrem praeſens opuſculum ab Abraam et Nino usque ad noſtram aetatem — perſequetur, et ſtatim in principio ſui Hebraeorum Abraam — proponet, et igitur conſequenter in libelli fronte ponimus uno eodemque tempore Abraam* etc. conſtat, praeter prologum nullam Chronico enarrationem Euſebium praefixiſſe. His expoſitis Auctor ad aliam huius rei partem pergit. Falſum eſſe docet, quod Scaliger, Vallarſius, omnesque reliqui adhuc crediderunt, Hieronymum utrumque Euſebii de temporibus librum, ſeu utramque libri partem, interpretatum fuiſſe. Ex Auctoris opinione nihil ille aliud in eo argumento, praeter prologum et Chronicum, latinum fecit. Primum enim ipſe Hieronymus, in epiſtola ad Vincentium et Gallienum, Chronicum tantum ſe in latinam linguam transtuliſſe hiſce verbis indicat: *Sciendum etenim eſt, me et interpretis et ſcriptoris ex parte officio uſum, quia et graeca fideliſſime expreſſi, et nonnulla, quae mihi intermiſſa videbantur, adieci, in Romana maxime hiſtoria, quam Euſebius conditor huius libri* etc. *Itaque a Nino et Abraam usque ad Troiae captivitatem pura graeca translatio eſt: a Troia usque* etc. Chronici Prologum, etſi nulla huius mentio fiat, Hieronymo tamen deberi, ob arctiſſimam cum Chronico affinitatem, Auctor exiſtimat. Porro Idatius in praefatione Chronici Hieronymum eius *ſcripturae* Euſebii interpretem dicit, quae *ab initio Nini regnantis Aſſyriis ad viceſimum Conſtantini annum* pertingebat. Poſt Victorius Aquitanus, in praefat. Paſchalis Canonis, Hieronymum tradit Euſebii Chronicum cum prologo in latinum transtuliſſe; haec eadem Chronica a Nino incipere; Euſebium ſuperiora tempora non attigiſſe, quoniam in ſacris libris tradantur: *aetates praece-*

 dentium

dentium generationum in Prologi textu ſummatim, tum in operis plenitudine ſub annorum recapitulatione comprehendi. Ipſum deinde ſcribendi genus incomtum, barbarum, obſcurum, Hieronymo indignum, teſtatur illud praecipue, quod dicitur *Exordium libri* Hieronymum interpretem non habuiſſe. Quare mirandum eſt, Viros, alias doctos, hunc ſordidum pannum Hieronymo tribuere potuiſſe. Videamus, quibus argumentis uſus Scaliger primum Euſebii librum de Temporibus ab Hieronymo translatum fuiſſe iudicaverit. Hic quidem ita argumentatur: In eo, quem habemus Euſebii libro, nihil legitur de conviciis et maledictis a Iudaeis in Chriſtum iactis; iam de illis expoſitum fuit in priori libro, qui periit; ergo Hieronymus utrumque librum interpretatus eſt. Verum et Vallarſius iam obſervavit, ea Iudaeorum convicia, tanquam ad temporum doctrinam minime pertinentia, neque in Euſebiano libro peculiarem locum habere debuiſſe, et Auctor longe aliam interpretationem huius loci proponit. Locus Hieronymi, ut a Pratone interpungitur, hic eſt: *Quodque infert:* Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia et ſacrificium, *ſic interpretatur* (Euſebius): *quod Herode regnante apud Iudaeam, et Auguſto apud Romanos, Chriſtus natus ſit, qui tribus annis et ſex menſibus iuxta Evangeliſtam Ioannem Evangelium praedicavit, et* confirmavit *veri Dei cultum,* multis, *haud dubium quin Apoſtolis et credentibus*: *quando poſt paſſionem Domini* in dimidia *rurſum* hebdomada defecit hoſtia et ſacrificium: *(quidquid enim in templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus diaboli, cunctis in commune clamantibus*: Sanguis eius ſuper nos et ſuper filios noſtros: *et* Non habemus regem niſi Caeſarem:) *quem locum in Chronico eiusdem Euſebii, quem ante annos plurimos in latinam linguam vertimus, diligens lector plenius ediſſertum poterit invenire.* Quo cum loco ſi quis ea confert, quae ad annum Tiberii XVIII. in Chronico leguntur: *Ieſus Chriſtus, filius Dei, ſecundum prophetias* etc. intelliget, Hieronymum,

in

in Commentario Danielis lectores ad Euſebii Chronicum ablegantem, nullum alium, quam hunc locum indicare voluiſſe. Alterum argumentum repetit Scaliger a Marcellino Comite, in praefatione Chronici ſui ſcribente: *Poſt mirandum opus, quod a mundi fabrica usque in Conſtantinum principem Euſebius Caeſarienſis huius ſaeculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium et variarum artium repertores, omniumque paene provinciarum monumenta commemorans, graeco edidit ſtilo, noſterque Hieronymus cuncta transtulit in latinum, et usque in Valentem Caeſarem Romano adiecit eloquio:* etc. Verum Auctor Marcellinum propterea ſic ſcripſiſſe dicit, quod tum in prologo tum in Chronico legerit expreſſum numerum annorum ab orbe condito, praecipue in extremo opere, ubi legitur: *Fiunt ab Adam usque ad XIV. Valentis annum — — omnes anni MMMMMDLXXIX;* quae licet in quibusdam MSS. deſiderata, Marcellinum tamen legiſſe et exſcripſiſſe apparet, quoniam haec deinde ſcribit: *Igitur uterque huius operis auctor VM. et DLXXIX. ann. hunc mundum tunc fore miro computavit ingenio.* Declarat porro falſitatem et ſuppoſitionem horum additamentorum Chronici Hieronymi, perpetuum ſilentium antiquorum ſcriptorum. Etſi enim plurimi Hieronymi veſtigiis inſtiterunt, nonnulli integrum fere librum transſcripſerunt, nemo tamen eſt, qui ex illa priori Chronico affixa parte, aliquid ſumſerit; omnes ab Abrahami et Nini temporibus Hieronymum ſeu Euſebium ſequuntur, de ſuperioribus autem aetatibus quae ſcribunt, vel ex ſacris ſcriptoribus, vel ex aliis mutuantur. Sulpicius Severus, Auguſtinus, Oroſius, Proſper, Caſſiodorus, et Gregorius Turonenſis, omnes Euſebium laudant et ſequuntur, ab initio usque Abrahami Chronicon illius compilantes, enumerationes autem annorum ab Adamo ab Abrahamum, vel ex eiusdem Chronici Prologo excerpſerunt, vel, qui alias rationes iniverint, ſe eas ex vulgata eo tempore Scripturae editione collegiſſe monent; nullus ſe vel *Exordium* illud vidiſſe, vel ex eo aliquid ſumſiſſe indicat.

cat. Idem dici poteſt de auctoribus poſterioris antiquitatis, ut Adone Vienneníi, Freculpho Lexovienſi epiſcopo, Mariano Scoto, et Riccobaldo Ferrarienſi. Praeterea neque antiqui Codices haec additamenta agnoſcunt. Arnaldus Pontacus MSS. viginti et octo evolvit, ſed in quatuor tantum illa invenit, Scaliger vero in uno tantummodo. Ut vero eo magis appareat, quid de additamentis his ſtatuendum ſit, oſtendit Auctor ea, ut ieiuna, inepta, frigida, minime Euſebii ingenium et indolem referre; quae in Exordio illo libri tradantur, repugnare iis, quae in Chronico ſcripta ſint; illa denique additamenta minime ſcopo et inſtituto Euſebii convenire. Hic exponit etiam Auctor de illa parte, quae *Series Regum* appellatur, eamque nihil aliud eſſe putat, quam indicem quendam ipſius Chronici, eumque non ab Hieronymo, ſed multis poſt Seculis compactum. Tota igitur Pratonis diſputationis ſumma huc redit: in illo textu prologi indicari quemdam priorem librum de Temporibus ab Euſebio ſcriptum, eumque tum omnino a Chronico diverſum, tum ab iis longe diſſitum, quae in quibusdam libris, et manu exaratis, et formulis deſcriptis, Chronico addita habentur: haec autem additamenta primum alieno omnino loco collocari, dum inter prologum et ipſum Chronicum inſeruntur; neque ea Euſebium auctorem et Hieronymum interpretem habere. Etſi vero haec diſſertatio, non minus quam tertia, a Severo aliena eſſe videatur, non inutilis tamen eſt cognitu, quoniam Severus Euſebium in diſtinctione temporum fere ſequitur.

Tertia diſſertatio affinitate quadam cum prioribus coniuncta eſt. Argumentum eſt hoc: In omnibus libris, cum editis, tum ſcriptis, Chronici Euſebio-Hieronymiani, ab antiquiſſimis usque temporibus, Chriſti mors refertur ad annum Tiberii Imp. et Herodis Tetrarchae, XVIII, (qui reſpondet anno ab Abraham nato IIMXLVII, et Olympiadis CCII. anno III.) atque ibi legitur: *Ieſus Chriſtus, filius Dei, ſecundum prophetias, quae de ipſo fuerant praelocutae, ad paſſionem venit anno Tiberii* XVIII. Auctor vero Chriſti

mortem

mortem ad annum ſequentem referendam, atque adeo *anno Tiberii* XIX. legendum eſſe, arbitratur. Videamus rationes, quibus adductus ita ſentiat. Primum ex graeco Euſebii textu, quem nobis Syncellus ſervavit, legitur *ἔτους ιθ′ τῆς Τιβερίου βασιλείας.* Quae lectio cum confirmatur Anaſtaſii Bibliothecarii interpretatione: *Ieſus Chriſtus — ad paſſionem properat anno nonodecimo imperii Tiberii;* tum, quoniam Landulphus ſagax, ſeu quisquis Hiſtoriam *Miſcellam* continuavit poſt Paullum Diaconum, eodem pacto in Anaſtaſio legit: *quamquam nonodecimo anno Tiberii haec* (loquitur de eclipſi ſolis, moriente Chriſto viſa,) *facta referuntur.* Cui lectioni confirmandae accedunt Auctoris Chronici Paſchalis et Syncelli ipſius ſuffragia. Ille ſcribit: Ιησοῦς Χριστὸς — *ἐπὶ τὸ πάθος παρίει τῷ ιθ′ ἔτει τῆς Τιβερίου μοναρχίας*; hic: *κατὰ τὸ ιθ′ ἔτος Τιβερίου Καίσαρος.* Quid? quod idem Syncellus Euſebium obſervat ab Adam condito, ad ortum Abrahae, collegiſſe *ἔτη γρπδ′*, ſeu IIIMCLXXXIV, rurſusque ab Abrahae nativitate *ad Crucem ſalutarem et vivificantem reſurrectionem, ἔτη βμή*, ſeu IIMXLVIII, poſtremo ab Adam ad Chriſti paſſionem *ἔτη εσλβ′*, ſeu VMCCXXXII. Iam vero ille annus ab orbe condito et Abrahamo nato, concurrit cum anno XIX. Tiberii et Herodis: quare non eſt dubitandum, quin idem Euſebius Chriſti mortem huic anno in Chronico affixerit. Deinde dum Euſebius in Chronico ſcribit: *Argumentum autem huius rei, quod Salvator iſto anno* (nimirum XIX. Tiberii) *paſſus ſit, Evangelium praebet Iohannis, in quo ſcribitur, poſt decimum quintum annum Tiberii Caeſaris tribus annis Dominum praedicaſſe,* aperte indicat, ſe non Tiberii anno XVIII. paſſionem Chriſti affigere. Sic enim non anni tres, ſed biennium tantum, aut aliquanto longius ſpatium, interceſſiſſet. Denique, quod praecipue exemplaria Chronici latina, in quibus Chriſti paſſio reſpondet anno Tiberii XVIII. vitioſa eſſe demonſtrat, eſt teſtimonium Phlegontis, ab Euſebio in ſuae ſententiae confirmationem productum. Nam cum Phlegon eclipſin quandam portentoſam

ſam accidiſſe ſcribat anno IV. Olymp. CCII, qui ex Euſebii ſententia reſpondet anno Tiberii XIX, hic autem minime dubitet, quin ea eclipſis in ipſa Chriſti morte facta fuerit: omnino ſequitur, ut eidem anno IV. eius Olymp. et Tiberii XXI. aſſignaverit mortem Chriſti. Hic igitur producit Auctor Euſebii graecum textum, ubi de his diſputat, et Phlegontem laudat, cum Hieronymi verſione, et latina verſione textus Phlegontis ab Anaſtaſio curata, et ex eo a Landulpho ſagaci Hiſtoriae Miſcellae inſerta. Illuſtrat vero non ſolum Auctor notulis hanc ῥῆσιν, ſed multis id agit, ut demonſtret, in Chriſti morte conſignanda Euſebium nulla ratione cum Phlegontis a ſe producti teſtimonio componi et conciliari poſſe, niſi illa anno Tiberii XIX, et CCII. Olympiad. IV. tribuatur, ſed etiam ea, quae a Petavio et Pagio ad eluendum, ex Phlegontis eclipſi ductum, argumentum excogitata ſunt, proponit et excutit. Hac occaſione varia diſputantur de Phlegonte, et Euſebii in recenſendis annis Olymp. et Imperatorum methodus illuſtratur. Quibus dictis quaerit Auctor, an Hieronymo adſcribenda ſit, quae in Euſebii Chronico occurrit, interpolatio? Auctori quidem admodum probabile, et prope certum videtur, Hieronymum in interpretando et ordinando illo Chronici loco, nihil omnino diſceſſiſſe ab Euſebii rationibus, ſed interpolationem illam poſtea irrepſiſſe, neque tamen eſſe certum, utrum ſcribarum oſcitantia, an deliberato conſilio. Exponit porro Auctor, quid in Euſebio-Hieronymiano Chronico legerint, aut legiſſe videantur ſcriptores latini, qui proxime poſt Hieronymi interpretationem, et deinceps vixerunt. Denique poſt longam diſputationem de Proſperi ſententia et Chronico, disquiritur, quid de anno Chriſti natali, et de totius eius in terra peregrinationis ſpatio Euſebius ſtatuerit, et quid ex illis verbis latini Chronicorum conſarcinatores exſculpſerint, (ubi et recentiorum chronologorum errores, in interpretatione Euſebii commiſſi, notantur,) et Appendicis loco ex Ioannis Philoponi de mundi creatione Lib. II.

cap.

Digitized by Google

cap. 21. cum Corderiana Verſione brevibusque Pratonis notis, tota illa ῥῆσις additur, ubi teſtimonium de eclipſi a Phlegonte commemorata exhibetur.

Hiſce diſſertationibus adnexae ſunt Obſervationes uberiores in Severum, quas nemini iniucundas fore ſperamus. Nos potiora inde delibabimus. Pag. 412. diſputát Auctor de opinione quorundam Patrum, Angelos turpiter cum mulieribus congreſſos eſſe, et huius erroris quatuor fontes oſtendit: primum, verſionem τῶν LXX. qua tum Chriſtiani utebantur, in aliquibus MSS. Geneſ. VI, 2. pro *filii Dei* habentem *Angeli Dei: οἱ ἄγγελοι τȣ Θεȣ̃,* ut etiam adhuc in MS. Alexandrino legitur: deinde opinionem multorum ex antiquis Patribus, angelos corporeos fuiſſe: tum auctoritatem libri Enoch, quem pro canonico nonnulli habuerunt, fuſe et primo fortaſſe hanc fabulam tradentis: poſtremo Philonis et Ioſephi auctoritatem, eundem errorem committentium. Pag. 414. de magnitudine arcae Noae, et de quaeſtione, an animalia carnivora, quo tempore in arca fuerint, foeno aliisque frugibus, non carne, veſci potuerint? agitur. Pag. 418. de numero cuiusque ſpeciei animalium, quem Noe in arca ſervavit, quaerit. Auctor ex immundis bina, ex mundis ſeptena paria fuiſſe, cum Origene et aliis credit. Pag. 420. refutatur Clericus, qui in loco illo, apud Hieronymum in Quaeſt. Hebr. in Geneſ. *corvo non revertente,* codices graecos, tempore Ioſephi, negatione ea caruiſſe pronuntiat. Pag. 421. explicatur graviſſima quaeſtio, utrum Aſſur, Semi filius, ut antiqui prope omnes, an, ut plerique recentiores putant, Nembrod Niniven condiderit, aliasque vicinas civitates? Sequitur Auctor Perizonium, illiusque ſententiam, ex Orig. Babyl. cap. 4. excerptam, proponit. Pag. 425. expenduntur virorum doctorum ſententiae de conſilio hominum, turrim Babylonicam aedificantium. Nam Severus, cum τοῖς LXX. et Vulgata tradit, ea mente illam conſtructam eſſe, *ut inſigni aliquo opere famam quaererent, priusquam a ſe invicem diducerentur:* ſed Hebraeus textus ideo illud homi-

nes feciſſe indicat, *ne a ſe invicem diducerentur.* Videtur Auctori aliquantulum elevari et minui poſſe difficultas, ſi verba, *ne diſpergamur,* non referantur ad proxime praecedentia, *et faciamus nobis nomen,* ſed ad ſuperiora, *faciamus nobis civitatem et turrim,* ut ſententia Scripturae ita commode reddi poſſit: *Aedificemus nobis urbem et turrim, cuius faſtigium ad coelum usque pertingat, ut faciamus nobis nomen, et ne diſpergamur per univerſam terram.* Pag. 451. de nova etymologia verbi Beerſeba, ab Hieronymo ex Geneſ. XXVI, 33. eruta, et in Vulgata exhibita, nempe, ut dicatur *puteus abundantiae,* ſive *ſecuritatis,* agitur. Pag. 454. refutatur Clerici opinio, Dinam quadriennio Ioſepho iuniorem fuiſſe, atque adeo biennio poſt huius venditionem decimum quintum aetatis annum attigiſſe, quo tempore, aut etiam aliquanto poſt, eam Sichemus rapere potuerit. Pag. 478. fuſe diſputat Auctor de Decalogo, ſeu decem praeceptorum diſtinctione. Praeferendam omnino cenſet, et in uſu populari retinendam eam Decalogi diviſionem, quam Auguſtinus multis locis tradit, ita ut in prima tabula inſcripta fuerint tria praecepta ad Deum pertinentia, in altera ſeptem ad proximum, neque tamen ſpernendam aut damnandam alteram antiquiorem illam, et tot Scriptorum et Patrum calculis approbatam. Pag. 485. eſt diſſertatiuncula de capite vituli, ab Aarone in eremo effícto. Arbitratur Auctor, ſi quis Patrum loca diligenter conſideret, neque illam ſententiam cum iis conciliari poſſe, quae bubulo capiti iungat corpus hominis, quoniam patres, qui caput ſemper nominant, nihil prorſus de corpore dicant; neque eam, quae ſub capitis vitulini aut bubuli appellatione integrum bovem aut vitulum intelligant. Aliqui Patres eodem loco, quo caput vituli, ab Aarone conflatum, commemorant, duo quoque vitulos a Ieroboamo factos appellant, neque illos tamen *bina capita aurea,* ſed *vitulos aureos* dicunt. Probabile quoque videtur Auctori, ideo de vitulo illo aureo ita eos locutos eſſe, quoniam forte in antiquos latinae Scripturae codices,

quos

Digitized by Google

quos prae oculis habuerint, gloſſema aliquod irrepſerit, ex quo ſibi perſuaſerint, Aaronem non integrum bovem ſ. vitulum, ſed caput tantum effinxiſſe. Qua in ſententia confirmatur Auctor potiſſimum eo, quod omnes prope Patres, qui tanta conſenſione caput vituli nominaverunt, Latini fuerint, plerique vel ante Hieronymum floruerint, vel illi fuerint aequales, atque ita antiquiori latina editione ex graeco expreſſa uſi ſint. Coniicit praeterea, hanc de capite bubulo ab Iſraelitis pro deo habito perſuaſionem profluxiſſe ex notiſſima illa fabula, Iudaeos in templo aſinini capitis auream effigiem ſervaſſe et adoraſſe. Pag. 495. refellitur opinio ſcriptoris anonymi, cornua Moſis nihil aliud fuiſſe, quam capillos in ſumma fronte, quaſi duo cornua, criſpatos, erectos, et auri ramentis conſperſos.

Inſertae ſunt denique his obſervationibus tres diſſertationes. Prima quidem pag. 430. de uxoris Lot culpa et poena. Auctori ſententia haec eſt: Verba Geneſ. XIX, 6. *Reſpiciensque uxor eius poſt ſe, verſa eſt in ſtatuam ſalis, μεταφορικῶς*, ſeu tropice eſſe accipienda, ita ut *reſpicere poſt ſe*, idem valeat ac *retrorſum ſe convertere et redire eo unde venias*, atque adeo vera cauſa, cur mulier perierit, ea ſit, quod illa Sodomam ſit regreſſa. Primum quidem notandum eſt, *τὸ reſpicere poſt ſe*, et de illo dici poſſe, qui, ut videat, quae ſibi a tergo ſint, in eam partem toto ſe corpore convertit. Sic, ubi in 1 Reg. XXIV, 9. legitur: *et reſpexit Saul poſt ſe*, et in 2 Reg. II, 20: *reſpexit itaque Abner poſt tergum ſuum*, utrumque intelligendum eſt ſe toto corpore convertiſſe. Quare cum uxor Loti dicitur *reſpexiſſe poſt ſe*, non de ſolo reſpectu, ſed totius corporis converſione illud dicitur. Ita etiam interpretatus eſt interpres Syrus, uſus verbo אתפנית, converſa eſt. Deinde in Hebraeo textu non dicitur, *reſpexit poſt ſe*, neque *poſt eum*, ſed מאחריו, *de poſt eum*, ſcilicet Lotum. Concordat etiam Syriacus interpres: *et converſa eſt uxor eius a tergo ipſius*, i. e. maritum deſiit ſequi, ac Sodomam rediit. Hanc interpretationem confirmant ſequentia:

Si legas *poſt eum*, et intelligas mulierem poſt maritum praeeuntem reſpexiſſe, nunquam illa oculos flexiſſet ad urbem, neque dicendum fuiſſet eam reſpexiſſe poſt maritum, ſed ad maritum, אליו non אחריו: ſi Scriptura Sacra indicare voluiſſet, uxorem ad urbem reſpexiſſe, non dixiſſet, *de poſt maritum*, ſed apertius *poſt ſe*, ſicut paullo ante Angelus Loto dixit, *ne reſpicias poſt te:* affixum מ praepoſitioni אחריו diſceſſum mulieris a marito declarat, ut in Ruth I, 16. et 1 Reg. XXII, 20. Porro etſi re vera aliud eſt *poſt ſe reſpicere*, aliud *convertere ſe retrorſum*, aliud denique *redire eo, unde veneras:* eſt tamen ita a natura comparatum, ut qui ſe convertit, reſpiciat, et qui aliquo rediturus eſt, eo ſe convertat, atque adeo haec metaphora non dura, abſona, et longius petita videri debet, ſi per τὸ *reſpicere in itinere*, indices *redire unde veneras.* Conferantur inprimis in Geneſ. XVIII, 16. et 22. et notetur, verbum ἐπιστρέφω, quod proprie converſionem corporis deſignat, apud τοὺς LXX. et in Nov. Teſt. in ſignificatione revertendi occurrere. Eandem interpretationem admittere Auctori videtur locus Lucae IX, 62: *Nemo mittens manum ad aratrum, et reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei:* i. e. qui pertaeſus laboris inceptum opus deſerat, et domum revertatur. Tum, ſi credamus uxorem tantummodo reſpexiſſe, vix, quodnam peccatum illud fuerit, tanta ſeveritate puniendum, intelligitur. Nam ſive nimia curioſitas excidium urbis videndi, ſive nimius patriae amor cauſa fuit reſpiciendi, utrumque tamen erat venia dignum. Poſt in ipſis Angeli verbis nullum eſt praeceptum, ne reſpicerent poſt ſe, nullum Dei interdictum, nulla comminatio. Neque intelligitur, quomodo Sodomitico excidio obrui potuerit aut Lotus, aut uxor illius, ſi, in ea adhuc via, quae Segor ducebat, conſtituti, reſpexiſſent. Illud excidium ex Angeli promiſſione, nonniſi poſtquam Segor ſe recepiſſet Lotus, initium habuit. Iam cum mulier *poſt ſe* eo tempore *reſpexiſſe* dicitur, quo iam Sodoma ignibus ardebat, ſequitur primum, ut id in itinere, quo Lotus pergebat Segor,

Digitized by Google

gor, minime acciderit, ſed poſtquam ille oppidum fuerit ingreſſus, et deinde, ut, cum Lotus ingreſſus ſit Segor, uxor iam redierit verſus Sodomam, eoque in reditu perierit. Poſtremo nulla idonea et probabilis cauſa produci poteſt, cuius gratia Deus Loto interdixerit, ne in fuga oculos ad Sodomam reflecteret. Accerſit Auctor etiam huius ſententiae firmamentum ex Luc. XVII. Ibi enim Chriſtus, exitialem Iudaeorum calamitatem praedicens, cum tempore diluvii et Sodomitici excidii comparationem inſtituit, nec ſecus ac Angelus Lotum, praemonet, ut, qui in agro ſit, (μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω) *ne retro redeat*, atque demum ſententiam hiſce verbis concludit: *Memores eſtote uxoris Lot:* i. e. qui imminente obſidione Hieroſolymitana retrorſum ſe converterit, et in urbem redierit, eandem, quam uxor Loti, culpam admittet, eademque poena afficietur. Haec de prima huius diſſertationis parte. In altera multis refutatur diſſertatio Clerici de ſtatua ſalis, in qua ille transformationem corporis huius mulieris e medio tollere, atque, ut στήλη ἁλὸς ſit ὡς στήλη ἁλὸς, quo nihil aliud, quam diriguiſſe illam, indicetur, probare nititur. Altera diſſertatio pag. 458. ſeq. de traiectione maris rubri, eſt adverſus eundem Clericum ſcripta. Refellitur enim opinio illius, tunc temporis aeſtum ſive refluxum maris Erythraei vehementi vento, eoque boreali, ultra conſuetum morem auctum fuiſſe: inde repente ampliſſimum vadum emerſiſſe, per quod tranſierint Iſraelitae, Aegyptios vero ab aeſtu redeunte fuiſſe deprehenſos: illud unum eſſe miraculum, quod aeſtus ille omnium longe maximus fuerit, et a Deo ſine dubio Moſi revelatus. Diſſertatio III. pag. 505. ad Severi locum: *Non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt,* exponit de verſ. 13. Cap. I. Evangelii Iohannis. Nimirum in codice antiquiſſimo Veronenſi Evangeliorum invenit Auctor pro *ſed ex Deo nati ſunt*, ut omnes Verſiones et codices cum Vulgata praeferunt, *ſed ex Deo natus eſt*, ut Sulpicius Severus etiam legit. Quare Auctor primum Graecos Patres, tum Latinos

Digitized by Google

recenſet, quae ſit inter utroſque in uſurpando illo Iohannis verſu differentia oſtendit, et demonſtrat, Graecos omnes, licet Iohannis verbis, ſive aeternam ex Deo Patre, ſive corporalem ex Maria virgine Chriſti generationem exprimentes, ita tamen illis uti, ut nunquam eis quaſi certo et ineluctabili teſtimonio ſuam ſententiam ſtabiliant, ſed impropria ſignificatione, et per accommodationem tantum, quod et a plerisque Latinis factum ſit. Quare ex eiusmodi teſtimoniis non poſſe iudicat recte colligi, in Graecis Nov. Teſt. codicibus ab iis lectum, ὃς — ἐγεννήθη, ſed potius inde, quoniam aliud quaſi agentes Iohannis verba aliquot ex verſu illo excerpant tantum, et propoſito ſibi argumento accommodent, apparere, eos non ita legiſſe. Addit praeterea, referendam eſſe hanc lectionem in eorum locorum claſſem, quae magno numero, ut Hieronymus ait, *a praeſumtoribus imperitis emendata perverſius fuerunt.* Tertullianum fortaſſe primum huius lectionis auctorem et fabricatorem fuiſſe, ex ejusque ſcriptis invectam poſtea illam eſſe in Veronenſem codicem; certe neminem ante Tertullianum, aut poſtea, vel ex Graecis, vel ex Latinis Patribus, nec eos quidem, qui ad eam alluſiſſe videntur, auctoritatem et pondus huic lectioni conciliare. Hactenus de altero Tomo editionis Veronenſis Sulpicii Severi.

Caeterum promittit Cel. Auctor tertium adhuc Tomum huius editionis, cui et indicem in univerſum opus, et epiſtolas Severi addet, atque etiam obſervationibus, in hoc Tomo usque ad Libr. II. cap. XXVIII. perductis, finem imponet. Nos quidem ſperamus fore, ut, ſi ea, qua par eſt, et quam in hoc Tomo oſtendit, diligentia, aequitate, modeſtia, et humanitate, in negotio hoc verſari pergat Cl. Prato, non invita munus hoc accipiat erudita reſpublica, magnasque illi habeat gratias. Optamus autem ut aliquanto celerius prodeat Tomus Tertius quam hic Secundus, quem tria propemodum luſtra a Primo ſeiunxerunt.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIONES DE HARMONIA MENTIS humanae cum corpore ſibi iuncto, cuius cauſae exquiruntur.

Auctore IOH. IACOBO HENTSCHIO.

I.

Mentem humanam cum corporis machina tam arcte eſſe copulatam, ut ſtantibus motibus vitalibus, ſeſe huic, ſi vel maxime voluerit, ſubducere non poſſit, nemo non novit. Sanguinis enim motus, in quo corporis vita conſiſtit, niſi deſinat, machinae huic vi illata; ab his vinculis, quibus detinetur, non poteſt liberari. Praeter hanc intimam *unionem* ineſt dictis ſubſtantiis perpetuus actionum quarundam conſenſus, *commercii* ſeu *communionis* nomine vulgo notus, qui ſtatum animae et corporis mire conſpirantem attingit.

II. Hoc notatu digniſſimum commercium ad duo ſumma capita, quae rem totam conficere videntur, poteſt revocari. Primum enim mens humana ſequitur corporis ſtatum, nempe in ſenſationibus, imaginationibus, ſomniis, recordationibus, paſſionibus; nec non in ſtatibus variis, quibus corpus cibo et potu obrutum, vel variis morborum generibus correptum eſt. Deinceps corpus ſequitur mentis humanae ſtatum. Decreta enim animae, quae motus voluntarios ſeu ſpontaneos concernunt, exſequitur corpus. Mentem paſſionibus vehementioribus motam, extraordinariae ſanguinis aliarumque partium fluidarum conſequuntur agitationes; nec non obverſantibus menti triſtioribus, iisque diu durantibus imaginibus, omnis corporis vis infirmatur.

III. Huius generis obſervationes ſenſibus comprobatae, declarant evidentiſſime mutuum mentis corporisque in actionibus dictis conſenſum; ſed primo intuitu non apparet, quibus modis memoratae ſubſtantiae, a ſe invicem diverſiſſimae, tam arcte inter ſe conſpirent. Genuinam igitur commercii huius rationem ut aſſequamur, caſus omnes poſſi-

poſſibiles, qui circa rem praeſentem poſſint fingi, licet ſupponere. Evidens autem eſt, tres in univerſum dari poſſe caſus. Vel enim corpus in mentem, mensque in corpus operatur; vel cauſa externa unius actiones producit occaſione alterius, ita, ut cum ſtatu corporis variante, mentis operationes ſemper conſentiant, et vice verſa; vel denique utraque ſubſtantia a cauſa externa ita eſt conſtructa, ut mens vi ſua propria actiones cum corporis ſtatu conſpirantes edat, corpusque variabilem mentis ſtatum ita ſequatur, ut motus, ſine omni animae vel cauſae externae immediatae concurſu, vi ſua propria producat.

IV. Primum horum ſyſtematum, quibus Philoſophi dictum commercium explicare conantur, dicitur vulgo *Influxus phyſicus.* Secundum eſt *ſyſtema cauſarum occaſionalium,* ideo ſic dictum, quod mens humana corpusque in actionum Art. II. memoratarum commercio, tanquam cauſae occaſionales conſiderentur. Deus enim, tanquam cauſa externa, occaſione cogitationum et decretorum animae, motus in corpore, et occaſione ſtatus motuumque corporis cogitationes in anima, producit. Tertium vocatur *Harmoniae praeſtabilitae* ſyſtema, quo Deus in prima creatione duas has ſubſtantias ita combinavit, ut ſine omni influxu unius in alteram, vel concurſu ſuo immediato, quaelibet vi ſua propria agat, manente ſemper mutuo utriusque conſenſu.

V. Haec tria, quae mentis humanae corporisque commercium explicant, ſyſtemata, cum tribus notiſſimis Aſtronomiae hypotheſibus, ex quibus mundi corporei phaenomena inde pendentia deduci ſolent, habent analogiam. Utriusque enim generis ſyſtemata, licet variis premuntur difficultatibus, nec demonſtrationis robore poſſint firmari: ſufficiunt rationes praeponderantes, eaeque veriſimillimae, quibus inventis, quodnam ſyſtema ſit genuinum, reliquisque praeferendum, videre licet. Luce enim clarius eſt, ſyſtema, ex quo phaenomena, naturali nexu obſervato, optime poſſunt derivari, prae reliquis habere

prae-

Digitized by Google

praerogativam. Operae igitur pretium eſt, ut primum cuiuslibet ſyſtematis rationes, quibus innititur, variasque circa unumquodque obvias difficultates diſcutiamus, ut, comparatis inter ſe argumentis genuinis et ficulneis, de vero ſyſtemate, quo mentis corporisque commercium fundatur, rite iudicare posſimus.

VI. Exordior a cauſarum occaſionalium ſyſtemate, a plurimis hanc potisſimum ob cauſam reiecto, quod ſecundum hoc ſyſtema Deus peccati auctor, vel minimum eiusdem ſit executor. Si enim primum res externae corpus noſtrum afficiunt, Deus vi huius ſyſtematis tanquam cauſa producit ſenſationes, mutationibus in organis ſenſoriis factis, reſpondentes: unde Deum ſenſationum malarum eſſe cauſam, concludunt. Deinceps, ſi corpus ſequitur mentis decreta, Deum quidem vitioſa efficere deſideria, dici non poteſt; nihilominus, quoniam motus in corpore iis conſentanei ab ipſo producuntur: Deum actionum malarum, ſi non cauſam, executorem tamen eſſe affirmant. Has obiectiones, quibus Philoſophi nonnulli hoc cauſarum occaſionalium ſyſtema conantur infirmare, non adeo arduum videtur eſſe, tollere. Si enim primum Deus pro cauſa ſenſationum malarum habetur; prouti; rebus externis organa ſenſoria afficientibus, producit in anima ſenſationes: illationem hanc omni fundamento deſtitui, inde patet, quod nos ſenſationes, imaginationes, recordationes et paſſiones habemus in poteſtate, ita, ut eas per reflexionem mutare, impedire et deprimere valeamus; id quod luculenter in Tractatu meo idiomate germanico conſcripto ſub indice: **Verſuch über die Folge der Veränderungen in der menſchlichen Seele,** Part. II. cap. IV. art. 166. ſeq. oſtendi.

Deinceps, ſi Deus tanquam cauſa actionum malarum ſpectatur, prouti motus in corpore vitioſis animae deſideriis reſpondentes elicit; penes aequos iudices eſſe velim: annon circa duo reliqua ſyſtemata eaedem occurrant difficultates? Sive enim Deus *immediate* ſecundum hoc cauſa-

Digitized by Google

rum occaſionalium ſyſtema, ſive *mediate* ſecundum duo reliqua, poſita nempe in prima creatione utriusque ſubſtantiae harmonia, operetur; res eodem recidit, nec Deus a peccati labe in tribus memoratis ſyſtematibus mentis corporisque commercium explicantibus, liberari poterit, niſi aliae praeponderantes praeſto ſint rationes.

VII. Sed intereſt maxime, ut Deum potentiſſimum et ſapientiſſimum Univerſi conditorem a talibus vitiis, quae ipſi tribuere impium eſt, liberemus, eiusque perfectiones infinitas ex coeli terraeque productione conſpicuas, ſumma adhibita cura, vindicemus. Hanc Dei circa mentis corporisque commercium iuſtitiam, rationibus inconcuſſis firmare, ſupra vires humanas eſſe poſitum, non credo; ſi modo potentiam eius infinitam cum ſapientia ſumma, rerumque conditarum conſtitutione comparaverimus. Ex principio potentiae infinitae, ſi de hac animae corporisque communione velimus iudicare: poterat quidem vi ſua omnes modos excedente actiones impedire malas; ſed cum non ſolum ſit potentiſſimus, ſed etiam ſapientiſſimus, potentiam ipſius infinitam cum ſapientia ſumma conferendam eſſe, nemo non videt. Hoc igitur mentis corporisque commercium cum admiſerit, creatis ſubſtantiis libertate rationeque, praeditis ſimulque limitibus circumſcriptis; ex effectu certo concludere licet: decreta eius ſapientiſſima cum Univerſi totius conditione collata, poſuiſſe Omnipotentiae quaſi terminos, ita, ut ſub hiſce perfectionum divinarum rerumque creatarum circumſtantiis, nulla iniuſtitiae ſpecies in ipſum cadere poſſit.

VIII. Sed alia eaque praegnantior cauſa me impedit, quominus cauſarum occaſionalium ſyſtemati poſſim adiicere calculum. Cum enim ſecundum hanc hypotheſin Deus immediate partim in motibus corporis excitandis, partim in ſenſationibus producendis, operetur; immediatam hanc operationem, ipſius imperfectionem arguere, liquidiſſimum eſſe puto. Si enim, Deum tanquam ſummum artificem, machinam conſtructam, uti corpus noſtrum, continuo

Digitized by Google

nuo dirigere, mentisque humanae cum corpore unitae vires definire, ſumitur: de Omnipotentia ipſius videtur eſſe actum. Summus enim is dicitur artifex, cuius ope machina ab initio ita eſt conſtructa, ut vi propria, id quod ſuum eſt, peragat, nec ad motus producendos artificis auxilio amplius habeat opus.

Sufficit ſane prima inſtitutio, qualem in corporibus mundanis reperimus. Vi enim a Deo ipſis in prima creatione ſemel impreſſa, revolvuntur continuo, nec indigent amplius immediato eius concurſu. Nec dubito, quin animae cum corpore ſibi iuncto ſimilis ſit ratio. Facta enim in prima creatione ſemel utriusque analogia, ſine omni Dei immediata actione, in operationibus ſuis conſentire poſſe, contradictorium non eſt.

IX. Diſcuſſo cauſarum occaſionalium ſyſtemate, ad ſic dictam *Harmoniam praeſtabilitam* accedo, qua tolli libertatem humanam, omnemque actionum moralitatem, nonnulli exiſtimant. Si enim mens humana, ſecundum hoc ſyſtema, ex ſua eſſentia invariabili manente, ideas vi propria elicit; omnia, quaecunque in mente humana contingunt, pro ipſorum ſententia, neceſſitatem quandam abſolutam ſecum trahent, nec libertati ullus erit locus.

Sed ad hoc argumentum, veri ſpeciem prae ſe ferens, reſpondere licet: eſſentiam animae invariabilem quidem eſſe atque immutabilem; cum autem libertas ad intellectum aeque ac voluntatem pertingat, uti in memorato tractatu de Mente humana demonſtravi, evidens eſt: *ipſam eſſentiam animae in libertate eſſe conſtitutam*, adeo, ut eam per *ſubſtantiam libere ſeſe ad actiones ſuas determinantem* definire queamus. Nec eorum inſtitutum mihi placet, qui hoc harmoniae praeſtabilitae ſyſtema ideo e medio tollere conantur, quod *phyſice* impoſſibile id eſſe, aſſumunt. Hac enim ratione Omnipotentiae divinae praeter rem limites poni, quis non videt? Nec ullo modo poterit evinci, contradictorium eſſe atque repugnans: mentem humanam cum corpore a Deo in prima creatione ita uniri potuiſſe, ut

 tanquam

tanquam duo horologia, quorum unum in alterum plane non agit, inter ſe conſpirent.

X. Allatae hactenus rationes, quamquam animae corporisque harmoniam praeſtabilitam evertere non valent; ſupereſt tamen aliud argumentum a naturae ſimplicitate deſumtum, quod credo ad infirmandum dictum ſyſtema ſatis eſſe idoneum. Quodſi enim harmoniam praeſtabilitam legibus naturae ſimplicisſimis repugnare oſtendi poteſt; eam falſam eſſe et erroneam, extra omnem dubitationem erit poſitum. Hoc autem tum ratione animae, tum corporis, modo ſequenti evinci poſſe exiſtimo. Primum enim, ſi anima ſecundum hoc ſyſtema ex ſola ſua eſſentia ideas elicere dicitur; plane non video, quare corpus ipſi iunctum organis ſenſoriis ſit inſtructum? Quid mutationes in dictis organis factae ad producendas mentis ideas conferunt? Superfluae ſane ſunt atque inanes, ſi mens humana vi praedita eſt, ſenſationes, imaginationes, recordationes, et pasſiones ex ſola ſua eſſentia evolvendi. Deinceps intellectu eſt difficillimum, qua ratione corpus tanquam machina, integras propoſitiones, orationes, et demonſtrationes absque ullo mentis adminiculo posſit producere. Si enim vel maxime conceſſerim, machinam hanc, actibus repetitis, habitum poſſe conſequi, motus voluntarios ſecundum animae decreta, celerrimo gradu perficiendi; ab initio tamen impulſus quidam ab anima oriundus, quomodocunque fiat, neceſſarius eſſe videtur. Hoc igitur harmoniae praeſtabilitae ſyſtema, cum naturae, quae ſimplicisſimam ingreditur viam, adverſetur; vix ac ne vix quidem, vi dictorum, locum invenire poterit.

XI. Disquiramus iam tertium communionis animae corporisque ſyſtema, *influxus phyſici* nomine dudum inſignitum, circa quod primum obſervo: vocem influxus phyſici aliam in rebus corporeis, aliam in communione dicta, habere ſignificationem. Influxus enim phyſicus ad res corporeas accommodatus, notat ſtatum, quo partes ſubtilisſimae unius corporis alterius poros ſubeunt; hoc in loco autem

Digitized by Google

autem mutuam animae in corpus, huiusque in animam actionem. *Actionis* autem voce noto ſtatus mutationem, quae fit a cauſa efficiente.

XII. Hoc influxus phyſici ſyſtema locum habere non poſſe, nonnulli opinantur, hac potisſimum cauſa moti, quod, poſita mutua animae in corpus, huiusque in animam actione, non eadem in Univerſo motus quantitas maneat; quam quidem hypotheſin phyſicam pro evertendo influxu fundamenti loco ponere ſolent. Sed Phyſici, qui hoc de conſervatione quantitatis motus in Univerſo excogitarunt principium, a vero multum ſane aberrare videntur, ideo, quod vim vivam cum motus quantitate manifeſto confundunt. Vis enim viva, quae determinatam ſuam habet quantitatem, in Univerſo ſemper eadem manet; ſed motus quantitas in infinitum augeri poteſt, vel minui; id quod luculenter oſtendit Ioh. Bernoulli, Oper. Tom. III. Num. 145.

XIII. Primaria, quae huic ſyſtemati obverti ſolet, obiectione diluta; rationes, quibus influxus phyſicus firmatur, iam afferam, ut, num hoc ſyſtema reliquis duobus ſit praeferendum, an minus, iudicium ferri posſit. Hunc finem ut conſequamur; obſervationes quasdam, influxus phyſici modum rationemque explicantes, praemittere lubet. Sunt autem ſequentes.

1) *Mentem humanam vi ſeu conatu eſſe praeditam, obſervandi imagines ex organis ſenſoriis in cerebrum translatas, ſeu potius rerum veſtigia cerebro impreſſa, et in motu conſtituta.* Deprehendimus enim, ſenſationes, imaginationes, recordationes, et pasſiones in anima origetenus differentiis omnimodis eſſe diſtinctas, easque ſpeciebus organis ſenſoriis impresſis exacte reſpondere.

2) *Mentem humanam vi, quae ipſi ineſt, dictas in cerebro impresſiones intueri, nulla materiae vi in animam transeunte.* Diſtinctam enim eſſe utramque ſubſtantiam, agnoſcimus; unde materiae ſeu corporis vis nullo modo animae interiora penetrare, eiusque ſtatum mutare poterit.

 3) *Men-*

3) *Mentem humanam vi ſeu conatu eſſe praeditam, fluidiſſimam in nervis corporis materiam per actionem in diſtans movendi, nulla ipſius vi in corpus tranſeunte.* Nec enim per contactum phyſicum anima movere poteſt corpus, cum utriusque vires diverſiſſimae ſint naturae; unde actionem in diſtans medium hic eſſe ad movendum corpus, veroſimillimum puto. Si mens humana vi propria ſtatum ſuum in reſolvendis et combinandis rerum ideis continuo mutat, rerumque longis intervallis diſſitarum naturas infinitis fere modis ſpeculatur; quid impedit, quo minus ipſius potentia ad movendum ipſum corpus per actionem in diſtans pertingat?

XIV. Ex his videre licet:

I) Influxum phyſicum animae vi, quam in nobis deprehendimus, potiſſimum fundari.

2) Hanc animae vim partim in obſervandis cerebri impreſſionibus, partim in ſubtiliſſima nervorum materia movenda, ſeſe exſerere.

3) Nullam ſecundum hoc ſyſtema materiae vim penetrare animam. Sufficit enim conatus, qui nobis ineſt, ad quasvis cerebri impreſſiones recipiendas.

4) Medium, quo mutuus utriusque ſubſtantiae in actionibus ſuis conſenſus obtinetur, eſſe actionem in diſtans, quam vi dictorum, menti humanae tribuere, abſonum non eſt.

XV. Hanc influxus phyſici rationem modumque, qui animo penſitaverit, facile videt: praerogativam huic ſyſtemati prae reliquis duobus eſſe vindicandam. Primum enim influxum phyſicum legibus naturae ſimpliciſſimis eſſe ſuperſtructum, inde patet, quod ſenſationes, imaginationes, recordationes, et paſſiones veſtigiis rerum cerebro impreſſis, et omnimodis differentiis diſtinctis, exacto reſpondent. Deinceps perpetuum rerum duarum inter ſe unitarum in actionibus ſuis conſenſum eſſe fundamentum influxus unius in alteram, eadem ratione, ut credam, adducor, qua terram illuminari a Sole; oriente enim ſole, cum

Digitized by Google

cum telluris regiones reddantur ſtatim conſpicuae, idque fiat continuo; nemo dubitat, quin Sol ſit fons luminis in tellurem transmisſi, ſimilemque in mutuo animae corporisque commercio deprehendo rationem. Praeter has, quibus firmatur influxus phyſicus, rationes, conſideranda ſunt phaenomena, quae, ſi ex dicto ſyſtemate, naturali ordine obſervato, posſint deduci; maius argumentis propoſitis addetur robur. Sed de his alia diſſeram occaſione.

CHRISTIANI GOTTLOB HALTAUS, PHILOS. Mag. Scholae Nicol. Rectoris, et Sodalit. LL. AA. Lipſ. Memb. Hon. Gloſſarium Germanicum medii aevi, maximam partem e diplomatibus, multis praeterea aliis monimentis, tam editis, quam ineditis adornatum, indicibus neceſſariis inſtructum. TOMUS PRIOR et POSTERIOR.

Praefatus eſt IOH. GOTTLOB BOEHMIUS, P.P.

Lipſiae, in Officina Gleditſchia, 1758. Alph. 6. plag. 3. fol.

Quod Cangius, praefatione ad Gloſſarium med. Latinit. optaverat: *ut in ſingulis nationibus prodirent Viri docti, qui linguae ſuae idiomata, vim eorum, notionem, origines, atque deſuetas et pridem obſoletas voces ad amuſſim inveſtigarent explicarentque, quum in enodandis illuſtrandisque aetatis mediae ſcriptoribus non mediocris inde lux adfulſura ſit;* illud Germaniae noſtrae nuper contigiſſe ſummopere laetamur. Nam ſicut a *Wachtero* antiquisſimae res ac voces patriae diligenter explicatae ſunt; ita hoc *Haltauſii* Opus non ſolum in lingua medii aevii, ſed in Iurisprudentia quoque, et publica, et privata, in diſciplina beneficiaria, in moribus, in ritibus maiorum cognoſcendis, eximii uſus fore nemo unus, qui legerit, negaturus

turus eſt. Unum hunc in ſumma laetitia noſtra percipimus dolorem, Auctorem, Virum ſanctitate morum, modeſtia, induſtria atque eruditione, non circumforanea profecto, hauſtaque de triviis ac circulis, ſed exquiſita atque recondita illa, ornatisſimum, maxima iam huius operis parte typis exſcripta, morte immatura extinctum eſſe. Etſi enim iam eo aetatis progreſſus erat, ut a vita, tanquam ex arbore non vi avulſus, ſed ipſa maturitate ſuo tempore collapſus eſſe videatur: illius tamen mors nunquam non arcerba et immatura videri poteſt, cuius vita quo diuturnior, hoc utilior patriae litterisque erat futura. Quae cum ita ſint, ſuſcepit Celeb. BOEHMIUS noſter huius operis curam, et in praefatione de vita Auctoris non ſolum, ſed etiam de operis ipſius rationibus, docte et eleganter expoſuit. Fuit quidem ab ineunte aetate in *Haltauſio* noſtro cum omnium bonarum litterarum, tum hiſtoriae medii aevi, mirificum ſtudium et praecipuus amor. Qui iam in adoleſcente adeo eluxit, ut dignus videretur, cuius opera *Ioh. Burch. Menckenius* in concinnanda Scriptorum Rerum Germanicarum collectione uteretur. Atque tum non ſolum plurimas veteres chartas deſcripſit, ſed et Annales quosdam e Germanico in Latinum ſermonem tranſtulit, et doctis adnotationibus illuſtravit. Sed extant alia quoque ingenii monimenta, quae eum hiſtoriae patriae peritisſimum fuiſſe teſtantur. Edidit enim *Calendarium medii aevi, praecipue Germanicum,* in quo excellentis doctrinae eximiaeque induſtriae notae expreſſae apparent, atque duo praeterea libellos ſcripſit: alterum *de iure publico certo Germaniae medii aevi;* alterum *de turri rubea Germanorum medii aevi.* In hiſtoria vero addiſcenda inveſtigandaque illud ſibi propoſuerat, ut non tam bella, ſeditiones et fata regnorum ſpectaret, quanquam neque haec unquam neglexit, ſed ut mores inprimis, ritus et iura maiorum cognoſceret. Sed ad ipſum hoc opus redeamus.

Expo-

Digitized by Google

Expoſita primum in illo eſt magna copia verborum, e ſeculo decimo tertio, quarto, et quinto, quibus magna fuit noſtri ſermonis auctoritas gravitasque, repetitorum, et quorum uſus hodie fere obſolevit. Excusſit igitur Auctor diligentisſime veteres chartas; atque Annales, neque editos illos omnes, in conſilium adhibuit. Quorum monimentorum teſtimoniis ſuffultus, certas verborum ſignificationes definivit, eorumque originem non raro feliciter inveſtigavit. Adiecit vero potisſimum animum ſuum ad rem iudiciariam Germanorum medii aevi explicandam. Quare ea capita, quae ad forum antiquorum temporum ſpectant, tanta uberrimae doctrinae copia efflorescunt, ut aegre hoc libro careant, qui, non eo contenti, ut barbarorum interpretum inanisſimas controverſias conſectentur, omneque ſuum ſtudium ad calumnias litium, et ad turpem atque invidioſum quaeſtum conferant, nobili atque regia via ad veram Iuris interpretis gloriam contendant. Sed age afferamus ſpecimina aliquot. Qui pro altero in iudicio verba faciebat, appellabatur a maioribus noſtris *Fürſprecher:* quae vox varie ab antiquis redditur. Modo enim talem hominem Advocatum, Prolocutorem, modo Patronum cauſae et Interpretem nominant. Licebat vero olim cuivis, qui fiduciam linguae haberet, pro primaeva germanaque libertate, ſuam cauſam in iudicio ſine advocato agere. Ex pluribus teſtimoniis afferimus maxime luculenta verba Statutorum antiquorum civitatis Freibergenſis: wenn ſich der Richtter ſetzett inn das Gerichte, als er dingenn will, ſo magk ein iczlicher Man wohl ſein ſelbſt Wortt ſprechenn, der es kann unnd das thuen will, unnd mag auch wohl antwortten ohne Buſſe etc. Licuit etiam partibus quemlibet ſibi advocatum deligere, qui, quoniam a iudice confirmandus erat, *legitimus* appellabatur. Eligebatur ad hoc negotium vir iurium morumque iudicii atque formularum peritus, interdum ipſe iudicii nuntius, quem deinde leges ab hoc negotio arcuerunt. Sic in modo laudatis Statutis legitur: die Büttel — ſollenn

lenn nymandts Wortt ſprechenn, dieweil ſie Büttel ſeindt. Plerumque vero poſtulandus erat Advocatus e numero Scabinorum, qui deinceps ad conſultationem adhibebatur, et ſententiam interrogabatur. Iam Seculo XIII. iudicia ita fuerunt conſtituta, ut partes non, niſi per interpretes legitimos, agerent. Sic reſpondit A. C. MCLXVI. Conradus Archiepiſcopus Salisburgenſis in curia Imperatoris per Prolocutorem ſuum, Ducem Bavariae et Saxoniae: Comes vero Palat. Rheni Marchionem Badenſem A. C. MCCCCXIX. in conſeſſu principum accuſavit *durch eins Ritters Mund*, ut ait *Windeck* in Hiſt. Sigismundi. Quo factum eſt, ut ipſe iudex, etiam rex, ſi vellet agere coram iudicio, ex more Advocatum peteret. Memorabile eſt exemplum Sigismundi Regis, qui, cum A. C. MCCCCXVIII. in iudicium Conſtantiae, a ſe delegatum, veniret, egit per os Ludovici Com. de Ottingen. Quid? quod etiam in cauſis voluntariis, rite atque legitime agendis, prolocutor adhibendus erat. Nam quidquid ſine hoc in iudicio dicebatur, habebatur pro indicto, atque etiam mulcta iudicio debebatur. Etſi igitur magna erat et neceſſitas, et dignitas eiusmodi advocatorum, accidit tamen imperitia et fraudibus horum hominum in iudiciis inferioribus, ut nomen prolocutoris inter ruſticos valde evileſceret. Ex plurimis locis, ab Auctore allatis, memoranda nobis videntur potiſſimum, quae in Iohannis Abbatis Vetero Cell. teſtimonio nativitatis MSC. circa A. MCCCCLX. leguntur: Ouch bekennen wir, das der obgen. N. nicht geborn iſt von unendelicher und ungeachter Hantwerker alſo Lineweber, Pfiffer, Scheffer, bader, lutensleger, keſſeler, ſwinſnyder, Vorſprechin, und der Hantwerg glich. Noſtros vero rabulas magisne miraturos an indignaturos eſſe credamus, cum ſe olim tam bellos ſodales habuiſſe cognoverint? Pergimus ad aliud caput, in quo Auctor ſuam de *Rolandi* ſtatua, quae tantum negotii faceſſit doctis viris, ſententiam exponit. Falli, ait, primum, quod ad originem attinet, qui harum ſtatuarum natales a Caroli M. de

Saxo-

Saxonibus victoriis, eiusque Capitaneo Rolando arceſſant: neque illas ad Ottonum tempora referendas eſſe, quibus ſimpliciſſima fuerit rei iudiciariae forma, cum hae cultioris ſint indicia: non tamen vanam eſſe eorum coniecturam, qui huiusmodi ſtatuas temporibus interregni primum ex ligno fabricatas eſſe cenſeant. Quoniam vero Statuae hae formae ſint et proceritatis eximiae, vulgari conſuetudine, qua hominem procerum *Rolandum* vocamus, nominari coepiſſe *Rolandos*, nomine ducto a *Rolando* illo, duce et heroe Germanorum, et formae proceritate celeberrimo. Porro has ſtatuas retuliſſe imaginem Imperatoris ſeu Regis, ob formae auguſtae dignitatem, gladium nudum, inſigne Imperii, aquilam in clypeo, coronam in capite, et inſcriptionem antiquiſſimi Rolandi Magdeburgici, *Kayſer Otto*, probabile eſſe. Fuiſſe denique Statuas Rolandi ſigna primum Iurisdictionis ſuperioris, alio nomine Bannum ſanguinis appellatae; id quod indicet gladius nudus, mos ſolemnis agitandi iudicia capitis coram Rolando, i. e. ſub oculis regis ſeu Imperatoris, et ius quod Burggravius Magdeb. olim habuerit Halae. Nam in litteris Io. Friderici Elect. Sax. ad Senatum Hal. Anno MDXXXIV. datis legi: Nachdem yr wiſſet, wie Unſern Voreldern ſeliger gedechtnüs, Churfürſten zu S. auch Unſs, als Burggrauen zue Magdeburck undern andern der Bhann und die Peinlichkeit zue Halle zueſtendigk, und was ſich in gemelten Bhann zeuget das ſolches vom Schultheis zw Halle, der von einem Churfürſten zu S. als Burggrauen zw Magd. mit demſelben Bhann belehnet, ſampt den Schoppen vor dem Rolandt ordentlicher vnd gerichtlicher Weyſs gehandelt, geurthelt und erkandt, auch darnach volſtreckt wirdet. Fuiſſe deinde illas ſigna libertatis imperialis immediatae, et Regalium Imperii, quorum maximum fuerit Bannus regius: fuiſſe ſigna peculiaris libertatis eximiique privilegii, urbibus, oppidis, etiam villis conceſſi: fuiſſe denique ſigna Iuris Weichbildici Saxonici. Haec de Rolando. In Capite *de menſuris* varia memora-

Digitized by Google

morabilia occurrunt. Excogitarunt enim antiqui varios modos, quibus ſpatii et magnitudinis menſuram definirent. Sic in L. Baiuuar. Tit. XVI. cap. 1. §. 2. — — et ſi illam terram non potuerit donare, donet aliam in proximo quantum iactus eſt de ſecuri ſaiga valente. In ſtatuto Lichtenſteig. Anno MCCCC: Welcher Burger alſo verr freſneti, daſs er ein andern Burger oder Gaſt liblosſs tete vnd machte, derſelb Burger in welchs huſs Er ze Liechtenſteig entrünnen ald kommen möchte, ſolte da, vor herren, fründen vnd vor menigklichem ſicher ſin, vnd Uffenthalt haben 6. Wuchen vnd dry Tag, vnd nach dem Zil vnd Tagen ſond In die Burger uff die Rinckmur derſelben Statt, wohin er will beleiten, vnd war er werffen mag, oder mit ſiner lincken Hand mit einem Beſchlag-Hammer wirfft, dahinnen ſend ſi In ouch ſicher von menigklichen beleiten, vnd nit füro etc. Circa A. MCCCLXVI. Mindenſis civitas cum Epiſcopo compoſita, ut foſſata dictae civitatis absque offenſa cuiuscunque licitum eſſet eis ampliare, quantum vir robuſtus ſtans in muro civitatis pondus plumbi unius libre poſſit verſum campum undique iactare: apud Leibnit. Tom. II. pag. 192. In Chronic. Erfurt. — indem ſich die Bürger ausgebeten, den Galgen von der Stadt ſo weit zuſchaffen, als ſie mit einem Pfeil von dem groſſen Armbruſt, der noch auf dem Rath-Hauſe hanget, von Langen Stege an ſchieſſen würden. In Dipl. apud Tſchud. Chron. Tom. I. pag. 459. die Landtgrafſchafft in dem Siſsgöw, die da gat, als die Birs in den Rhin flüſſet, den Rhin uff als Verre, als einer uff einem Ross in den Rhin geritten, und mit einem Baſel-Spär in den Rhin gereichen mag. In Dipl. A. MCLXXXI. apud Schannat. in Hiſt. Ep. Worm. Tom. I. pag. 129. tradentes — — pratorum quoque quantum novem homines in uno die metere valent. Georgius Ep. Paſſav. A. MCCCCIV. concedit Plebano S. Hippoliti, einen ſitz in dem Frauenhof, da ein Tiſch wol geſteen mecht etc. als weit man zwir kreitz neben vnd nach der Leng meſſen möcht, in Duellii Exc. Gen. pag. 106.

In

Digitized by Google

In Dipl. A. MXVI. apud Schannatum cap. 1. Tom. II. pag. 42. — excepimus autem duo foramina, quae in latitudine et altitudine menſuram unius pugni, repreſſo pollice, debent habere, etc. In documento Iurium S. Pelagii in Oberſeitnau, A. MCCCCXXXI. apud Heiderum Ded. Lind. pag. 489. — demſelben jeglichen beſunder ſoll dann der Kirchherr oder ſein Lütprieſter geben ain Brod, das ſoll ſeyn in der Gröſſe, daſs ein ſitzender Menſch mag es ſetzen uff ſeinen fuſs, und daſs es denn ſoll gon über das Kün, alſo, daſs man möcht ainem Hirten ain Morgenbrod darab ſchniden. Agmen claudat, quod a Schiltero in Diſſ. de Curiis Domin. p. 604. ex iuribus curiae Wratzhov. affertur. — dieſelben Brot vnd Keſe ſollent in der Gröſſe ſyn das ein gemein Man mug ſinen Dumen tun mitten uf das Brot oder Keſe, und mit geſtreckten Vingeren einen Umbkreyſe machen uf demſelben Brot und Keſe.

Sed ſunt inprimis, ut ſupra diximus, ea capita lectu dignisſima, in quibus Auctor de foro et iudiciis medii aevi diſputat. Huc referenda, quae ſub vocibus *Büttel, Gerichte, Gewohnheit, Herkommen, Eid, Erbe, Ding, Galge, Gurtel, Stadtbuch, Schoſs, Stab, Stul, Haegen,* et compluribus aliis, inveniuntur. Secundum locum damus merito iis, quae ex beneficiario iure expromuntur. Unum exemplum afferemus. Eſt caput copioſum et doctum de voce *Schild-knechte.* Hi enim erant olim nobiles famuli, militares et equeſtres, dicti Scutiferi, et in Germania Armigeri. Genere erant nobiles, et inde vocabantur *erbere Knechte, wolgeborne, rittermäſsige Knechte:* rarisſime vero ſervi. Erant autem famuli militum, alius alio dignior, pro dignitate quam ſuſtinebat dominus, cui famulabatur. Vulgo ideo eos *Schild-knechte* dictos fuiſſe putant, quod ſuis humeris tamdiu geſtaſſent impoſitum ſcutum domini et haſtam, donec pugna exoriretur. Ex Auctoris vero ſententia, haec opinio moribus veteris militiae plane contraria eſt. Quilibet miles, pro poteſtate ſua, (vermöge ſeines Schild-Amts,) et pro copia et modo opum, plures alebat famu-

famulos, minimum decem, ſub ſua quemque armatura, quorum opera dominus ad ſervitia militaria uteretur. Numero militum aucto, multitudo etiam famulorum aucta eſt, qui, tenui ſtipendio non contenti, militiae uſum in rapinas converterunt, atque ideo, omnium in ſe odio excitato, vulgo *Schindfeſſel* appellati ſunt. Sic in Chron. MS. de Principibus Thur. ad A. MCCXXXII. apud Mollerum, de Abbate Reinhardsborn. indigne tractato dicitur: Unnd des warn landgraven Conrades ſchindfeſſele unnd renner, die ungerne lange in der Kerchen bliben gewar, unnd kanten denn Apt wol. Locus claſſicus de his eſt in Cap. XXXI. des Renners, ubi vita eorum, mores, miſeriae, et odium publicum accurate expreſſa ſunt. Caeterum Auctor ipſam imaginem Famuli Armigeri, ex Cod. Bibl. Senat. Lipſ. A. MCCCCXIX. rudi arte picto, hoc loco exhibet.

Non pauca porro in hoc opere occurrunt, quae rem monaſticam et ſtatum eccleſiaſticum medii aevi probe illuſtrant. Speciminis loco ſit caput de voce *Hunde-Lege*, ſ. *Hunde-Lager in den Clöſtern.* Tolerarunt enim antiquitus monaſteria in Germania, et extra, onus ſtabulandi alendique canes venaticos et venatores in uſum domini alicuius. In Dipl. A. MCCCXLII. Comites de Tubingen reſervarunt ſibi die Hundtlege zu Bebenhauſen, und das Gejayd in dem Schainbach. In Bulla Papali Salfeld. A. MCXXVI. Interdicimus etiam in nomine Patris et Filii et Spiritus S. ut in bonis monaſterii Salfeld ſecundum conſuetudinem provinciae illius, neque canes paſcantur, neque ſtipendia venatoribus dentur etc. Profert etiam Beſoldus in Docum. Wurt. pag. 342. aus dem alten Heydenheimiſchen Leger-Buch: Item desgleichen die von Helffenſtain haben jährlichen mugen Ir Jäger mit ſampt Knechten, Pferdten, und Hunden, ſechs Wochen in das Cloſter gen herbrechtingen legen. Eſt quidem hoc onus ex iure territoriali derivandum, ſed vix ab ipſis Fundatoribus Monaſteriis impoſitum, potius ab heredibus et ſucceſſoribus, ad quos Monaſterii defenſio pervenerat. Quia vero ſordidum

didum erat illud, et, frigeſcente inter laicos religione, maximopere moleſtum, paulatim inter vexationes ſecularium referri coepit. Queritur Abbas Adelberg Anno MCCCCLXVI. inter alia: Comes de Wurtenberg in noſtri monaſterii maximum gravamen et periculum, canes ſuos venaticos, cum famulis et ſervis ad venationem requiſitis, ad noſtrum monaſterium impellendo, et ibidem fovendo per longa tempora, nos ad innumerabiles expenſas per hoc, et grave diſpendium noſtri monaſterii, trahendo, etc. Quare alia monaſteria citius, alia ſerius per pacta et privilegia iſto onere liberata ſunt. Sic apud Meibom. Script. Tom. III. pag. 372. legitur: Anno MCCLXIX. Magnus Dux Brunſu. volens a vexationibus et oneribus ipſum Monaſterium (Riddagshuſen) relevare, ex ſpeciali gratia, a ſuſtentatione et paſtura venatorum cum canibus venatilibus perpetuo monaſterium, cum ſuis curiis, liberum facit et exemptum.

Inſunt denique in hoc opere plurima, ex iure publico Germanorum hauſta. Huc pertinent voces *Treſe-Kämmerer*, *Geleite*, *Friede*, *Gottesfriede*, *Landfriede*. Sufficiat unum exemplum adducere. *Kayſerliche und des Reichs Kammer-Knechte*. Habet Camera Imperii Iudaeos ab antiquisſimis temporibus proprios ſervos fiſcalinos. Apud Petrum de Vineis Lib. VI. ep. 12. Fridericus II. vocat ſervos noſtrae Camerae ſpeciales: et Ludovicus Rex, Anno MCCCXXXVIII. die Juden unſere lieben Cammer-Knechte. Albertus I. etiam Rex Rom. contendit, omnes omnium gentium Iudaeos Imperatoris et Imperii ditioni ſubiectos eſſe. Quid? quod Ottocarus de Horneck in Chron. Auſtr. circa A. MCCCVI. inter poſtulata Regis Alberti ad Regem Galliae haec memorat:

Er jach, dy Juden ze recht
Gehorn das Reich an,
Und ander Nieman.
Welich Furſt ſew hett ynne,
Sunder des Reichs Mynne,

Wider

Wider Recht der ſew het,
Und wan das Reich tet
Sein Vordrung nach jn,
So ſcholt den Gewin
Ain yegleich Furſt verchieſen,
E des Reichs Huld verlieſen.

Ibidem rex Galliae conſuluit I&tos: ob die Juden aigenleich ſolten in des Reichs Kamer gehören? qui ad hoc reſpondent:

Daz die Juden dem Reich
In Sein Chammer dienen ſcholten,
Und welich Furſten ſew haben wolten,
Das mocht anders nicht ergan,
Sy muſten darczu Urlaub han,
Von des Reiches Vogt.

Hic vero quaeſtio oritur: unde ius ſervitutis Camerae Imperii? Ex Auctoris ſententia, ius illud vel repetendum eſt ex illo axiomate, quod poſt inſtauratum in Occidente Imperium Rom. invaluit: Imperatores Germ. eſſe ſucceſſores in omnia iura antiquorum Imperatorum Roman. Vel ita ſtatuendum: cum Iudaei, ingenti multitudine per provincias Imperii vagarentur, victumque quaererent, omnium ope deſtituti, omniumque iniuriis vexati, ſuſcepit ſummus in orbe terrarum princeps, Imperator, eorum tutelam, eos fiſco ſuo addixit, et in conditionem hominum propriorum redegit. Erant igitur et bona et corpora Iudaeorum Imperio ita addicta, ut liberum eſſet Imperatori de illis ſtatuendi arbitrium. Carolus IV. in Privil. Ioh. et Alberti, Burggravior. Norib. A. MCCCXLVII. ait: alle Juden gehören mit Leib und mit Gut unſer Cammer, und ſeynd in unſer Gewalt und Händen, daſs wir mit unſer Machtigkeit damit thun und laſsen mögen, was wir wollen. Itaque fugitivos undecunque vindicabat, eosque vendere et oppignorare poterat. Erant quoque Iudaei obligati Imperatori ad ſervitia et cenſum. Wenceslaus Rex in Dipl. Northhuſ. A. MCCCXCI. Doch zu voran ſoll Uns ein ieglicher

licher Jude und Judin, der über das zwölffte Iahr kommen iſt, alle Iahr einen gülden Pfennig geben und bezahlen, die auch in Unſer Cammer ſollen geantwortet werden. Conferebant iidem pecunias in ſubſidium Imperii, maiores etiam quam Chriſtiani: v. g. ad coronationem auguſtalem, quod dicebatur tributum coronarium, *die Kron-Steuer.* Sed etiam alia officia Camerae et Aulae Imperiali praeſtare tenebantur. Sic Carolus IV. in Dipl. Francof. A. MCCCXLIX. quo Iudaeos Senatui oppignorat, hac tamen ait conditione: wane wir oder unſsere Nachkommen an dem Reich zu Franckf. kommen, daſs ſie uns dan dienen ſollen in unſser Cancellarie mit Permunte, in unſserm Hoff mit Betten, in unſser Kuchen mit Keſseln, als gewönnlich iſt etc. Poſtquam deinde Ius habendorum Iudaeorum Statibus Imperii conceſſum eſt, cum iure nomen ad eos tranſiit. In Dipl. Ordinum Dioeceſ. Colon. A. MCCCLII. ind he deſe ordele —— an uns geſat hat, ind uns darumb rechts gefraegt hett, ob die Juden ſeyn eigen ſind —— ſo han wir uns beraden und hant gedeylt —— nan unſem beſtem ſinnen, und dunckt uns recht ſin etc. Iudaeos Ratisbonenſes Ducibus Bav. praeſertim in criminalibus fuiſſe ſubiectos, et ab iisdem die getreue Cammer-Knechte vocatos, teſtatur Wig. Hund, Tom. I. Metrop. Salisb. pag. 250. In epiſtola quoque MS. univerſali Iudaeorum per Frid. Balth. et Wilh. Marchiones Miſn. A. MCCCLXVIII. daz wir alle unſser Iudin Iudinne etc. ſchuczin beſchirmen und vorthedingin wollen etc. alz unſser Kammer Knechte.

Neque praetermittendae ſunt adnotationes uberiores, quas paſſim Auctor huic operi intexuit. Sic doctam legimus diſputatiunculam de aſylis, de legitimo eorum inter Germanos uſu, de abuſu, de aſylorum licentia per magiſtratus ſeculares acerrime ſaepe impugnata, atque etiam de legitima aetate; ubi Auctor multa attulit, inprimis quoad ius privatum, aliis indicta. Eſt quoque elegans adnotatio de iudiciorum Vueſtphalicorum origine, quam

Digitized by Google

ſpeciminis loco proponimus. *Faeme, Faem-Ding, Faem-Gerichte in Weſtphalen*, appellabantur iudicia Weſtphalica criminalia ſecularia, quae clandeſtina delatione Scabinorum, occultaque iudicum inquiſitione, infamata maleficia per Weſtphaliam, et inde longius, usque ad ultimum ſupplicium perſequebantur. Auctorem inſtituti ipſi iudices iactabant, ex Leonis Papae conſilio, Carolum M. quibus recentiores quoque fidem habuerunt. Verum hos errare putat Auctor, etſi difficilius dictu ſit, quis ſit, quam quis non ſit iudicii Auctor. Prima iudicia Faemica procul dubio tuliſſe Weſtphalicae gentis duritiem ingeniorum et pravitatem, non niſi inuſitato et rigido more iudiciario frangendam. Sic legi in ordinatione illa Faemica: Zum erſten iſt ein Frage, wem das heimlich gericht geſezt ſey? Den Weſtualiſchen iſt es geſezt wordenn, und keinem Lande meer. Dann in dem Lannde die Leut von Natur zu ubel und unbillichn Sachen geneygt ſin, als zu Ketzerey, Rawbe, und Diepſtall. Scelera autem iſta, quae rem et tranquillitatem publicam poſt A. MCCVIII. vexaverint, fuiſſe deſertionem fidei orthodoxae, rapinas, praedationes, furta, periuria. Cauſam, cur in his partibus tot ſcelera invaluerint, fuiſſe praecipue diuturnam regum et Imperatorum abſentiam. Seculo enim XIII. et XIV. rariſſime illos Weſtphaliam intraſſe, unde factum ſit, ut omnia maleficis hominibus eſſent plena. Fuiſſe porro Clericos, et inter Clericos Epiſcopos Colonienſes, atque ex iis praecipue S. Engelbertum circa A. MCCXX. Faemicorum in Weſtphalia iudiciorum cauſam et originem, cuius rei haec ſint argumenta: Weſtphaliam, late ſumtam, Rhenum inter et Viſurgim iacentem, et Angariam quoque complexam, fuiſſe ſedem primariam iudiciorum huiusmodi ab omni memoria, ipſa Imperatorum confeſſione. Deinde Epiſcopum Colon. fuiſſe ducem Weſtphaliae et Angariae: nam Philippum Praeſulem Colon. beneficio Friderici I. Imp. A. MCLXXX. partem occidentalem Ducatus Weſtphaliae obtinuiſſe, cum omni iure et iurisdictione, ſcilicet cum Comitati-

mitati-

mitatibus, cum Advocatiis etc. tum Philippum Regem A. MCCIV. Adolpho Epiſcopo, et A. MCCVIII. Theoderico conceſſiſſe et confirmaſſe Ducatum Weſtphaliae et Angariae. Denique Engelbertum a Friderico II. A. MCCXVI. illius ſucceſſorem declaratum, primum Ducatui Weſtphaliae quiete praefuiſſe: tamen in his tabulis inveſtiturarum nondum Iudicia Faemica memorari. Porro Engelbertum, a Friderico II. procul in Sicilia agente Henrici filii tutorem conſtitutum, et totius regni Romani per Alemaniam Proviſorem, ſua auctoritate ſtrenue uſum, et cum iudicii ſecreti prima fundamenta ieciſſe videri, tum iudicium ſupremum Col. ita inſtituiſſe, ut in maleficia, non exſpectato accuſatore, ex fama publica inquireretur. Atque hanc coniecturam confirmari Caroli IV. Dipl. A. MCCCLV. quo Wilhelmo Colon. Archiep. ob praeclara erga ſe et rempublicam merita, omne ius vetus per liberos Ducatus Weſtfaliae et Angariae inſtaurat, ea lege praeſcripta, ne cui Comitum et Scabinorum fas ſit, ſine auctoritate Archiepiſcopi tribunalia inſtituere, habere, aut ius dicere in iudiciis, quae comitia et ſecreta iudicia appellantur etc. v. *Schaten.* Annal. Paderborn. Tom. II. pag. 334. Fuiſſe etiam Archiepiſcopum Colon. Praeſidem horum iudiciorum, et Imperatoris per Weſtphaliam vicarium. Ipſam denique indolem iudiciorum, a priſcis Germanorum inſtitutis tantopere alienam, non bonorum Laicorum, ſed, utpote nimium callidum, Clericorum videri inventum. Citra controverſiam, iudicium eccleſiaſticorum fuiſſe de haereticis quaeſtionem: atqui Faemica Iudicia fuiſſe ſaecularia, et tamen de firmamento religionis laboraſſe, deque haereſi praecipue inquiſiviſſe, Clericis non invitis, nunquam renitentibus, v. *Wencker* Praeſid. pag. 385. ſeq. Tantam vero rem, non, niſi a Clerico principe, eoque ſummi ordinis, magnaeque potentiae in Germania, inſtitui ac perfici potuiſſe, facile apparere. Sed haec hactenus. Addit enim Auctor plura de calliditate huius inventi, et derivatione nominis Faeme.

Plura vero de doctrina A. et induſtria dicere, cuius exſtant in ſingulis paginis luculenta veſtigia, non opus exiſtimamus.

mamus. Neque enim quenquam exigui laboris aut ingenii opus cenſere arbitramur, tot Annales, tot veteres chartas et diplomata excutere, tot ſingularum gentium et civitatum leges et inſtituta cognoſcere, ut inde iura et mores maiorum eruantur. Quare non dubitamus fore, quin hoc opus omnium harum rerum peritorum ſuffragiis comprobetur.

Additus eſt denique duplex index: alter vocum latino-barbararum, quae in hoc opere explicantur, alter vocum difficilium et obſcuriorum, quarum adhuc quaeritur et deſideratur explicatio.

CHRESTOMATHIA PLATONICA.

Turici, apud Heideggerum, 1756. plag. 18. octonis.

Excerpſerunt inde ab aliquo tempore Viri docti pulcherrima ex veterum auctorum libris loca, eaque ſeparatim edenda curarunt, cum ut ii, qui occaſione et otio totum auctorem perlegendi deſtituti, habeant quaſi in una et parva tabula propoſitum, ex quo de ingenio illius et ſcribendi genere iudicent; tum ut invitarent et allicerent hiſce illecebris homines, ad ſuaviſſimam totius libri lectionem, cuius tantum particulas aliquot deguſtaverint. Quam bene de litteris, talibus libris editis, meriti ſint *Geſnerus* et *Breitingerus*, nemo ignorat: quos etiam huius Platonianae Chreſtomathiae editor, *Ferdinandus Chriſtianus Müllerus*, ſecutus eſt; quamvis, ut videbimus, *non paſſibus aequis.* Nam cum potiſſimum editor illud operam dare debeat, ut verba Auctoris quam emendatiſſima habeamus; multumque interſit, Aldini lectionem libri ſequamur, an Minelliani: adeo hanc curam Editor abiecit, ut ne certiores quidem lectores faciat, de quo exemplo haec Chreſtomathia expreſſa ſit. Vellemus deinde, ut adiectae eſſent, ad explicanda difficiliora loca, notulae quaedam. Vix enim probabile eſt, tirones, quorum praecipue cauſa hunc librum editum eſſe apparet, non in multis locis haerere, ſudare, aliaque auxilia circumſpicere. Non in magnitudinem nimiam, ut Editor putat, voluminis moles excreviſſet, cum Breitingeriani et Geſneriani

riani

Digitized by Google

riani libri, qui multo plura continent, modum certe non excedant. Eſt in horum virorum adnotationibus brevitas, non obſcura aut moleſta, ſed docta, iucunda, et ſummopere utilis, quam imitari debebat Müllerus. Nam ſi adiecta latina Serrani verſione omnes ſe difficultates ſuſtuliſſe credit, vehementer fallitur. Mittimus hanc verſionem, etiam poſt Editoris emendationem, vitiis minime carere: quod, ſi operae pretium eſſet, facile doceri a nobis poſſet. Illud dicimus, quod dudum Viri docti docuerunt, et in his inprimis Cel. *Geſnerus*, in praefatione ad Chreſtomathiam Graecam, contemtum et neglectum litterarum Graecarum maxime ab hiſce verſionibus derivandum eſſe. Neque opus his plura addere, dum res ipſa loquitur. Quod ad loca e Platonis libris excerpta attinet, hic quoque Editoris acumen deſideramus. Laudamus, illum ea potiſſimum loca delegiſſe, quae praecepta virtutis, et praeſtantiſſimas ſententias continent. Sed primum vellemus, eorum locorum rationem habuiſſet, quae alii Auctores vel imitati, vel interpretati ſunt, ut nobilis illius orationis a Socrate ante mortem habitae, et a Cicerone in latinum ſermonem translatae. Propoſuit, laudabili exemplo, *Geſnerus* Vir Cel. eiusmodi loca in Chreſtomathia graeca: ut pulcherrimam deſcriptionem peſtis, ex Thucydide a Lucretio expreſſam, et alia eiusmodi. Deinde, quale illud eſt, in quo praecipue Platonicae philoſophiae copia atque amoenitas effloreſcit? quid efficit, ut illius lectione ſatiari vix poſſimus, cum nos noſtrorum Philoſophorum, vel eadem, vel meliora quoque tradentium, facile faſtidium capiat? nempe, magnum illud artificium, quod multi profitentur, perpauci tenent, ut principum poetarum ſententiis, quaſi luminibus, philoſophicas diſputationes diſtinguat; inde argumenta, illuſtrationes, comparationes petat; modo his directe ad virtutem adhortetur, et a vitiis abſterreat, modo allegorica interpretatione acutiſſimas ſententias inde eliciat; hinc denique non raro multa arte materiam diſſerendi repetat. Talia loca erant eligenda, et ad imitationem proponenda. Adſperſit denique Plato multos ſales, lepores, deſcriptiones venuſtiſſimas, variasque hiſtorias, in quibus enar-

Digitized by Google

randis mirus eſt artifex. Verum haec loca fruſtra quaeſiveris in hac Chreſtomathia, quae tamen prae Serrariana verſione Graeca, intelligentibus inutili, tironibus etiam nocitura, multo melius locum obtinuiſſent. Nos igitur huic libro non omnem quidem fructum denegamus, quis enim divinas Platonis ſententias non utiles cenſeat? ſed, ſi Editor conſilium executus fuiſſet diligentius, longe utiliorem iucundioremque illum futurum fuiſſe exiſtimamus.

IO. KLEFEKERI, ICTI, ET REIPUBL. HAMBURG. Syndici, Curae Geographicae, cum Mich. Richeii P. P. diſſertatione epiſtolica de loco Hochbuch. Edidit, et de incrementis Geographiae recentiſſimis praefatus eſt, IO. GEORG. BUESCH. P. P.

Hamburgi, typ. et impenſ. Piſcatoriis, 1758. Alph. 2. plag. 4. octon.

Cum, ex quo homines docti animum ad Geographiae ſtudium adiecerunt, mapparum Geographicarum numerus maximopere auctus ſit, atque in dies augeatur, ſingularum vero chartarum indicia recenſionesque, aut nullibi plane, aut per multos libros diſperſa inveniantur: utiliſſimus hic liber Nobiliſſ. *Klefekeri* cenſendus eſt, in quo, quae, poſt Hauberi Hübnerique diligentiam, in notitia mapparum Geographicarum, earumque delectu inſtituendo, huic ſtudio dediti deſiderare poterant, Auctor expoſuit. Delegit enim ex grandioribus huius generis operibus indicem tabularum, cum Geographicarum, tum maritimarum, et in octo voluminibus diſpoſuit. Continentur in primo iſtorum voluminum tabulae ad Globum coeleſtem, ad Geographiam antiquam, ad Geographiam mediam et recentiorem, Polum utrumque, Europam univerſam, Hiſpaniam et Portugalliam, Galliam et Lotharingiam. Alterum volumen proponit magnam Britanniam et Hiberniam. Tertium volumen pertinet ad Belgium univerſum, ad Helvetiam, ad Italiam, inſulasque Italiae. Quartum, primam partem Germaniae explicat; Imperium Francicum vel Romano-Germanicum, Germaniam univerſam,

ſam, Bohemiam, Sileſiam, Luſatiam, Moraviam, Danubium fluvium, Germaniam Auſtriacam, Bavaricam, Suevicam: quintum, alteram partem Germaniae, Franconicam, Suevicam, Rhenanam, et Weſtphalicam: ſextum, tertiam partem Germaniae, Saxonicam, et conterminum ad fines Imperii Holſaticos ducatum Slesvicenſem. Septimum complectitur mare ſeptentrionale et Balthicum, Scandinaviam univerſam, Daniam, Norvegiam, Sueciam, Finlandiam, Ruſſiae imperium, Ruſſiae provincias acquiſitas, Tartariam, Pruſſiam, Poloniam, Ucraniam, Hungariam, Tranſylvaniam, Slavoniam, principatus Turcicos, Pontum Euxinum, Graeciam, et Archipelagum. Octavum volumen continet Aſiam, Africam, et Americam tabulas illuſtrantes, quibus inſeruit Auctor tabulas Geographicas delectas, ad itinerum deſcriptionem pertinentes. Haſce igitur mappas non ſolum indicavit V. Cl. ſed in notulis adiectis breve etiam de inſignioribus illarum iudicium tulit. Atque hunc indicem ſequuntur Spicilegia, ut ipſe Auctor inſcripſit, ſive Commentationes Geographicae ſecundum tabularum indicem, ita diſpoſitae, ut adornandae inſimul, ſed delectae ſaltim eiusdem argumenti librorum ſupellectili, forſan inſerviturae ſint. In his Auctor uberius de mappis cuiusque regionis diſſerit, libros praeſtantiores indicat, de originibus et nominibus populorum diſputat, fines et ambitum regnorum definit, multaque, cum ex antiqua et media, tum recentiori hiſtoria capita ita illuſtrat, ut hic liber magno cum fructu ab iis legatur, qui ſolidam Geographiae cognitionem percipere cupiant. Prae ceteris commemoranda ſunt, quae Auctor pag. 299. de Imperio, primum Francici, poſt Romano-Germanici nomine inſignito: et pag. 317. de Pagis Germaniae diſputat. Iam Romanis, ait, *pagi* vocabulum notum fuit, quo, modo vicum, modo certum agrorum tractum indicabant. Germani, pagum *Gow* vel *Gau* appellantes, ita regionem denotabant, plures villas ac vicos comprehendentem. Nam cum priſcis temporibus non iuſtum aliquod floreret in Germania regnum, ſed ſingulares eſſent plurimae civitates, neque ullo communi foedere aut iure connexae, neque uno eodemque modo gubernatae, effecit hic varius Germaniae

ſtatus,

ſtatus, ut ne poſſet ea in provincias dividi. Quot civitates, tot erant partes. Civitates diſtinctae erant in pagos: pagi vero plurimos habebant vicos. Veriſimile quoque Auctori videtur, pagos iam tum in centenas diviſos fuiſſe, et centenis ſuos fuiſſe vicos. Quibus addimus, quae pag. 447. de ſententia Scheidii: neque Imperatorum et Germaniae regum Saxonicorum patriam, neque Electoratus dignitatem, alibi, quam in Brunſuicenſi regione, et ex Guelforum principum ſtirpe, quaerendam eſſe: pag. 365. de Suevorum in Germania ſedibus: pag. 533. de Heroe vel deo Germanico, Theut, Tuito, Thuiſto: pag. 597. de migrationibus primis ex Aſia et Africa in Europam, leguntur. In primis, quae ad Geographiam, antiquam praeſertim, urbium, Lubecae, Bremae, et Hamburgi pertinent, copioſiſſime exponuntur. In adiuncta diſſertatione, de loco Hoghbuchi diſputat Cl. *Richey*, adverſus viros doctiſſ. Eſtorem et Gebhardum. Fuit, ut ſumma capita rei breviter indicemus, Hochbuchi, ex Saxonico *Hogen Böken*, locus ferax fagorum ad ripam Albis. Hoc in loco conditum fuit à Carolo M. per Odonem Comitem caſtellum, quod primum quidem Hochbuchi nomen retinuit, deinde vero ab adiacente ſilva, Hamma, dictum eſt Hammaburgum, nonnunquam vero, utriusque nominis coalitione, Hochburgum et Buchburgum. Cum vero templum primarium, et ſedes Praeſulis non in civitate Hochbuchi, ſed in adſtructo caſtello Hamburg conſtitueretur, accidit, ut nomen Hochbuchi ſenſim obſoleſceret, Hamburgi vero illud frequentaretur. Sed non omni dubitatione exemta viſa eſt haec res duumviris his, quos modo laudavimus, qui potius contenderunt, non eſſe Hochbuchium illum locum, in quo Hamburgum conditum fuerit, ſed altas illas fagos ſpectare ad aliud caſtellum, ad Stekenizam in praefectura Lauenburgica poſitum, cuius, quod hodie obtinet, nomen *Boeken*, ad indagandum ibi Hochbuchium adducat. Reſpondet igitur primum Auctor illis, eaque, quae protulerunt, argumenta diluit, et deinde nonnulla, quae communem ſententiam ſtabiliant, proponit.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiae
Calendis Octobris Anno MDCCLIX.

LES RUINES DE BALBEC, AUTREMENT DITE Heliopolis, etc.

i. e.

RUINAE URBIS BALBEC, QUAM ET Heliopolim dicunt, in Coeloſyria.

Londini, 1757. plag. 7. fig. aen. 46. fol. max.

In iis, quae nuper de hodierna conditione ruinarum Palmyrae dicebamus, iter ab Anglis quibusdam litterarum ſtudioſis in Palaeſtinam ſuſceptum diligentius perſequebamur, eosque etiam enarrationis de Balbeci ruderibus edendae ſpem feciſſe, Lectoribus noſtris affirmabamus. Quam ab ipſis nunc eſſe praeſtitam fidem, plane nulli dubitamus quin antiquitatis omnis et architecturae inprimis ſtudioſi ſint cum gaudio atque delectatione accepturi, ſuoque ſuffragio ſtudium Anglorum de literis et artibus bene merendi approbaturi, quo pede coepere pergentium bonarum artium pomeria proferre. Haec altera, de qua nunc exponemus, itinerarii pars ab illis profecti, non ſolum illi ſuperiori, neque gravitate rerum, neque operis ſplendore, neque diligentia conſcriptionis, neque copiis doctrinae, quicquam concedit: ſed etiam tam utilis, tam iucundi, eiusdemque tam nobilis et magni incepti continuationem pollicetur. Meminimus quidem incidere

Digitized by Google

in locum, unde ſpem concepiſſe videmur non vanam, propediem ab his iisdem Anglis in manus doctorum hominum tradendae expoſitionis de illo terrarum tractu, quem Homerus ſuis immortalibus carminibus ad aeternam memoriam conſecravit.

Non plane quidem accedit huius ſecundi Voluminis dictio ad illam iucunditatem, qua carere nullo modo poterat illa primo Volumine tradita de cauſſis itineris, ipſiusque curſus ſucceſſibus, expoſitio: quam expoſitionem ut ſuo loco iam allatam, eoque dudum cognitam lectoribus atque perſpectam, non modo nihil neceſſe, ſed vel ſupervacaneum erat hic repeti. Fortaſſe hoc etiam minime conſentaneum, a fideque et expectatione quam alieniſſimum videatur; quam dira ſit oculo amoenorum locorum ſpectatori, et quam horrenda facies ſterilium et a ſole flagrantiſſimo exuſtarum arenarum, qua Palmyram cingunt, et velut a caetero terrarum orbe avulſam, continent barathro abditam, tam ſterilem bonae omnis frugis, tam aridam et inficetam, et amoeno quoque ſpectaculo defectam eſſe Balbeci memoriam ad ſedulum antiquorum monumentorum ruſpatorem. Illud profecto non poteſt non mirum accidere, tam pauca in tot veterum, qui ad nos enatarunt, libris, de urbe legi, cui opportunitas ſitus, atque regionis incredibilis amoenitas, eam certam videbatur gloriam promittere ampliſſimam, ut in pace quidem opulentiſſimi populi, et frequentiſſimae in orientem et occidentem negotiationis ſedes, principumque omni opum et deliciarum luxusque genere abundantium domicilium, in bello autem potentiſſima civitas, et nominis armorumque terrore graviſſima, maximisque copiarum ex Syria et Aegypto illuc coeuntium numeris praeliisque celeberrimis arena eſſet clariſſima. Sunt quidem, quod inficiari nolimus, vel ipſius quoque Palmyrae annales perquam lacunoſi, et vaſtis obſcuritatis foedi ſpatiis: at ſpatium tamen viginti certe annorum largam Scriptoribus de Palmyra praedicantibus materiam praebet, ſegetemque gloriae

et

et campum veluti, in quo exſultent. Quo temporis ſpatio Aureliani, Odenati, Zenobiae ſe extulerunt, magna et illuſtria in rebus Seculi ante Chriſtum natum tertii nomina; quorum res geſtae cum eſſent magnae et praeclarae, locum dabant hiſtoricorum ingenio, in quo id ſe efferret, atque iactaret. Neque illi ſane ſibi defuere, ſed plenis manibus lilia roſasque rhetoricas contulerunt in caput feminae, a qua ea certe profecta ſunt, quae illi apud vulgum facile heroinae exiſtimationem concilient. Adde, quod apud Palmyram inventa ſunt non pauca priſci aevi ſaxa litterata, quae cum ipſis auctoribus itinerarii Palmyreni locum dabant ingenii ſui acutis et felicibus coniecturis oſtendendi, tum aliis quoque per Gallias et Angliam Viris doctis palaeſtram quaſi aperiebant, in qua lectionis copiam, et ingenii acumen exercerent atque iactarent. Longe diverſa eſt Balbeci conditio, cuius inſcriptionum cum paucitas, tum obſcuritas, et hiſtoriae parum lucis affert, et ingenio parum praeſtat materiae, in quo elaboret. Quae quanquam ita ſint, non tamen videtur haec quoque poſterior operis pars neque utilitate, neque oblectatione carere; quarum illa quidem fieri nequit quin ad architecturae ſtudioſos redundet uberrima: (quanquam disſimulare non posſumus, huius artis interiora nos non admodum ſcire.) Hanc autem ſi quis quaerat, ſperamus iis afferendis, quae ex itinerario Wodii excerpemus, illi nos perſuaſuros, ut nobis credat affirmantibus, ab omni omnino cultu hanc partem deſtitutam non eſſe; qui cultus tum mentem legentis oblectatione capiat honeſta, tum cognitione utili inſtruat.

Dies erat VI. Cal. Apriles Anni MDCCLI. cum nobiles illi Angli, quos toties dicimus, Palmyra viam Balbecum verſus ingrederentur. Huius itineris cauſas nobis fortunamque exponunt, et quae loca iter agentes attigerint. Quae nos nunc, ut expectatione lectorum minora, et pro brevis, quam promittimus, relationis ratione exiliora partim, partim uberiora eadem, ſilentio praetermittimus: ſatis habituri, dixiſſe, eos pridie Cal. Apriles Bal-

becum perveniſſe. Multi ſunt in praedicanda humanitate, qua recentes advenae ab incolis accepti ſunt. Sed exitum tradunt coeptis tam praeclaris haud reſpondiſſe. Qua late patet orbis terrarum, nulla eſt, his Anglis auctoribus, natio, quae benignae voluntatis caritatisque et munificentiae et officiorum erga hoſpites demonſtrandorum liberalitate ſtudioque orientales vincat: contra ea, iisdem ſi credimus auctoribus, neceſſe eſt, nihil eſſe usquam gentium atque locorum, quod ad eorundem orientalium impudentiam ſordesque accedat, quippe quos munera decuplo pretioſiora exigere, et invitis atque negantibus vi extorquere, nil pudeat. Norunt igitur et illi quoque noſtris hominibus non ignotam comitatis nundinationem, quam a naturae diſciplina inſitam, non acceptam ab Europaeorum habent contagione. Illa enim eorum vitae morumque feritas proxime ad primigeniae barbariei ferocitatem et immanitatem accedens, eos ab omni ſenſu honeſtatis removit atque ſeiunxit, neque ſivit unquam intelligere, vitam, quae quidem humana, neque prorſus belluina ſit, carere iis officiis nullo modo poſſe, quae ſocietas civilis mutua hominibus imperat, alias ſe ſolos reſpicere, et ad ſe referre omnia ſolitis.

Bocat *) regio illa, in qua oppidum ſitum eſt, quod toties et diximus, et dicendum habemus, vocatur, et in longitudinem prope ad mare usque a Caecia ad Africum porrigitur, in latitudinem ab Antilibano ad Libanum, ad quatuor fere leucas extenditur. A fluuiis rigatur duobus, uno Litane, altero Barduni dicto, quorum ille, ſub radicibus Antilibani ad nonnullum a Balbeco ſeptentrionem verſus ſpatium ortus, alius cuiusdam rivi acceſſione augetur, qui ipſa Balbeci moenia lambit, Raſoleyne, ſ. *caput fontis*, dictus: (oritur enim ille rivus e fonte pulcherrimo:) hic,

*) Vocabulum hoc eſt Arabicum, ſignificans planitiem in humili ſitam loco, arboribus conſitam, rivisque redundantem, quod Graecis λειμὼν aut ἕλος, noſtratibus *Aue*.

hic, Barduni, autem Libano ad octavam ferme a Balbeco leucam, ad oppidi Africum, enatus, fere ad milliare infra vicum, cui Barillae nomen eſt, in Litanem infunditur. Ad quos unum in rivum congreſſos alii poſtmodum minores rivuli accedunt, qui a liquefactis Libani nivibus generati, facili negotio ita derivari poſſent, ut et agris irrigandis, et oculis oblectandis inſervirent. Omnes tandem in unum fluvium Caſimiat dictum confluunt, qui prope Tyrum in mare exit. Magnam fuiſſe Tyro, cum adhuc opibus et commerciis et fama floreret, cum Balbeco neceſſitudinem, et vicinia locorum, et opportunitas ſuadet, quae eſt tanta, et tam in oculos clare incurrens, ut fieri nullo modo potuerit, ut ea vetuſtos illius tractus lateret incolas, iique illa ſuam ad rem uti nil curarent. Populum ſcilicet, navigiis mare exercentem, et quaeſtui ſervientem, eundemque callidum, et orae maritimae incluſum anguſtiis, aut non vidiſſe tantam camporum finitimorum opportunitatem, aut viſam neglectui habuiſſe, id vero credibile erit, aut conſentaneum? Ex quo recte videmur coniicere, quum affirmamus, illas hominum catervas, mercium commutandarum cauſa peregrinantium, quas Caravanas vocant, a Tyro Palmyram, et illinc porro in univerſum orientem commeantes, planitiem Balbecenſem, ipſamque adeo Balbecum traieciſſe. Nam in extrema parte huius vallis Balbecum, acclivi loco in ipſis radicibus Antilibani ſita, prominet. Eiusmodi autem plagam, neceſſe eſt, cum per ſe ipſam amoenam eſſe, tum vero hoc amoeniorem, quod Balbecum media inter duas illas tractus eius opulentiſſimas urbes, Damaſcum et Tyrum, ab utraque pariter denis ſenis leucis diſtat. Incolarum ad quinque millia videtur complecti, in quibus etiam Graeci et Maronitae Chriſtiani non multi, et Iudaei item, omnes, ut eſſe par eſt nullam artem quaeſtumque nullum exercentes, miſere egeni et mendici. Caeterum dubium non eſt, Balbecum veterem Heliopolim eſſe.

De parietinarum reliquiis, quas ibi offenderunt, tam liberaliter iudicant Noſtri, ut haud diſſimulent, ſibi videri, ſi cum ruderibus plurimarum veterum urbium Italiae, Graeciae, Aegypti et Aſiae, quas ipſi peragraſſent, Balbecina comparentur, haec omnium, quae unquam vidiſſent, luculentiſſima eſſe documenta ſummae audaciae, ad quam ars architectonica in exaggerandis ſubſtructionum molibus eniti queat. Atque ob id ipſum ſe tanto magis mirari aiunt, cum aetatem tam firmorum, et ad munitionem, et ad durationem operum; tum architectorum et auctorum nomina, tantis tenebris obruta latere potuiſſe, ut ne diligentiſſima quidem indagatione hoc conſequerentur, ut lectoribus utramque rem ſcire cupidis omnino ſatisfacere potuerint. Ita, cum, quod ipſis temporum iniuria negaſſet, id nec aliis impertiri poſſent, in hoc uno elaborant, ut, cum lectoribus illa, quae in vetuſtis monumentis evolvendis exhaurienda eſt moleſtia ac taedio, levatis, fructus illius diligentiae, quam in eruenda prima harum ruinarum origine poſuiſſent, communicarent.

Ac principio quidem attingunt, iidemque refutant, fabulam illam, inter omnes illius tractus incolas, cuiusque perinde fidei, pervulgatam, qua Salomo, ut Palmyram, ita et Balbecum, easque ſubſtructiones, quarum ibi adhuc conſpiciuntur reliquiae, condidiſſe traditur. Maiori quidem veriſimilitudine poſſent illa tanta opera ad Phoenicas auctores referri; quos conſtat Solem pro numine domeſtico veneratos eſſe, cui etiam numini dedicatum erat templum illud, quod hodieque Balbeci maximum decus ſupereſt, et in quo deſcribendo princeps huius operis pars verſatur. Balbecanos cultui ſolis deditos praeterea oſtendit ipſum nomen Balbec, quod quidem ſedem ſive vallem Baalis ſignificat; Baalis autem nomen orientalibus ſolem deſignat. Teſtatur idem graecum nomen, eiusdem cum Aramaeo ſignificationis; quod novum graecum nomen quanquam in annalibus aliquamdiu ita dominatum eſt, ut vetus nomen primigenium, in libris quidem editis, prorſus

ſus

Digitized by Google

ſus obſcuraret et loco deiiceret; tantum tamen non valuit, ut e vita et uſu hominum indigenarum tolleret, ſed ad extremum, graeca lingua vernaculae rurſus cedere coacta, Arabibus Syriae imperium capeſſentibus, illud vetus primigenium et domeſticum iterum emerſit, et poſtliminio quaſi ad iura ſua rediit. Auctores noſtri libri coniiciunt, Heliopolitanos Phoenicas cultum ſolis ab Heliopolitanis illis Aegyptiis adſciviſſe, eiusque illas religiones adſperſione quarundam Punicarum nonnihil variaſſe. Addunt, dudum ante Aegyptiacam Heliopolim conditam, apud omnes Arabiae populos cultum ſolis obtinuiſſe. Nos loco ſuo, cum illuc pervenerimus, oſtendemus, quid id fuerit, quod Anglos in eam opinionem deduxit, ut cauſam conſenſus totius orientis in ſiderum cultum, a natura et ingenio ſoli, quod obſident, arceſſerent.

Nunc ad Phoenicas revertimur, quos paullo ante dicebamus, e cultu Solis ipſis patrio, videri poſſe, nonnulla cum veri ſpecie, auctores fuiſſe illorum aedificiorum, de quibus hic ſermo eſt. Verum cum in columnis aliis illa ratio, qua conſtat Ionas primos uſos eſſe; in aliis ea, qua Corinthios, appareat: huius quoque ſententiae robur concidit, neque monumentorum iſtorum origo ſuperare poteſt eam aetatem, qua imperium Graecum per Aſiam ſuperiorem obtinuit. Iam vero cum per totum illud ſpatium, quod inde usque ab Alexandro ad Pompeium pertinet, altum de rebus huius terrae apud Hiſtoricos ſilentium ſit: maiore cum probabilitate eorum origo iis potius temporibus tribuitur, quibus Syria Romanis paruit, quam illis vetuſtioribus, quibus Seleucidas habuit dominos.

Hic erunt fortaſſe, quibus Angli ſibi ipſis contraria dicere videantur, illi puta, qui e primi voluminis lectione meminerint, eos, ne minima quidem Palmyrae in hiſtoriis mentio cum fiat, nil tamen ideo minus affirmare dubitaſſe, eam iam ab infinitis retro temporibus opulentiſſimam civitatem fuiſſe. Quibus quidem ſic occurrunt, ut Palmyrae urbis, ab omni paene reliqui generis humani commercio

ſepa-

ſeparatae, rationem multum diverſam rationi Balbeci fuiſſe oſtendant. Nos, qui nolimus noſtrum hac de quaeſtione iudicium interponere, alienum a noſtro inſtituto arbitramur, argumenta utriusque partis diligentius perſequi.

Angli igitur citato curſu nos velut abreptos in illa recentiora tempora detulerunt, quibus Romani Syriae imperarunt: inde tardius procedunt, quod memoriae Balbeci nunc incipiunt crebriores, illuſtriores, et certiores fieri. Nam exſtant nummi Heliopolitani cum titulo: *Colonia Iulia;* alii, quibus inſcriptum: *Colonia Iulia Auguſta.* E quibus nummis quanquam parum tuto colligatur, Iulium Caeſarem aut Auguſtum colonias veteranorum eo miſiſſe: tanto tamen haec ſententia, ſi quis eam tuendam ſuſcipiat, minus infirmari poteſt, quod Imperatoris Philippi nomen praeferentes nummi Heliopolitani inveniuntur cum inſcriptione: *Colonia Heliopolitana Legiones V. Macedonic. VIII. Auguſt.* Quarum ambarum earundem legionum nomina praeferunt nummi Beryteni, Auguſto imperante cuſi. Quos nummos Berytenos, una cum illis Heliopolitanis, ſi cum loco quodam Strabonis conferas, quo Agrippa duas legiones Beryto collocaſſe dicitur, non plane nihil eſt cauſſae, cur quintae Macedonicae et octavae Auguſtae pars una Beryto attributa, altera Heliopoli dicatur.

In aede Solis aut Beli, quae erat Balbeci, reſponſa dabat conſulentibus oraculum percelebre, quo fertur etiam Imperator Traianus veniſſe, de ſucceſſu belli, a ſe adverſus Parthos ſuſcepti, interrogatum.

Sunt nummi Imp. Hadriani, in quibus haec verba leguntur: *Leg. H. Col. H.*, quae fuere qui ſic interpretarentur: *Legio octava Colonia Heliopolitana.* Quam explicationem licet in medio relinquamus, nam pro vera venditare profecto non lubet: non ex eo tamen conſequetur id, ut ad Hadrianum auctorem moles Balbecenae referendae ſint: quamvis illum amantem aedificandi, eaque in re ſuperiorem omnibus Impp. Romanis, ſive anterioribus, ſive poſte-

poſterioribus, quorum nemo fuit, qui magnificentia et numero nobiliſſimarum ſubſtructionum eum vinceret.

Hunc exceperunt Antoninorum tempora, quibus plerique aiunt Lucianum vixiſſe, in cuius operibus libellus habetur de dea Syra: cuius tamen libelli an Lucianus auctor ſit, adhuc dubitatur. Obiter in hoc, brevibus, iisque obſcuris verbis, cuiusdam templi et numinis mentio fit, quae Auctor ille, quisquis fuerit, ait, ſi famae vulgari credatur, Heliopoli Aegyptia in Phoeniciam translata eſſe. Negat ille quidem ea oculis a ſe uſurpata; certo tamen alias ait ſibi conſtare, maieſtate operis, et vetuſtate atque celebritate religionis venerabilia eſſe. Quodſi ergo libellus hic Luciani eſt; ſi Lucianus Antonino Philoſopho, eiusque filio Commodo, aequalis; ſi idem de templo Balbecenſi loquitur; ſi denique teſtimonium Malalae alicuius momenti eſt; (quae omnes conditiones cum dubiae per ſe ſunt, tum acerrimis controverſiis exagitatae:) neceſſe eſt, templum Luciani, ab hoc Balbeceno diverſum eſſe. Sed de teſtimonio Malalae videamus. Quid ille? hoc nempe: Antoninum Pium Heliopoli, prope Libanum Phoeniciae, Iovi templum, quod in miraculis univerſi orbis terrarum habeatur, extruxiſſe. Quod cum unicum ex omni antiquitate teſtimonium de auctore illius templi Balbecenſis ſit, in quod iniuria temporum minimum ſaeviit; dignum illud eſſe videtur teſtimonium, cui aliquantum inſiſtamus.

Elegantia igitur artium et litterarum, et ſtudium earum rerum omnium, quae illam elegantiam perficere, aut acuere et excitare poſſent, illo temporis ſpatio, quod a Pompeio ad Imp. Antoninum Pium exiit, apud Romanos ſummum faſtigium conſecutae erant. Horum itaque tantam ingenii elegantiam, et cognoſcendi ardorem tantum, fieri non potuit ut cuiuscunque tandem terrae res, nedum Syriae, fugerent. Atque ita ob eam ipſam cauſam fieri nequiit, ut aut hiſtoricos, aut phyſicos illorum temporum, opus tam mirandum neglectum et inobſervatum lateret. Quid igitur? Plinius, et alii, qui de templo Dia-

Digitized by Google

nae Epheſiae, aliisque monumentis tot, tam ſplendida praedicant, quae tamen ad maieſtatem operum Balbecenſium nullo modo accedunt, haec omnino ſilentio involvunt; videnturne quicquam unquam de his fando accepiſſe? aut, ſi accepiſſent, diſſimulaſſe? an potius omnino ea opera tum nulla adhucdum fuiſſe? Iam illud certum et controverſiae exemtum eſt, monumentum Balbecenſe hoc noſtrum, de quo agitur, templum puta Iovis, Imp. Caracallae temporibus iam extitiſſe. Nullo igitur pacto infra Antonini Pii aetatem deprimi poteſt. Sed hiſtorici nihil de templo Iovis ad Balbecum ab Antonino Pio dedicato tradunt? iidem nempe, qui de rebus eiusdem Pii paene nihil. Hic ille eſt Imp. cuius imperium obſidet una foeda lacuna, facile illa princeps, in illis lacunis, quae poſterioris Romani imperii res ex hominum memoria foedum in modum ſuſtulere. Praeter id unum enim, quod per unum et viginti annos bene reip. traditur praefuiſſe, aliud paene nihil eius inſigne factum novimus. Porro quoque ratio architecturae illa, quae ſub hoc Imperatore uſitata erat, illi, quae adhuc in Balbecenſi templo cernitur, ad amuſſim reſpondet. Tandem neque aetas, quae Malalam tulit; neque patria, et ſedes, quae hominem tenuit; neque ſacra, quae ſecutus eſt, quidquam ei adverſari, aut de eius in teſtimonio dicendo fide detrahere poſſunt. Etenim in ipſo curſu narrationis deflectit paulum ad mentionem Balbeci, quam ita facit, ut appareat, eum rem commemorare, a ſe alienam, quae ſic ſe, ſeciusve habeat, nihil ſua interſit. Ipſi in Syria aetatem agenti non multo poſt ea tempora, de quibus hic loquimur, nil erat cauſſae, cur falſa de hac re memoriae proderet, aut ornando Pio ſtudioſiorem, quam par eſſet, ſe praeberet. At Capitolinus in iis ſtructuris, quas Antonino Pio tribuit, de hoc templo plane tacet? Tacet ille quidem: verum levitas et ieiunitas eiusmodi opellae, qualis eſt expoſitio Capitolini de rebus geſtis Antonini, ne minimum quidem pondus habet ad diſertum Malalae teſtimonium infirmandum.

Proxi-

Proximus ab Antonino Pio in Imperatoribus eſt Septimius Severus, in monumentis Balbeci adhuc ſuperſtes. Hic primus in numis ſuis templum Heliopolitanum inſculpi iuſſit, et, ut Ulpianus, Syrus, Tyro oriundus teſtis eſt, eandem Heliopolitanam civitatem iure Italico impertiit. Superſunt etiam in pulcherrima porticu templi duae columnae, quarum tituli tempora huius Imperatoris produnt. Legimus eos ambos pagina ſecunda a decima ad hunc modum: (cum enim ambo paene iisdem verbis concepti et exarati ſint, ſatis eſt alterum afferri exemplum:) MAGNIS DIIS HELIOPOLITANIS PRO SALVTE ANTONINI PII FELICIS AVGVSTI ET IVLIAE AVGVSTAE MATRIS DOMINI NOSTRI, CASTRORVM, SENATVS, PATRIAE — — — *) DVM ER IN MVRO IN LVMINA SVA PECVNIA EX VOTO LIBENTI ANIMO SOLVIT.

In imagine aere expreſſa haec tantum verba inveniuntur: *dum er in muro in lumina;* quae Angli editores interpretati ſunt: *dum erant in muro inluminata;* quanquam ipſi ſenſum eius ſententiae ſe videre negant.

Poſſemus quidem ſatis habere, ſententiam Anglorum auctorum, aut, ſi mavis uni Wodio in acceptis referre, de auctore templi Balbecenſis attuliſſe, eiusque argumenta breviter perſtrinxiſſe: quid tamen obſtat, quo minus, qui in hoc loco verſemur, vel obiter noſtrae quoque opinionis nonnihil adſpergamus, quae templum hoc a Septimio Severo extructum eſſe nobis perſuaſit? Inſcriptio modo allata; patria ipſi Severo, cum uxore, et univerſa gente communis; beneficia, quibus cum tota Syria, imprimis Heliopolim ille Imperator affecit; Heliopolitani templi veluti dedicatio, quam ille in ſuis numis fieri curavit, qua eius memoria ad ultimam poſteritatem tradita eſt: haec intelligit antiquitatis ſcrutator, tam clara velut et ſublata voce clamare, monumenti huius auctorem Severum, ut

Eeee 2 nullae

*) Ex altera inſcriptione haec lacuna vocabulo *capita* ſarciri poteſt.

nullae unquam nugae monachi, praeſertim eius, a cuius ſtupiditate fabellae aliae ſimiles magno numero effuſae ſint, eos clamores ſint obſcuraturae atque exſtincturae.

A Severo inde hiſtoriae de rebus Heliopolis prorſus tacent, usque ad Conſtantinum M. quem Chronici Paſchalis auctor ait templum Heliopolitanum Chriſtianorum ſacris deſtinaſſe. Habet ille locus, qui de hac re agit, nonnulla, quae non praeteriri conveniat. Verum brevitate noſtra excluſi, ſatis habemus, digitum quaſi illuc intendiſſe.

Qui ſtatus Balbeci ſub Imperatoribus chriſtianis fuerit, memoriae proditum non eſt. Nomina quidem quorundam epiſcoporum et martyrum paſſim locorum occurrunt: verum haec nullius momenti, et, ſi fas eſt dicere, putamina ſunt iis, qui nucem quaerunt, neque meram nominum inanitatem, ſed rerum veritatem et momenta diſcere ardent. Neque maiorem ex Turcarum rebus lucem attulerunt. Hoc unum eſt, quod illi inde repetiere: cum novo Saracenorum imperio, etiam vetus nomen urbis Balbec rediiſſe, adverſario, Heliopoli puta, quaſi e ſubſelliis aut arena depulſo; tum, Chalifas templum moenibus et vallis circumiectis arcem effeciſſe.

Haec fere ſunt, quae Angli noſtri de rebus veteris Balbeci ex omni memoria collegerunt. Adiungunt iis ſub finem quasdam ſuas obſervationes, partim illas ex iis ductas, partim iis accommodatas: quarum hic unam ſolam repetere iuvat, illam puta, de origine divini cultus, quo Syri, aliaeque finitimae gentes, ſolem et caetera ſidera proſecutae ſunt.

Praeter nomen Baal, ſ. Bel, quo ſolem illi ſignificabant, cui noſtrum Meiſter, ſive Herr, reſpondet, magnificentia quoque cultus, quam Belo exhibebant, tum ſacrificia humana, quae ei offerri religio ſanciebat, indicio ſunt, orientales plus metu eorum malorum, quibus ab eo ſe cruciari credebant, coactos, quam amore adductos, Soli divinos honores habuiſſe. Perpetui enim, indomitique

aeſtus

aeſtus ſolis, cum homines infeſtant et angunt, tum maturitati frugum obſunt. Contraria ratio eos rurſus impuliſſe videtur, ut ſidera minora venerarentur, amor nempe et admiratio, quae maiore vi animos hominum, quam timor, ſibi obſtringunt et devinciunt. Iam inde ab ultimis temporibus, et valetudinis cura, et oblectationis ſtudium, in vitam induxit, ut aeſtivas noctes in tectis aedium degerent, quae tecta plana ſunt, loricis quaſi quibusdam diſtincta, quae aedes quasque vicinas ſeparant. Quae ratio ſub dio cubandi noſtris Anglis mirifice placuit, iisque cum et ad requieſcendum captandamque recreationem accommodatiſſima, tum ad delectationem viſa eſt ingenioſiſſime excogitata. Ita enim homines et aerem frigidum integrumque hauriunt, et terrenorum vaporum ſordibus nondum contaminatum, et tuti ſunt a culicum morſibus. E ſomno evigilantibus identidem nova ſpectacula occurrunt, et tacita ſolitudo ut animum ad meditandum invitet, neceſſe eſt. Et ſane Angli negant usquam terrarum, noctu, aut pulchriorem coeli, aut foediorem terrae ſpeciem ſibi oblatam, quam in Arabiae deſertis. Vaſta enim et immenſa horrorisque plena ſolitudo, arboribus omnino omnibus deſtituta, ubi nil aquae, nil vallium, nil montium, nulla plane ſpectaculorum varietas, oculos peregrinantium feſſos iam, a moleſtiisque itineris ſimplicitate adſpectus taedii triſtitiaeque plena, magis fatigat. Contra ea in arridentem ipſi, velut picturam, coeli intuens, quae circa ipſum quaſi in orbem vertitur, temporum ſpatia dimetitur, viam pergenti monſtrat, veſtigiaque ambulantis dirigit, quanta, neceſſe eſt, ut gaudia animo concipiat! quanta voluptate reficiatur! Quae cum ita eſſent, fieri aliter non potuit, quin ſpectaculum tam admirabile, Arabum nimis vegetam facileque incaleſcentem phantaſiam, ab admiratione modum excedente ad ſuperſtitioſam eorum admirationem abriperet, eam praeſertim phantaſiam, quam coecis actam quaſi ſtimulis affectuum, nulla prudentiae conſilia gubernarent. Quo etiam minus mirandum, eorum vicinos, Iudaeos,

 quibus

quibus idem ingenium, iidem mores, eadem inſtituta eſſent, a ſimili furore in transverſum eſſe actos. Univerſe Angli rationem ſuperſtioſarum religionum, quae genti cuique propriae et ſuae fuere, ex ingenio regionis cuiusque, fructuum, quos ſolum quodque fundit, et facultatibus, quibus incolae polleant, caeterisque rebus, quae cuique propriae ſint, affirmant repetendam eſſe.

Brevitas inſtituti noſtri non patitur, ut de imaginibus aere excuſis multum praedicemus, aut maieſtatem et artificia architecturae, quae in iis ab intelligentibus animadverti facile poſſint, verbis extollamus. Quare eius artis amatores ad ipſum opus ablegamus, hoc ipſis adfirmantes, in eo ſex et quinquaginta imagines caelo ductas reperturos eos eſſe, ſed plenas illas architecturae miraculis, ſi quidem teſtimonio tam prudentum, tam doctorum, tam denique candidorum Virorum, atque ſunt Wodius et Dawkinſius, fides haberi poteſt. Et poteſt certe.

BRITANNICARUM GENTIUM HISTORIAE antiquae Scriptores tres: RICARDUS CORINENSIS, GILDAS BADONICUS, NENNIUS BANCHORENSIS. Recenſuit, Notisque et Indice auxit, CAROLUS BERTRAMUS, Societ. Antiquarior. Londin. Soc. etc.

Havniae, imp. Editor. 1757. plag. 18. octonis.

Quoniam pauca ſunt, quae Auctor in praefatione de vita ſcriptisque horum Hiſtoricorum in medium attulit, ablegabimus, ſi qui plura cognoſcere cupiant, ad *Voſſii* Opus de Hiſtoricis Latinis. Atque *Richardus* quidem, de quo Voſſius in Lib. III. cap. 2. exponit, monachus Weſtmonaſterii Benedictinus, tantum in rebus Angloſaxonum colligendis induſtriae poſuit, tantamque conſecutus eſt famam, ut Chronographi nomine ornaretur. Exſtat aliud eius opus, *Speculum hiſtoriale*, quod ad Hengiſti,

giſti, Saxonis, in Britanniam appulſu incipiens, usque ad annum vigeſimum ſecundum Eduardi III. progreditur. Iam vero *Bertramus* aliud etiam opus ex codice deſcripſit editque hoc libro, *de ſitu Britanniae*, in duas partes diviſum: in quibus de ſitu Britanniae, et ſtationum a Romanis in ea inſula aedificatarum, exponitur. Eodem loco inſeruit V. Cl. mappam Britanniae, faciei Romanae, ſecundum fidem monumentorum perveterum depictam, et raritate atque antiquitate, ut ipſe quidem teſtatur, Ricardi commentarios longe ſuperantem. Hanc mappam ipſe radio incidit laminae aheneae Bertramus.

Alterum locum occupat GILDAE Sapientis *de excidio Britanniae liber querulus*, variis lectionibus Thomae Gale additis. Eſt hic liber, ſatis tumido et tragico ſtilo conſcriptus, tributus in capita viginti et ſex. Quae in eo proponantur, intelligent lectores ex argumento, illi praemiſſo, quod huc transferimus: De calamitatibus et praevaricationibus civium: de exulatione Britonum, et duris oppreſſionibus eorum, et quam doloſe Romani eos ſibi ſubegerint, et quam bellicoſe ipſis diutius reſtiterint; et quomodo Romani poſtremo eis praepoſitos vectigales praefecerint, ità ut non Britannia, ſed Romana inſula vocaretur, et omnis moneta auri, argenti, et aeris, imagine Caeſaris notaretur: quo tempore Chriſtus in mundum venerit, et quanta perſecutio tempore Diocletiani emerſerit: quantum martyrum gloria tunc Britannia effloruerit: qualiter gens Britonum Imperatores Romanos attriverit. Fuit hic Gildas, de quo *Voſſius* in Lib. II. cap. 21. multis diſputat, Iltuti Morganenſis diſcipulus, et Bannochorenſis monachus atque Abbas, et ab eodem Voſſio, vir, ut ſummae eruditionis, ita fidei ac ſanctimoniae praecellentis, appellatus. Alias Bertramus aliquoties errores Gildae notavit, quanquam illum magis nimio zelo coecutientem, quam malo conſilio Britannorum honorem violaſſe, arbitratur.

Ultimo loco poſuit Auctor NENNII Banchorenſis *Eulogium Britanniae*, ſive *Hiſtoriam Britonum*. Vixit hic Nen-

Digitized by Google

Nennius, de quo praeter Auctorem idem Voſſius in Lib. II. cap. 24. quaedam affert, Elbodi Epiſcopi diſcipulus, et monaſterii Banchorenſis antiſtes, circa medium ſeculi noni, et poſteritati hiſtoriam, ex annalibus traditionibusque Romanorum, Scoto-Hibernenſium et Saxonum compoſitam, tradidit. Verum, cum haec hiſtoria in manus Samuelis Beulani, Britanni, incideret, atque hic non ſolum fabulas aniles adderet, ſed ea quoque, quae ipſi minus probarentur, omitteret, dedit illud potiſſimum operam Auctor, ut ſpuria loca Samuelis a genuinis Nennii diſtingueret. Emendavit etiam multo ſtudio plurimos numeros, qui in Nennii opere corrupti occurrunt. Addidit quoque Bertramus varias huius libelli lectiones, a Thoma Gale e diverſis codicibus excerptas. Quod vero ad adnotationes ipſas Bertrami attinet, ſunt illae breves quidem, ſed quae horum Scriptorum libellos bene illuſtrant. Praeſertim illud ſibi propoſuiſſe Editor videtur, ut, quae ab his referantur, teſtimoniis Graecorum et Latinorum, vel confirmaret, vel refutaret, etſi non meminimus multa nova ab eo addita legere. Videntur nobis ex animadverſionibus prae aliis memoranda, quae pag. 147. de opinione veterum, Britanniam eſſe ultimum terrarum orbem: pag. 150. de longitudine Britanniae: pag. 152. de variis Britanniae nominibus: pag. 155. ſeq. de origine nominis Britanniae et Albionis, protulit. Nam, quod ad hoc quidem attinet, coniicit, nomen e lingua incolarum vernacula originem trahere, atque Britannicum totum eſſe: peregrinos advenientes, ad quaeſtiones incolis aut Gallis datas, reſponſa accipientes, inde ita appellandi occaſionem ſumſiſſe, cum eorum linguam Phoenices calluiſſe non ſit veriſimile, atque ſignis ideo mentem ſuam ut explicarent, fuerit neceſſe. Sic manu ſignificantibus Britanniam, nomenque ſciſcitantibus alios, eos *altas rupes* cretaceas intellectas credentes, reſpondiſſe *Alben*, vel *Brytin;* atque ea ratione ex vocabulis *Al*, *Alp*, *Ben*, *Pen*, *Bryd*, *Pryd*, *Bryt*, *Tin* vel *Dyn*, diverſos ſignificatus admittentibus, plurimas alias pro diverſitate

verſitate ingeniorum, quibus reſponſa data fuerint, oriri potuiſſe rerum et regionum appellationes, pro nominibus inſulae habitas, et auctoritate deinde donatas. Sic, Hiſpanis, digitis terras trans fluvium ſitas annuentibus, et primum regionis nomen quaerentibus, Indos reſpondiſſe: *Peru*, quod forte nomen huius fluvii fuerit, aut aquam denotaret: nihilominus tamen hanc regionem nomen hoc accepiſſe et retinuiſſe. Neque abſimilem eſſe originem nominis *Iucatan* et *Paria*.

ILLYRICI SACRI TOMUS I. ECCLESIA Salonitana ab eius exordio usque ad Saeculum quartum aerae Chriſtianae, Auct. DANIELE FARLATO, Presbyt. Societ. Ieſu.

Venetiis, 1751. apud Sebaſt. Coleti, Alphab. 2. plag. 19. Ternion. in fol.

Magni opus ingenii, multi laboris, copioſae doctrinae, plurimique in hiſtoria eccleſiaſtica uſus, noſtris Lectoribus indicamus. Ceperat iam ante Auctorem, *Philippus Riceputus*. Presbyter Societ. Ieſu, cum in Dalmatia verſaretur, hiſtoriae eccleſiaſticae Illyricae conſcribendae conſilium, multumque in archivis Dalmatiae excutiendis, rebusque huc pertinentibus colligendis, collocaverat ſtudii temporisque. Atque hic quidem, ne quid ad perfectam rerum Illyricarum cognitionem deeſſet, hiſtoriam hanc ab ultimis temporibus repetere, ſedulove omnia, quae ad illam illuſtrandam ſpectarent, exponere, rerum omnium et temporum viciſſitudines commemorare; et cum res eccleſiaſticas cum civilibus tam arctis vinculis coniunctas eſſe videret, ut harum cognitione deſtitutus perfectam illarum intelligentiam aſſequi non poſſet, utriusque hiſtoriae doctrinam coniungere, atque etiam exterarum gentium hiſtoriam, affinitate quadam cum Illyrica coniunctam, non leviter attingere ſibi propoſuerat. Quare et indefeſſo ſtudio bibliothecas et chartophylacia ex-

ploravit, atque, quos ibi ſuis uſibus inſervituros cenſebat codices diligenter evolvit, et cum antiquorum, tum recentiorum hiſtoricorum libros, Martyrologia, Acta Martyrum, Chronica, Collectiones Conciliorum, Geographos, Chronologos, Genealogos, accurate perveſtigavit. Quantam vero ex ineditis et editis Scriptoribus copiam congeſſerit, ex eo facile iudicari poteſt, quod moriens bibliothecam Illyricam manuſcriptam, CCC. Voluminum numerum excedentem, reliquit. Neque hoc ſolum conſilium a Clemente XI. et Innocentio XIII, ſed a Benedicto XIV. quoque mirifice probabatur, adiuvabatur, omnibusque modis promovebatur. Quo factum eſt, ut Philippus, qui in hoc campo latiſſime excurrere cupiebat, immenſum aliquod animo conciperet, totamque hiſtoriam in XVIII. voluminibus proponere conſtitueret. Quemadmodum vero Bellarminum, cum de Rosweydi conſilio, vitas Sanctorum omnis aetatis, ſexus, nationis ſcribendi, atque ſimul de aetate Rosweydi, qui iam annos XL. natus tum erat, certior factus eſſet, dixiſſe ferunt, ſatisne ei eſſet exploratum, ſe annos CC. vivendo eſſe ſuperaturum? neque enim minori ſpatio temporis unum hominem tantam rem perficere poſſe: ſic idem fortaſſe cuilibet, immenſam rerum a Reciputo digerendarum et exponendarum copiam intuenti, quaerere in mentem veniat. Suſcepiſſe enim profecto maiora videtur, quam humanarum virium imbecillitas ſuſtineat, longeque plura concepiſſe animo, quam vitae brevitas praeſtare poſſit. Quare etiam accidit, ut, cum ob alia impedimenta, tum propter praematuram mortem, dulci laborum fine Riceputus careret. Nam praeter Martyrologium Illyricum, Acta Sancti Petri Urſeoli, et Commentarios de baptiſmo Conſtantini Magni, nihil abſolutum et perfectum reliquit. Ne tamen, quam ille parens et ſoſpitator hiſtoriae Illyricae rerum plurimarum, ad tale opus conficiendum pertinentium, collegerat, vis et copia omnino periret, aut in tenebris lateret, ſuſcepit *Daniel Farlatus*, eorum, quae ille inchoata reliquerat,

per-

perficiendorum in ſe provinciam. Hic igitur, qui ſe annos viginti in his ſtudiis conſumſiſſe, operamque aſſiduam Riceputo dediſſe fatetur, cogitata et coepta illius exſequi et perficere conſtituit. Neque vero ſolum uberrimam rerum civilium Illyricarum hiſtoriam, ex ea rerum copia, quam reliquerat ille, contexendi ſpem facit; ſed etiam hiſtoria eccleſiaſtica iam edita laudandum ſui conſilii et propoſiti ſpecimen dedit. Diſceſſit vero ab ea, quam Riceputus propoſuerat ſibi, Illyrici ſacri partitione, omnemque hiſtoriam eo ordine, quem ſeries et ſucceſſio Epiſcoporum poſtulet, ordinandam et digerendam cenſuit. Hac ratione Auctor ſingulis eccleſiae cuiusque Epiſcopis, omnia, ſive Synodica, ſive Hagiologica, ſive Coenobitica ſubiicit. Atque haec rerum tradendarum via multo nobis facilior, lectoribusque iucundior videtur ea, quam Riceputo inire placuerat. Ille enim primum res geſtas antiſtitum Illyricorum, deinde Acta Conciliorum, et Legationum Apoſtolicarum, quae ad Illyriam pertinent, tum vitas Martyrum ac divorum, denique hiſtoriam coenobiorum ſcribere conſtituerat. At tali modo omnia, rerum ac temporum continuatione coniuncta, ſuisque locis apte inſerta, uno quaſi obtutu intueri licebit, quae alias nobis per plura volumina diſperſa conquirenda fuiſſent. Laborem quidem, et Riceputi induſtriam, magno ſibi adiumento fuiſſe, Auctor gratus profitetur; ſed ita tamen illius collectaneis ſe uſum eſſe ait, ut omnia diligenter denuo recognoſceret, expenderet, ad fontes, ex quibus ſingula hauſta, recurreret, et multa, quae deeſſent, adderet. Eſt vero antiquorum temporum Illyriae hiſtoria admodum inops, et de rebus eccleſiaſticis Salonitanis usque ad ſeculum fere quintum nihil prope memoriae proditum, ſi Acta S. Domnii, S. Donati, Confeſſoris, et S. Anaſtaſii, martyris Salonitani, atque nomina Epiſcoporum Salonae, a Catalogis Pontificialibus aſſervata, excipias. Nam perſecutio Diocletiani, irruptiones barbarorum, et incendium everſioque urbis, tam publica quam privata monumenta exſtinxerunt et

diſperſerunt. Quare aliunde Auctor ad explendam hanc ingentem lacunam opem petere neceſſe habuit. Petiit vero primum ab hiſtoria univerſali eccleſiae et imperii, a primo ad quartum ſeculum deducta, ita quidem, ut, quae in republica Chriſtiana maxime memorabilia acciderint, ad Chronologiae leges exigeret, quae cuiusque Epiſcopi Salonitani temporibus reſponderent, ea cuiusque nomini ſubiiceret, atque inde coniecturis efficeret, quid quisque praeclari geſſerit. Hic igitur multa de adverſis ſecundisve totius eccleſiae, de Romanis Pontificibus, de Imperatoribus, iisque praeſertim ex Illyrico oriundis, et vel adverſis vel addictis Chriſtianae religioni, de perſecutionibus, de controverſiis et haereſibus illis temporibus prognatis, admiſcuit, eaque brevibus commemoravit. Deinde ex hierarchia, diſciplina, re critica, et chronologia eccleſiaſtica, intexuit Auctor plurima hiſtoriae Salonitanae, iisque inopiam illius reſarcivit et ſublevavit. Tertius denique fons, ex quo Auctor multa ſe hauſiſſe fatetur, ſunt Acta quorundam martyrum ac divorum. Sed cum haec ex omnium iudicio atque opinione interpolata corruptaque ſint, nec apte ad eorum, quae praeferuntur, nomina referri poſſint, venit Farlato in mentem ſuſpicari, deliteſcere in illis quaedam, aliis rebus immixta et cum iis commutata, ex hiſtoriis deperditis Illyricorum martyrum et antiſtitum. Dalmatia enim crebris barbarorum irruptionibus vexata, multos, vel omnes potius codices diſperſos diſſipatosque fuiſſe: eos vel incolas, fuga ſibi conſulentes, in alia loca tranſtuliſſe, vel eos ipſos, qui Dalmatiae imperio potiti, tabularia compilaſſe, atque inde in varias regiones pleraque aſportaſſe: ex his vero codicibus multos, vel rerum nominumque ſimilitudine deceptos, vel mala fraude agentes, plurima, quibus ſuorum martyrum hiſtorias ornarent illuſtrioresque redderent, ſumſiſſe. Memorabile exemplum de Georgio Palaeſtino, in quo ſibi Auctor tale quid inveniſſe videtur, infra afferemus. Vidit autem ipſe, rem eſſe hanc aleae et periculi plenam: quare cum

timide

timide et dubitanter illam aggreſſum ſe, tum parce admodum illis uſum eſſe ſubſidiis, profitetur. Deceſſit etiam Auctor aliquoties a propoſita materia, et iucunda excurſionibus doctis lectoribus diverticula facere voluit. Sic diſputat de inſtitutione Apoſtolica Metropoleon, de tribus antiquiſſimis Patriarchis primariis, de Primatibus et Vicariis Apoſtolicis, et aliis, quae deinde indicabimus. Toto quidem in opere elucet amabilis quaedam modeſtia, ſibi plerumque diffidens, multa lectorum arbitrio relinquens, non plus novis ut opinionibus concedatur poſtulans, quam rationes et coniecturae, quibus res quaeque ſuffulciatur, mereantur, ſaepiſſime ſuam aſſenſionem cohibens, et rem relinquens in medio. Eſt denique ſcribendi genus ſatis elegans, et quod veterum auctorum diligentem lectionem redolet. Sed iam ſatis multa de conſilio et propoſito Auctoris diximus. Venimus nunc ad ipſum opus.

Primum, ne rudis lector et ignarus rerum univerſalium Illyriae et Dalmatiae ad hoc opus accedat, praemittit Auctor Prolegomenon partes tres, in quibus generales quaedam notiones de ſtatu cum eccleſiaſtico, tum civili harum regionum, proponuntur. Prima igitur pars Illyricum complectitur, et in quinque capita deſcripta eſt. Horum primo de origine nominis et generis Illyrici, de finibus Illyrici propriis et primigeniis, de prima Illyrici populatione, Hylli regno, interitu, ſucceſſoribus, exponitur. Arbitratur enim Auctor, aliorum de conditore Illyrici opinionibus refutatis, Illyricos primigenios ab Hyllo Pelasgo, Herculis Pelasgi ex Melita filia, Nauſithoi regis Phaeaciae filio, Hyllinisque et ortos et denominatos fuiſſe. Herculem, cuius ſub fabularum involucris aliqua veritas lateat, poſt Hiſpanienſem et Gallicam expeditionem, in Italiam ad Evandrum veniſſe, deinde eam regionem adiiſſe, quae multis ſeculis poſt pars Macedoniae fuerit, et poſtea Epirus nova dicta ſit, nunc Albania dicatur. Ibi quod Dyrrhacho auxilium adverſus hoſtes tuliſſet, haud exiguam regni partem pro mercede ab illo acce-

 piſſe.

piſſe. Appianus vero etſi hanc regionem non deſignet, veriſimile tamen eſſe, illam partem fuiſſe regni Dyrrhachini, quae ab occaſu Drilonem inter Naronemque continetur. Nam Cadmum, cuius regnum iure haereditario Dyrrhachus acceperit, apud Encheleos ibidem regnaſſe, et Hyllum in iisdem ſerme locis Hyllinis imperaſſe, a multis Scriptoribus tradi. Hyllum, ab avo Nauſithoo dimiſſum, magnam Phaeacum coloniam abduxiſſe in donatam a Dyrrhacho regionem, ibique tum regni ſui, tum Illyrici primigenii fundamenta, ieciſſe. Atque ab his Hyllinis Illyrici nomen quoque originem traxiſſe. Nam cum gens et regio Hyllinorum tot variationes nominis ſubierit, ut illam Hyllos, Hyllinos, Hylleos, Hylleidas, Hyelles, Hylleicos, Hyllicos appellarent, facilem etiam ex Hyllinis in Illyricos commutationem fieri potuiſſe. In cap. II. quomodo Liburni expulſis Graecis Illyricum occupaverint, commemoratur, doceturque, quale fuerit genus Liburnorum, qui eorum in Illyricum adventus, quomodo imperio maris Adriatici potiti, ſocietatemque maritimi imperii iinxerint cum Etruſcis, quomodo denique ſenſim paullatimque eorum copiae atque opes terra marique decreverint, valdeque ſint deminutae. Cap. III. Celtarum in Illyricum, et Siculorum in Adriaticum mare, adventum proponit. Videmus hic Celtas, Liburnos ſuperantes expellentesque, regiones Illyrico finitimas, ipſumque Illyricum occupare; Siculos maris Adriatici imperium Tuſcis ac Liburnis adimere, cum Illyricis Celtis foedera inire, et colonias in Illyricum deducere; Dionyſium ſeniorem maris imperium, et ius Adriaticae navigationis, cum portoriis, vectigalibus, quaeſtubusque omnibus, qui ex maritima dominatione perciperentur, ſibi vindicare; Illyricos cum Macedonibus bella gerere, fines regni ultra Drilonem usque ad Ceraunios montes proferre, multasque ſuo imperio provincias adiicere, cum Moloſſis pugnare, Amyntam regno expellere, de Macedonibus victoriam reportare, cum Philippo Macedonum rege parum feliciter

feliciter bella gerere: videmus porro res geſtas et fata Illyricorum regum, Bardytis, Cliti, Glauciae, Agronis, Pinei, Pleurati, Gentii; videmus denique regni Illyrici interitum. In Cap. IV. et V. Auctor ex Appiano, Polybio, Dione, hiſtoriam Romanarum adverſus Illyricos expeditionum contexit, copioſeque de provinciis Illyrico additis, eiusque finibus, ad Septentrionem et Orientem latiſſime propagatis, diſſerit. Addit tandem Illyrici hodierni deſcriptionem, et deinde de variis Illyrici diviſionibus exponit. Altera Pars Prolegomenon Dalmatiam complectitur. In cap. I. (de Dalmatia antiqua,) origo et initium nominis Dalmatici, fines Dalmatiae primigeniae, et diviſio tripartita Illyrici regii, liberi, tyrannici, a Schymno Chio, illo, qui fere uno ante Chriſtum ſeculo oras maritimas iuſſu Nicomedis, Bithyniae Regis, luſtravit, verſibusque Graecis deſcripſit, tradita, explicatur. Quam quidem diviſionem Auctor non cum aetate Schymni congruere, ſed ad ſuperiores aetates referendam eſſe, atque cum anno ante Chriſtum natum CLXXX congruere, variis argumentis adductus exiſtimat. Exponit quoque V. Cl. hoc loco cauſas, cur Dalmatia ab aliis prima pars Graeciae, ab aliis regio Italiae appellata ſit. Arbitratur autem, quemadmodum pars ultima Italiae, quae ad meridiem ſpectet, quod Graecis urbibus et coloniis plena fuerit, quod Graecorum ſtudiis atque inſtitutis floruerit, quod Graeca lingua ſit uſa, ab antiquis magna Graecia appellata ſit: ſic etiam Dalmatiam, quae iam inde a principio Illyrici nominis colonos Graeci generis exceperit, cum in inſulis, tum in ora maritima conſidentes, ac deinde, ſub Imperio Romanorum coniuncta cum Illyride Graeca, hinc ſibi et affinitates hoſpitiique neceſſitudines conciliaverit, et novos incolas adiunxerit, et Graecorum linguam moresque adſciverit, merito partem Graeciae haberi, et Graeciae nomine inſigniri potuiſſe. Alteram appellationem inde originem traxiſſe putat, quod Praefecto Praetorio Italiae Illyricum ſuberat, et ſaepius accidit, ut

regio-

regionum finitimarum, ſive ob mutua utriusque gentis commercia, ſive ob colonias ultro citroque miſſas et acceptas, verba chorographica inter ſe commutarentur. Cap. II. populos Dalmatiae antiquae ante nomen Dalmaticum exortum, Neſtos, Manios, Autoriatas, et Ardiaeos, ante oculos ponit. Cap. III. de multiplici propagatione nominis et generis Dalmatici, et hodiernis Dalmatiae finibus; atque Cap. IV. de multiplici diviſione Dalmatiae, agit. Cap. V. Dalmatiam hodiernam, montes, fluvios, lacus, oras et urbes maritimas, atque mediterraneas urbes et regiones, deſcribit. Cap. VI. naturam coeli ſolique indolem, mores, rem militarem, bona ingenia, optimarum artium ſtudia, et pietatem religionemque Dalmatarum complectitur. Cap. VII. inſulas Illyrici maritimi, Iapydicas, Liburnicas, Dalmaticas, mare Adriaticum, illiusque varia nomina et dominos, commemorat. Venimus ad tertiam Partem Prolegomenon, in qua Auctor propius ad rem propoſitam accedit. Eſt haec Pars in duas Sectiones diviſa, quarum altera de Illyrica et Dalmatica, altera de Salona et eccleſia Salonitana exponitur. In cap. I. de originibus Apoſtolicis eccleſiae Illyricae et Dalmaticae diſputatur. Inquirit Auctor primum, an Petrus Illyricum et Dalmatiam adierit? Ipſe vero vix dubitari poſſe pronuntiat, quin Petrus aliquando ſive Romam proficiſcens, ſive inde in Orientem revertens, in itinere Illyricum et Dalmatiam acceſſerit, iisque gentibus lucem evangelicam impertierit. Deinde diſputat ſuper loco Paulli in epiſt. ad Roman. *ab Hieruſalem per circuitum usque ad Illyricum replevi Evangelium Chriſti.* Naſcitur enim quaeſtio, excluſeritne Illyricum Paullus, an incluſerit regionibus illis, quibus a ſe doctrinam Chriſti illatam eſſe dicit? Auctor quidem Paullum hoc potius, quam illud dicere voluiſſe, haſce ob rationes exiſtimat. Paullum hoc loco duo praedicationis ſuae Evangelicae terminos ſtatuere, Hieroſolymam et Illyricum: aut igitur utrumque, aut neutrum illius peregrinationibus eximendum eſſe. Iam vero Paullum Hiero-

Hieroſolymis Evangelio praedicando operam dediſſe, negari non poſſe; quare neque, Paullum Illyricum adiiſſe, negandum eſſe. Vix quoque dubitari poſſe, quin Paullus, cum in Graecia et Macedonia verſaretur, pro ardore illo toti orbi terrarum Chriſtianam religionem tradendi, proximas Illyrici regiones adierit. Denique hoc etiam a graviſſimis auctoribus, Hieronymo, Gregorio Nyſſeno, Aſterio, Petro Damiano, affirmari tradique. Poſt quaerit Auctor, an alii quoque ex Apoſtolis ad converſionem ſalutemque Illyricorum aliquid contulerint? Affirmat vero hoc de Iacobo, Andrea, et Matthia. Porro diſcipuli, ſive Chriſti, ſive Apoſtolorum, qui apud Illyrios rem Chriſtianam amplificarint, commemorantur in Cap. II. Quare de Apoſtolatu Illyrico Clementis, Lucae, Apollinaris, de aliis e Chriſti vel Apoſtolorum diſciplina cultoribus Evangelicis in Illyrico, ut Timotheo, Marco, Fortunato, Epaeneto, Andronico, de S. Tito et Herme, Apoſtolis et Epiſcopis Dalmatiae, de S. Domnio, diſcipulo Petri, Apoſtolo Dalmatiae, et primo Salonarum epiſcopo, plurima dicendi Auctor occaſionem nanciſcitur. In Sect. II. cap. I. quaecunque ad Salonam pertinent, proponuntur: illius origo et nomen, ſitus et opportunitates, opulentia, dignitas, varia eaque adverſa fata, ſtudiumque Romanorum in augenda et ornanda urbe Salonitana. In Cap. II. quaerit Auctor, quem gradum in hierarchia Pontificali S. Domnius et eccleſia Salonitana obtinuerit? Quam ad quaeſtionem diſcutiendam latius quidem evagatur, et ſimul complura de Hierarchia eccleſiaſtica epiſcoporum et eccleſiarum, ordinibus quatuor diſtincta, (de tribus Patriarchis, de tribus Exarchis, de Metropolitis et Epiſcopis, de vocabulis Hierarchiae Pontificalis,) in medium affert. Quod vero ad quaeſtionem illam attinet, videtur Auctori Eccleſia Salonitana ab initio fuiſſe Metropolis, et S. Domnius eiusdem primus Epiſcopus, iure ac poteſtate metropolitica praeditus. Dalmaticam enim eccleſiam inſtitutam fuiſſe ad normam eccleſiarum Graecarum et orientalium, inter quas

multae erant Metropoles. Zoſimum Pontificem Max. in iis litteris, quas A. CCCCXVIII. ad Heſychium Salonitanum epiſcopum dederit, clare atque perſpicue oſtendere, eum iure et poteſtate metropolitica praeditum fuiſſe: iubere enim eum, cui non unam Parochiam, ſed integram provinciam adſcribat, erga Epiſcopos ſibi ſubiectos, litteris pontificiis ad eos mittendis, officio Metropolitae fungi. Porro, cum Apoſtoli, qui ex Iudaica Republica formam et exemplum eccleſiaſticae Hierarchiae deſcribendae ſumſerint, in iis potiſſimum civitatibus Metropoles eccleſiaſticas fundarent, in quibus frequentiſſimae eſſent Iudaeorum ſynagogae cum provinciali ſynedrio: nihil prohibere, quominus et Salonae, ubi frequentiſſima Iudaeorum colonia, Metropolis eccleſiaſtica condita ſit. In ſacello denique Lateranenſi Venantiano videri effigiem S. Domnii, pulcherrimo veſtitu Epiſcopali et pallio Pontificio ornati, quod inſigne poteſtatis metropoliticae ſit. In Cap. III. agit Auctor primum de antiquis eccleſiarum diptychis, ex quibus catalogos veterum Epiſcoporum depromtos eſſe conſtat: deinde de variis Catalogis Epiſcoporum eccleſiae Salonitanae, nempe Salonitano, Acutheano, Ponzoniano, Romano: poſtremum de fragmentis quibusdam Catalogi Pontificalis Salonitani, et Chronico Pontificali, cum Spalatenſi, tum Salonitano. Adſperſit quoque alia, de nomine Confeſſoris, de differentia inter Chronicon et Catalogum, atque talibus, lectu non iniucunda. Haec de Prolegomenis, quae dimidiam huius voluminis partem occupant. Ad ipſam nunc eccleſiae Salonitanae hiſtoriam accedimus.

Viſum eſt Auctori, antequam de ipſis Epiſcopis exponeret, praemittere hiſtoriam S. Titi et Hermis, Dalmatiae Apoſtolorum, et praecurſorum S. Domnii, primi Epiſcopi Salonitani, in decem Capita diviſam. In Cap. I. proponuntur teſtimonia et elogia Titi, Dalmatiae Apoſtoli et Epiſcopi Cretenſis, ex Martyrologiis, ex epiſtolis Paulli ad Corinthios et Galatas, ex Scriptoribus eccleſiaſticis,

tam

tam antiquis, quam recentioribus, excerpta. Cap. II. complectitur teſtimonia, et Paulli ex epiſt. 2. ad Timotheum, et aliorum veterum recentiorumque de Dalmatico Titi Apoſtolatu. In Cap. III. Acta Titi ex Menaeis et Menologio Graecorum, ex oratione Andreae Cretenſis de laudibus Titi, ex Petro de Natalibus, Epiſcopo Equilino, colliguntur. Cap. IV. continet animadverſiones in Acta et Elogia Titi; deinde diſputationem de genere et patria Titi, quam cum aliis Cretam exiſtimat; de converſione ad Chriſtum; et de officio interpretis, quo Titus functus ſit. Quaeſtionem hoc loco propoſitam, fueritne Titus e numero LXXII. diſcipulorum, Auctor affirmat, et oſtendit, Titum multo ante Epiſcopum creatum fuiſſe, quam in Dalmatiam profectus eſſet. Cap. V. exponit Auctoris ſententiam de titulis ac poteſtate Titi in Dalmatia. Demonſtrat vero primum, Dalmatiae Apoſtolum optimo iure Titum appellari, quoniam non in itinere, ut Paullus et Petrus, ſed Paulli miſſu, ac dedita opera hos populos Chriſtiana doctrina imbuendos inſtituendosque ſuſceperit; eundemque Epiſcopi a Paullo delegati officio apud Dalmatas functum eſſe, et Epiſcopi regionarii Dalmatiae munus et nomen ſuſtinuiſſe, neque tamen Epiſcopum Salonae, neque Archiepiſcopum, ſive Metropolitam Dalmatiae, appellari poſſe. Cap. VI. eſt Chronologica disquiſitio de Epiſcopatu Dalmatico Titi. Ad quaeſtionem, quo Chriſti, quove ſuae aetatis anno, ille hanc Dalmaticam expeditionem ſuſceperit, et quo tempore ab illa redierit? reſpondet Auctor, veriſimile ſibi videri, illum XLIII. annos natum, et exeunte anno Chriſti LV, aerae vulgaris LII. Dalmatiae eccleſiam gubernandam ſuſcepiſſe; hanc provinciam anno Chriſti LXII. depoſuiſſe, atque tali modo per annos amplius quinque Dalmaticam eccleſiam obtinuiſſe. In Capite VII. disquiritur, quo tempore prima et ſecunda Paulli ad Corinthios epiſtola ſcripta ſit. Perſuaſit ſibi Auctor, Paullum cum utrisque litteris Titum ſemel atque iterum ad Corinthios ablegaſſe, unum fere annum inter epiſtolam

 utram-

utramque interceſſiſſe, et, primam quidem ad Corinthios epiſtolam, ſcriptam non eſſe poſſe ante annum Chriſti LIV. alteram vero ſcriptam ex Macedonia anno LV. Appendicis loco addit Auctor ſuam de epiſtola ad Galatas coniecturam, quam vel anno LII. conſignatam, vel certe ad inſequentem annum referendam eſſe, cenſet. Cap. VIII. continet disquiſitionem Chronologicam de ſecunda ad Timotheum epiſtola: et Cap. IX. de epiſtola Paulli ad Titum. Illa Auctori e primis vinculis Paulli, haec poſt ea data videtur. Cap. X. mortem, ſepulchrum, reliquias, dies feſtos Titi proponit, et pulchra aliquot loca, ex oratione, ab Andrea Cretenſi ipſo Titi feſto die recitata, excerpta, animadverſionibusque Auctoris illuſtrata, continet. Accedit Chronotaxis Actorum Titi, omnia complectens, ſuisque ſingula temporibus diſpertiens, et copioſa de S. Herme, altero Domnii praecurſore, diſputatio. Multis praecipue de rebus praeclare in Dalmatia ab Herme geſtis, et tempore, loco, atque occaſione ſubeundi martyrii, Auctor diſſerit. His expoſitis progreditur V. C. ad S. Domnium, primum Salonitanorum Epiſcopum. Cuius in hiſtoria exponenda ita verſatur, ut in Cap. I. teſtimonia ex variis Scriptoribus de illo excerpta; in Cap. II. usque ad VII. vitam illius ab Heſychio, Adamo Pariſienſi, Luca Gaudentio, et aliis incertis deſcriptam, animadverſionibusque a ſe illuſtratam; in Cap. VIII. animadverſiones onomaſticas in Acta Domnii; et in Cap. IX. animadverſiones chronologicas in eadem Acta, proponat. Pergit in Cap. X. ad Salonitanam aedem, virginis deiparae titulo per Domnium conſecratam; in Cap. XI. ad numerum ſociorum; in Cap. XII—XIV. ad primam, ſecundam, tertiam, quartam translationem Domnii; dum in Cap. XV. probet, illius corpus nunquam e Dalmatia Romam, vel alio, abductum eſſe. Denique in Cap. XVI. templum a Diocletiano Iovi dicatum, dein a Ioanne Ravennate Deo in honorem Mariae et Domnii conſecratum; in Cap. XVII. ſacros ac ſolemnes dies, quibus et olim certis temporibus, et hodie memo-

Digitized by Google

memoria Domnii Salonae, Romae, Spalati, et univerſa in Dalmatia renovatur; in Cap. XVIII. templum et cultum Domnii in inſulis Diomedaeis, ante oculos lectorum ponit. Admiſcuit etiam V. Cl. alia, cum Domnii hiſtoria aliquo modo coniuncta. Huc referenda ſunt, quae ille de aliquibus viris ſanctis, Domnii cognomine inſignitis; de publicorum templorum uſu, iam usque a primis eccleſiae temporibus repetendis, et aliis protulit. Domnii vitam excipit vita Caiani et Symphoriani. Exponitur in Cap. I. Diaconatus; in Cap. II. conſecratio Epiſcopalis; in Cap. III. Pontificatus Salonitanus; in Cap. IV. denique cultus illorum. Sequitur Heſychius I. et II. Hic Auctor ſuam de Chronicis Hiſpanienſibus ſententiam proponit, multisque falſo illa adſcribi putat, ut Flavio Lucio Dextro, Maximo Caeſaraugustano, aliis. Heſychios, nullo alio interiecto, S. Venantius excipit. Hic Noſter plurima commemorat de ſacello Lateranenſi, martyrum Dalmaticorum reliquiis inſigni, et triplicem illius deſcriptionem ex Caeſare, Cardin. Raſpono, ex Ioanne Campino, ex Oldoino profert, plurimisque animadverſionibus illuſtrat. Hanc vitam excipiunt vitae Honophrii vel Honorii I, Maximi I, Paſchaſii Caeſarii, Iuſtini I, Iuſtiniani, Antonini, Maximi II, Agapiti, Ioannis I. et Georgii, Epiſcopi Salonitani XVII. Suſpicatur Auctor, Acta Georgii Salonitani confuſa eſſe et permixta cum Actis S. Georgii Palaeſtini, Megalomartyris vulgo appellati: contineri enim in illis plura, ac longius inter ſe diverſa, quam ut in unum eundemque martyrem convenire poſſint, atque etiam aliqua narrari, quae aptius in Salonitanum quam Palaeſtinum congruere videantur. Ante Salonitanum quidem excidium utrumque Georgium bene diſtinctum, et Acta cuiusque pura et incorrupta fuiſſe: ſed Salonitanis urbis ſuae ruina oppreſſis, exſtinctis, fugaque diſperſis, atque eccleſiaſticis tabulis ſive accenſis, ſive diſſipatis, Georgii Salonitani memoriam exſtinctam, illiusque cultum vetuſtate abolitum, cum contra Palaeſtini fama atque nomen ubique effloruerit. Salona

na enim exciſa, et tabularum reliquiis in alias atque alias Europae regiones diſtractis, facile Actorum S. Georgii Salonitani unum alterumve exemplum in orientem perlatum, in eorum manus incidere potuiſſe, quibus magis Palaeſtinus, quam hic, cognitus fuerit: hos, cum et nomen Georgii praefixum, et aliqua viderent ſimilia illis, quae in hiſtoria Georgii Palaeſtini narrentur, in eam opinionem adductos fuiſſe, in eo exemplo Acta ſui Georgii deſcripta eſſe, et quae componi atque cohaerere poſſe cum Palaeſtino viderentur, e tabulis Salonitanis bona fide transtuliſſe. Eſſe vero primam huiusmodi Actorum permixtionem Graecis potius, quam Latinis auctoribus, adſcribendam: tum quod apud Latinos Salonitanus notior fuerit, et fama cultuque celebrior, quam ut illum cum Palaeſtino confundere potuerint; tum quod Actorum permixtorum latina exempla, quae quidem exſtant, Graecis permixtis multo recentiora videantur. Demonſtrat porro Auctor, permixtionem Actorum utriusque Georgii quadruplici discrepantia: de multiplici loco martyrii, et ſepulchri Gregoriani; de temporibus; de martyrio; de iudicibus, Georgiano martyrio praefectis, in hac hiſtoria occurrente. Ultimum denique huius Voluminis locum occupant vitae Theodori, Ioannis II, Frontiniani, Ioannis III, et Petri, Epiſcopi Salonitani, itemque alia quaedam de S. Anaſtaſio, de S. Donato, Confeſſore, et Anaſtaſio, martyre Salonitano. Accedunt denique praeter locupletem indicem tabulae aeneae XVIII: quarum I. Illyricum in univerſum, et hodiernum: II. Dalmatiam ſub imperio Romanorum: III. Dalmatiam Venetam: IV. et V. urbis et agri Salonitani Topographiam: VI. Salonam: VII. antiquos et recentiores Epiſcopatus provinciae ac Metropolis Salonitanae: VIII. aedem Metropolitanam Spalatenſem: IX. ſacellum S. Ioannis: X. turrim S. Domnii: XI. inſcriptionem ſepulchralem circa operculum arcae exterioris S. Domnii inſculptam: XII. inſcriptionem inſculptam in operculo medio arcae interioris S. Domnii: XIII. inſcriptionem inciſam

in

in marmore, quo pars anterior areae Domnii circumveſtita: XIV. inſcriptionem inciſam in tabula lapidea, affixa parieti a cornu Epiſtolae altaris S. Domnii: XV. altare et ſepulchrum Domnii: XVI. proſpectum interiorem Apſidis ſacelli Venantiani Lateranenſis: XVII. proſpectum inferiorem Apſidis ſacelli Venantiani Latoranenſis: XVIII. altare et ſepulchrum S. Anaſtaſii, exhibet. Haec de Volumine primo; proxime dicemus de altero.

ACTA IUBILAEI SECUNDI GYMNASII Gedanenſis, anno Domini MDCCLVIII. die 13. Iunii ſolenniter celebrati, publicis impenſis prelo ſubiecta.

Gedani, apud Thom. Io. Schreiberum, Alph. 1. pl. 10. tab. aen. 2. fol.

Peregit, non ſine magna laetitia, Gymnaſium Gedanenſe, cui cum omnes litterae, tum purior religionis Chriſtianae doctrina multum debent, ducenteſimum diem natalem, ſuaeque laetitiae et pietatis teſtimonia in hoc Libro extare voluit. In praefatione quidem, bene longa, non ſolum qua ratione dies hic muſis Gedanenſibus feſtus celebratus ſit, exponitur, ſed nomina quoque eorum, qui Gedanum magiſtratibus, conſiliis, doctrina iuvarint, hisque ſolemnibus vel inſtituendis, vel ornandis adfuerint, poſteritati commendantur. Hanc praefationem excipiunt variae diſſertationes, ea occaſione conſcriptae, ex quibus commemorandae nobis videntur hae. 1) Theſes Hunnianae de viribus hominis poſt lapſum in rebus ſpiritualibus ante converſionem, Praeſide *Erneſto Aug. Bertlingio*, S. Theolog. D. et Defenſore *Ephr. Ohlerto*, propoſitae. 2) Diſputatio de moroſa reſiſtentia, eodem Praeſide, a *Io. Gottl. Weinholtz* defenſa. Hoc verbo indicat illud Auctor, in quod Lutherana eccleſia culpam reiicit, cur tot homines in infelici peccatorum ſtatu remaneant, nec ab

ab aeternae damnationis ſententia liberentur. Sunt vero diſſertationis huius tria capita: quorum primo Auctor de difficultatibus, dubiisque per dogma de reſiſtentia moroſa tollendis, iisque rebus, quae in hac materia ſimul conſiderari debent, et altero de reſiſtentia moroſa ipſa diſputat: ubi duae quaeſtiones diſcutiuntur; quomodo gratia, et quid operetur, quae reſiſtentiam naturalem ſuperet? quomodo poſt ſuperatam reſiſtentiam naturalem nova reſiſtentia, eaque moroſa, poſſibilis ſit? In tertio capite variae quaeſtiones, per dogma de reſiſtentia moroſa ſolvendae proponuntur: cur alius convertatur, alius non convertatur? an repugnantia moroſa vinci poſſit? quid reſiſtentiam moroſam tollat, natura an gratia? 3) Diſſertatio *Gottl. Wernsdorffii*, Eloqu. P. P. de religioſis coenobiis antiquis. Exponit Auctor, quantum res humanae coenobiis antiquis debeant, et ex illis Chriſtianae doctrinae propagationem, virtutum exempla, librorum codices, bibliothecas, veteris aevi memoriam, quaslibet bonas artes, et litterarum ſcientiarumque conſervationem profluxiſſe, oſtendit. Ex coenobiorum latebris, ait, plerumque arceſſebantur, qui Chriſtianis coetibus praeeſſent, antiſtites: ſola Roma e Benedictina ſodalitate XXIV. praeſules accepit; hinc etiam petebantur, qui ad barbaras gentes doctrinae Chriſtianae docendae cauſa ablegarentur. Illis ipſis temporibus, quibus, extincto litterarum lumine, foediſſima barbaries omnia occupaverat, reliquiae tamen artium ſervabantur in coenobiis. Hic inveniebantur, qui legere, ſcribere, et hymnos modulari poſſent: hinc regii ſcribae, conſiliarii, et quaeſtores ſumebantur: neque extra coenobiorum clauſtra, templorumque cathedralium cancellos, uſpiam librorum copia, certe non penes privatum ullum, erat. Sed nulla unquam re magis coenobia reipublicae et coetui Chriſtiano profuerunt, quam ſcholis aperiendis, iuventute erudienda, maxime exercitationibus catecheticis inſtituendis. Verum non perpetua fuit coenobiorum haec gloria, quae inde a Seculo XII. ob varias cauſas, quas Auctor commemorat,

morat, ſenſim evanuit. Eleganter haec diſſertatio ſcripta eſt, et periucunda lectu. 4) *D. Erneſti Aug. Bertlingii* oratio, pro ſacris roſtris habita, ſatis diſerta. 5) *Gottl. Wernsdorffii* oratio ſaecularis, de Gedanenſis Scholae ſtudiis. 6) De incongrua praxi doctrinae iuris Romani, de reſtitutione in integrum ex capite metus et doli, diſputatio Praeſ. *Mart. Gottl. Pauli*, I. U. D. defenſa a *Ioach. Guilielmo Weickhmanno.* Quod primum ad definitionem reſtitutionis in integrum attinet, probat Auctor cum Valeriani et Gallieni AA. tum Iulii Pauli ſententias, quorum illi eam dicunt eſſe redintegrationem amiſſae cauſae; hic vero per redintegrandae rei vel cauſae actionem definit. In origine reſtitutionis in integrum eruenda ſequitur Auctor Ulpianum, lib. I. d. de in Integr. Reſtitution. De tempore vero, quo praeclara haec iuris honorarii pars fuerit introducta, aliquid certi ſtatui poſſe negat. Neque hoc mirum. Sunt enim reſtitutionis in integrum variae ſpecies, tempore diverſo receptae, et, cum non prius iuris publici vim auctoritatemque conſecutae ſunt, quam ſeſe ab inſigni ſua aequitate commendaſſent, pleraſque earum ſucceſſu demum temporis invaluiſſe, facile intelligitur. Pergit Auctor ad cauſas, ob quas Praetor reſtitutionem in integrum dat. Hic profertur et illuſtratur locus Iulii Pauli, Recept. Sentent. Lib. I. Tit. VII. §. 2. ubi cauſas reſtitutionis Praetoriae exponit. Deinde oſtenditur, quid ſit reſtitutio in integrum ex capite vis et metus, quando hoc iuris honorarii caput potiſſimum invaluerit, quibus in negotiis locum habeat? qualis debeat eſſe metus, qui reſtitutioni in integrum locum faciat? Nondum ſufficit, negotium, quod quis ob vim et metum reſcindi cupiat, eſſe ſtricti iuris negotium; neceſſe eſt potius, ut vis iniuſta ſit, atrox, quae contra bonos mores fiat, atque a parte eius, cui infertur, metum producat, non vanum, ſed qui cadat in hominem conſtantem. Qui metus, etſi lege generali decidi nequit, ſed iudicis arbitrio relinquendus eſt: ſunt tamen in iure iuſti metus exempla,

ut metus mortis, ſervitutis, carceris, cruciatus corporis, et ſtupri. Porro explicatur, quid ſit Actio quod metus cauſa? quid Exceptio quod metus cauſa? quid ſit dolus malus, et inde orta reſtitutio in integrum? quae origo reſtitutionis ex capite doli? Tranſit Auctor ad celebrem illam, multisque controverſiis agitatam quaeſtionem: utrum diviſio doli in eum, qui dat contractui cauſam, et qui incidit in contractum, in bonae fidei negotiis producat iurium diverſitatem, nec ne? Quam quidem quaeſtionem etſi Auctor diſſolvere non audet, Noodtii tamen ſententiae auctoritatem Ulpiani adverſari putat, illiusque medelam, loco Ulpiani adhibitam, tanquam nimis acerbam et crudelem, reiicere videtur. Venimus nunc ad caput ipſum diſputationis, nempe, praxin huius doctrinae iuris Romani incongruam eſſe. Ratiocinatur vero Auctor ſic: Ius Romanum in Germania tantum in ſubſidium eſt receptum, atque, etiamſi deficiant iura domeſtica, tum demum habet locum, ſi rerum publicarum noſtrarum conditio, quam a Romana multum eſſe diverſam conſtat, illius applicationem admittat. Nititur porro haec duplex reſtitutionis in integrum ſpecies celebri illa contractuum diviſione, in eos qui ſtricti iuris ſunt, et qui bonae ſunt fidei: eam vero et Noodtius iam obſervavit, naturalem rationem, qua una ius gentium cenſetur, non facere contractus alios bonae fidei, alios ſtricti iuris, ſed omnes bonae fidei eſſe putare, atque in omnibus bonam fidem deſiderare; et Germani, qui veritatem et ſimplicitatem in negotiis civilibus quam maxime amant et colunt, et omne, quod a fide Germana recedat, moribus ſuis indignum exiſtimant, illa Romani iuris diviſione poſthabita, unice ius gentium et naturalis aequitatis praecepta ſequuntur, atque omnes in genere contractus bonae fidei eſſe arbitrantur. Nullius igitur uſus in praxi et vita civili, doctrina de reſtitutione in integrum, ob metum et dolum, eſt cenſenda. Denique indicat Auctor remedia alia, quibus uti poteſt ille, qui hodie in quovis contractu dolo aut metu circumſcriptus

eſt.

Digitized by Google

eſt. Poteſt uti interdicto, unde vi, et quod vi aut clam: poteſt ex edicto divi Marci agere. Habet laeſus rei vindicationem, Publicianam actionem, et nullitatis querelam: habet exceptionem doli generalem, quae locum habet quotiescunque aequitas actori obſtat, et quae velut genus eſt, quod omnes reliquas exceptiones comprehendit. 7) Oratio Secularis *Chriſt. Sendelii*, Medic. D. in qua Auct. laudes doctorum medicorum, qui proximo ſeculo Scholam Gedanenſem illuſtrarint, enarrat. 8) *Beni. Groddeckii*, Gr. et OO. LL. P. P. diſſertatio, de veroſimillima vocis יובל ſignificatione. Hanc ſuggeſſit Auctori origo radicis יובל, quae in pulſu vehementiori ſita eſſe videtur, ex qua diverſae iſtae ſuccrevere notiones, effuſi impetus cum in fluvio currente, tum in aliis ſimilibus, in quibus eſt veluti colluvium et profluvium vehementius impulſum. Hinc coniicit Auctor, annum quinquageſimum, a ſolemni illa atque magna cum pompa ac velut impetu facta adductione libertatis, quae per univerſam terram tunc erat proclamanda, dictum eſſe יובל: atque igitur שנת יובל vi vocis eſſe annum adductorem, ſive adductoris, qui nempe libertatem, et quae cum eo coniuncta erant, univerſo populo publice adduceret. 9) *Eiusdem* oratio de anno iobelaeo Hebraeorum, eiusque inprimis ſcopo. 10) *Gottl. Wernsdorffii* diſſertatio, de verſibus, ut aiunt, politicis, et perverſa Romani metri in carminibus Germanicis imitatione. 11) *Eiusdem* diſſertatio de eloquentia corporis. 12) Diſſertatio de moribus iuventutis ſcholaſticae in Academia Attica, Praeſide *Gottl. Wernsdorffio*, defenſa a *Io. Dan. Schulzio*. 13) De tribus feris, quae in numis ſaecularibus Philipporum Augg. conſpiciuntur, diſſertatio, Praeſ. *Gottl. Wernsdorffio*, propoſita a *Io. Gottfr. Wachsmuth*. 14) Diſputatio de vi convertrice Spiritus ſancti, Praeſ. *Ern. Aug. Bertlingio*, habita ab *Ephraim Ohlerto*. 15) *Andreae Schotti* Analecta ad Athenas Gedanenſes. 16) *Michael. Chriſtoph. Hanovii* memoria Proto-Scholarcharum et Proto-Bibliothecariorum Gymnaſii Gedanenſis.

 17) *Hen-*

17) *Henrici Kühnii* diſſertatio, de commodis ex mathematicis et phyſicis diſciplinis in humanum genus redundantibus. Haec de prima huius voluminis parte. Altera continet litteras plerarumque Germaniae Academiarum, illuſtriumque ſcholarum, ad Gymnaſii Gedanenſis doctores, in quibus hunc diem illis fauſtum fortunatumque eſſe iubent. Quibus ſunt additae variae diſſertationes, ad hunc diem feſtum illuſtriorem reddendum ſcriptae, ut: *Io. Henr. a Seelen*, Gymn. Lubec. Rector. de Gymnaſiis, ad quae divinus gentium doctor, Paulus, 1 Timoth. IV, 7. 8. Hebr. V, 14. XII, 11. alluſit, γύμνασμα: *Andreae Schotti* memoria Theologorum, qui Gedani vixerunt, Semiſecularium: *Theodor. Ludov. Gralathii* de iucundo litterarum ac mercaturae vinculo commentatio: *Ephr. Krügeri* diſputatio de nervo Phrenico, Lipſiae habita, una cum oratione *D. Chriſt. Gottl. Ludovici*, de felici praeparatione ingeniorum ad Academica ſtudia in Gymnaſiis illuſtribus, eiusdemque programmate de via bilis cyſticae: *Io. Beniam. Schmidt* docta Commentatio, de ludis ſaecularibus Romanorum. Caeterum nos quoque, ut Deus opt. max. haec, pro ſalute, incolumitate, et flore cum univerſae reipublicae, tum inprimis ſcholae Gedanenſis, ſuſcepta vota rata et accepta eſſe iubeat, vehementer optamus.

GERARDI KULENKAMP V. D. M. AMSTELAED. *Διάκρισις modeſta Quaeſtionis Philologico-Hermeneuticae, nuper admodum motae, circa Ellipſin Litterae vel Particulae Interrogantis in Codice Hebraeo Biblico, num ea ſit omnino eliminanda et proſcribenda, an vero, ſed non temere, admittenda.*

Amſtelaed. ap. Iac. Loveringh, 1759. plag. 17. octonis.

In tria Capita omnis deſcriptus eſt liber. Primum duabus ſectionibus abſolvitur, quarum prior prooemii quaſi locum occupat: occaſio enim, ſcopus, modus, et

et ordo omnis libri, in ea ſiſtitur. Occaſionem quidem Ven. Auctor ortam ſibi eſſe ait, (§. 1.) ex ſuis in divinum Moſis Canticum, quod extat Deut. XXXII, patria, i. e. Batavorum lingua, commentationibus olim editis. Ad cuius Cantici quintum comma, quod iam multos criticos exercuit, eruditorum cum varias interpretationes exponeret, (§. 2.) novam quoque, qua Vir Ven. Collega Auctoris, *W. Koolhaas*, iam Linguar. et Antiquitat. apud Amſtelaedamenſes Profeſſor, huic obſcuro loco medelam afferre tentavit, obſervationem ſilentio praeterire noluit. Hic ſuam, cui calculum denegaverat noſter, ut defenderet ſententiam, (§. 3.) *Diſſertationem Philologico - Exegeticam* in lucem emiſit, *qua oſtenditur, quod in ſacro Codice Hebraeo non temere interrogationes admittendae ſint, ubi nulla extat interrogandi nota, nec indicium*: in qua tamen (noſtri verba ſunt) non, ut index diſſertationis promittit, tantum *interrogationes haud temere*, ſed *plane nullas* admittendas eſſe putat, niſi adſit interrogandi nota, vel expreſſa, vel repetenda: quod telum omnino in noſtrum Auctorem intenſum eſſe ſtatim intelligi poteſt.

Habes occaſionem ſcripti; accipe ſcopum, quem noſter exponit §. 4. 5. 6. hunc puta, ut antiquam de ellipſi litterae aut notae interrogationis Criticorum ſententiam contra novam, ut appellat, Koolhaaſii vindicet. Modus, quem in hoc ſuo libro obſervatum ſibi eſſe ait Ven. Auctor, §. 7. nullibi leges amicitiae violat, nec invectiva eſt noſtri in adverſarium oratio; quas leges, ne in poſterum migret, publice promittit, ſe nunquam reſponſurum eſſe amplius, etiam impugnantibus. §. 8. ordo libri exponitur; de quo antequam dicamus, monendum ducimus lectorem, omnem hunc librum, praecurſoriam tantum, ut Auctor appellat, univerſi operis, cuius praecipua pars nondum in lucem emiſſa eſt, ſectionem eſſe: in hoc enim, quem tractamus, libro, poſt generalia quaedam ad hanc quaeſtionem ſpectantia, quae ſecundum caput ex parte implent, invenies nonnulla de Ellipſibus in

univerſum; an illae omnes cum Wokenio e Cod. ſacro eliminandae? Quae ſequuntur, de ellipſi literae ה particulae interrogantis, agunt; deinde Koolhaaſii contra hanc ellipſin prolata argumenta examini ſubiiciuntur; tandem vindiciae ſententiae Auctoris traduntur, quibus omnis liber exit. Quae ſequi deberet libri ſectio, in qua ea loca, ubi noſter ellipſin τȣ ה, ille autem ironiam aut ſarcaſmum invenit, vindicanda a noſtro ſunt, in aliud tempus ſervatur.

Secundi capitis, quod ſtatim ex prioribus intellexeris, prima ſectio plane nihil habet, quod ad rem pertineat; hinc ſufficere arbitramur, indices locorum exponi. Docetur enim §. 2. reverenter literas ſacras tractandas eſſe; §. 3. ſtudii Philologici et Grammatici neceſſitas probatur; §. 4. regularum hermenevticarum ſerium inſtituendum eſſe examen; §. 5. de ſtudio Hermeneutico ſeculorum quinque priorum, §. 6. ſeculorum ſequentium usque ad tempora repurgatae eccleſiae agitur, et tandem §. 7. 8. quae exinde ad noſtram usque aetatem eruditorum praeſtiterit diligentia, exponuntur. §. 9. Vitanda monet Auctor Ven. praeiudicia, §. 10. tam alienae, §. 11. quam propriae auctoritatis, et novitatis pruritum; quibus expoſitis, ſecundi capitis prima Sectio abſolvitur; in qua quidem ea invenias, quae commode ab hoc libro abeſſe poterant. Ex iis enim, qui rationem interpretandi S. Codicem docent, libris, haec omnia ſingulis, qui ſe ad legendum hunc Auctoris librum bene inſtructos putant, ſatis ſuperque nota eſſe, non dubitamus.

Altera ſecundi capitis Sectio occupata eſt circa quaeſtionis ſtatum, ut Auctor appellat, et argumenta Koolhaaſii ponderanda, in cuius §. 1. obſervatur, primo quidem intuitu ſatis patere, de quo inter ipſos lis orta ſit, ſed ex adverſarii libello non ſatis conſtare, quatenus ipſum inter et *Boſtonum*, Eccleſiae Atricenſis apud Scotos Paſtorem, (in Tract. Stigmologico Hebraeo-Biblico, A. MDCCXXXVIII. edito,) conveniat, §. 2. quia ille non ſemper de ipſa disceptationis materia ſibi analogus eſt; et quod §. 3. accedit,

Digitized by Google

dit, a locis obſcurioribus abſtinere mavult, et ignorantiam profiteri, quam ellipſin τοῦ ה interrogantis admittere; quapropter §. 4. monet Auct. ſe iis non adnumerandum eſſe, qui interrogationes in codice ſ. fingunt, ſed §. 5. de eo ſibi diſputationem inſtitui, an plane nulla in eo admittenda ſit interrogationis ellipſis; quo facto §. 6. monet, a Koolhaaſ. tropos et figuras in ſubſidium vocari, ut eo melius ellipſes τοῦ ה ex codice ſ. eliminare queat. §. 7. in explicandis troporum et figurarum verſatur naturis. §. 8. primum, quod contra noſtrum adfertur argumentum, exponitur, quo negatur, interrogationem eſſe, ubi nullum ſit interrogationis ſignum, nec interrogationis ſono pronunciaretur; tropos autem et figuras, nimirum antiphraſin, ironiam, ſarcaſmum, cet., nonnunquam quidem ad interrogationem accedere, ſed neque interrogandi ſigno, neque pronunciatione, notari. Reſpondet noſter, hoc argumentum bifariam dividendum eſſe: priori enim loco negari, interrogationem eſſe, ſine ſigno interrogandi expreſſo; quod ipſum petitio principii ſit. De eo enim diſputari: an interrogationes in codice S. ſemper ſigno quodam notatae ſint; itaque hanc argumenti partem nihil probare. Secundum eius locum, qui de pronunciatione agit, confundit noſter teſtimonio ex Quinctiliano, et altero ex Auguſtino deſumto; qui uterque docet, ironiam pronunciatione intelligi; ſed veremur ut in eo erret Auct. non enim Koolhaaſ. negat, ironiam intelligi pronunciatione; diverſam tantum hanc eſſe ait a pronunciatione interrogationum, quod nec Quinctilianus, nec Auguſtinus, a noſtro in teſtimonium vocati, negant, et ipſa loquendi conſuetudo probat. §. 9. Ea codicis ſ. loca examini ſubiiciuntur, quae ſecundum Boſtonum non ſimpliciter et affirmative explicari poſſunt, quamvis nullum interrogationis indicium appareat, unde vel ad ironiam, vel apoſiopeſin, ellipſeos notae interrogandi hoſtes confugiunt. Primus ex his locis eſt 2 Sam. XVI, 17. ubi Abſolomus Chuſaeum,

Davidis

Digitized by Google

Davidis fugientis amicum, ad ſe venientem alloquitur: זה חסדך את־רעך, quae verba et Boſtonus et Koolhaaſius, non ſimpliciter accipi poſſe profitentur; ſed Ironiae vel Sarcaſmi ſpeciem in his agnoſcunt, et hic ita περιφράζει: *En egregium iam hic videmus ſpecimen ſtudii tui, vel benignitatis tuae erga amicum tuum.* Noſter autem non ironice accipienda eſſe haec verba, ſed interrogative, ex ſequentibus colligit; addit enim ſtatim Abſolomus: למה לא־הלכת את־רעך; in quibus interrogationem eſſe, particula למה ſatis demonſtrat: unde noſter argumentatur, ſi haec duo hemiſtichia in codice transpoſita legerentur, neminem dubitaturum eſſe; verba זה חסדך eſſe interrogationem continuatam antecedentis. Deinde noſtro quoque non conſentaneum videtur, Abſolomum in re tam dubiae et periculoſae aleae iocatum eſſe, ſed potius de Chuſaei in patrem perfidia haec indignatum pronunciaſſe, et ipſa pronunciatione et geſtu demonſtraſſe, factum Chuſaei ſibi non placere.

Secundus, quem profert Auctor, locus extat 2 Reg. XIX, 11. coll. Ieſ. XXXVII, 11, ubi ſunt verba ואתה הנצל; in tertio Ier. XXV, 29. ואתם הנקה תנקו; et in quarto Ezech. XXXIII, 25. legitur: והארץ תירשו, quae loca Koolhaaſio et Boſtono ad naturam interrogationum quam proxime accedere videntur, ſed tamen, cum particula interrogandi deſit, non interrogative, ſed potius per Ironiam vel Epanorthoſin explicanda. Noſter in iis ellipſin τοῦ ה interrogativi quaerit, itaque pro veris interrogationibus accipit. Sed expedita ſunt omnia, ſi, quod obſervavit cum pluribus Noldius, teneas, τὸ ו ſaepius interrogandi vim habere, ut adeo interrogationis ſignum hic re ipſa adſit. §. 10. reſpondet Koolhaaſius duabus obiectionibus, quarum prior deſumitur ex eo, quod nobis ignotum ſit, an Hebraei quaedam in codice ſacro loca tono interrogativo, an vero ironico pronunciarint; quae, ne ellipſin τοῦ ה admittere cogatur, tono ironico aut ſarcaſti-

co

eo potius, quam interrogativo, pronuncianda putat. Ne tamen per has ironias et ſarcaſmos aeque ac per interrogativae particulae ellipſes, ſenſus ſ. codicis incertus reddatur: urgente tantum neceſſitate, ad has figuras refugere ſuadet, §. 11. quod probare conatur ex loco Geneſ. XVIII, 12. ubi quidem verba Sarae היתה לי עדנה per ironiam interpretatur, tanquam a Sara ridente dicta. Noſter tamen negat, haec Sarae verba aliter ac interrogative accipi poſſe, ab ipſo ſcil. Deo, ſequenti commate, interrogative accepta: dicit enim Deus, Sarae ſermonem repetens: האף אמנם אלד ואני זקנתי. Quid? ſi היתה vertas *praeteriit;* tum nec interrogatione nec ironia opus fuerit. Deinde docet Ven. Koolhaaſius §. 12. nos non ſemper ea, quae interrogamus, interrogative exprimere; ſed apoſiopeſin adhibere, hanc: *hoc ſuppono, hoc ſpero.* Cuius rei teſtimonium profert locum 2 Sam. XVIII, 29. ubi David Ahimaazum victoriam ſibi nunciantem ita alloquitur: שלום לנער. Quo loco Koolhaaſ. ſupplet, *ut ego ſpero;* noſter autem ellipſin τῦ ה invenit, quod in commate 32. Davides ipſe addit, Chuſaeum alloquens: השלום לנער לאבשלום. §. 13. Auctor tandem ſecunda vice ſtatum quaeſtionis conſtituit ex concluſione adverſarii, quae eſt: *ſi verba accurate et ſtrictiſſime ſenſu ſuo grammatico accipiantur, vere nullas dari in ſacro codice interrogationes, niſi quae ornatae vel munitae ſunt particula interrogandi, aut ubi huiusmodi particula e praecedenti periodo eſt repetenda, et potius ad tropum refugiendum, quam ad ellipſin τῦ ה.*

Sequitur Caput III. et ipſum in duas deſcriptum Sectiones. Sub initium prioris iterum, quod non erat neceſſum, repetit Auctor, quaeſtionem eſſe, an plane nulla admittenda ſit ellipſis τῦ ה; ſimulque ordinem ſibi propoſitum exponit. §. 2. monet, ellipſin non adnumerandam eſſe ſoloeciſmis, vel barbariſmis, ideoque non omnem eſſe eliminandam, ſed potius neceſſariam eſſe, ut ex Graeca et Latina, quin et Belgica lingua, §. 3. appareat;

ergo nec ex Hebraea lingua eam exulare. §. 4. et 5. tranſitum facit ad ponderanda aliarum partium argumenta, e quibus §. 6. primum eſt hoc: cum Hebraeis ſint omnis generis particulae interrogantes, non neceſſe habent elliptico loquendi genere uti in interrogationibus. Reſpondet Auctor: huic argumento plane nullam ineſſe vim, quia per illud non negarentur omnes Ellipticae Hebraeae linguae dicendi rationes, ſed ſaltem hae, de quibus lis eſt; et hoc tamen argumentum contra omnes Hebraeae linguae ellipſes adhiberi poſſe; habet enim Ebraea lingua et alias particulas, verba et nomina; et nihilominus eorum nonnulla aliquando per Ellipſin omittuntur. Diſputatur deinde noſtrum inter et Ven. Koolhaaſium de vi interrogandi nonnullarum particularum, quam hic negat, noſter defendit. §. 7. de poteſtate interrogativa particulae אם, §. 8. de particula כי, §. 9. de vocula הן, ubi ſimul noſter locum 1 Sam. XXX, 8. profert, quem adverſario plane omiſſum, a Boſtono autem leviter tantum notatum dicit, et eum tanquam invictum ſcopulum omnibus ellipſis particularum interrogandi inimicis opponit. Nam quaerit hic David ex Deo: ארדף אחרי הגדוד הזה; quaerere autem eum indicat praecedens vox שאל, quam tamen τὸ ה interrogans non ſequitur. Subiungit huic loco alium Auctor Exod. VIII, 26. quem Boſtonus intellexit interrogative accipiendum eſſe, et, cum nulla adeſſet particula interrogandi, τῷ הן ſignificatum interrogativum tribuit; Koolhaaſius autem, cum ſua hypotheſi in anguſtias redactus, ait, hunc loquendi modum quam proxime accedere ad formam interrogandi; hoc tantum ſe velle, haec verba Moſis proprie non eſſe interrogativa; adeoque exinde non concludendum, vel voculam הן eſſe interrogativam, vel licere aliis in locis, ubi nullum adeſt interrogandi indicium, tamen ſenſum interrogantem admittere. Belle quidem ſibi diſtinguere videtur Koolhaaſ. non nobis. §. 10. Secundum, quod urget idem Vir contra noſtrum argumentum, de periculo codici ſacri

ex

ex hac ellipſi oriundo deſumtum eſt: haec enim, cum ſenſum literae ſaepe vertat in contrarium, anſam praebere videtur male ſentientibus, ſenſum codicis pro lubitu convertendi. Noſter autem hoc argumentum, cui maximam ineſſe putat ille probandi vim, ita removet, ut doceat, illud criticorum temeritatem coercere non poſſe; eſſe enim loca quaedam, in quibus haec ſenſus converſio omnino concedenda ſit; quorum numerus cum non conſtitutus ſit, hos criticos in multis ſaepe locis, in quibus ſenſus ipſis non ſatis commodus videtur, hanc ſenſum convertendi neceſſitatem invenire; deinde plus probari hoc argumento, quam ex Ven. Koolhaaſii re ſit; cum ipſe non omnino neget, eſſe in quibusdam locis, quanquam nota interrogandi deſtitutis, ſenſum convertendum; accedere, quod ne ſic quidem omnis ambiguitas tollatur, etſi ſenſum, niſi τὸ ה adſit, mutandum negemus: non enim ſemper patere, quae vis τῷ ה tribuenda ſit; quod manifeſtum fiat ex *Schultenſii* in Iobum commentario, qui varia loca Iobi, in quibus τὸ ה a pluribus interrogative explicatur, ſimpliciter interpretetur. Hinc colligit Auctor: non poſſe conſtitui legem, per quam non liceret ſenſum convertere in contrarium, niſi adſit τὸ ה; ſed ſingula potius loca accurate trutinanda eſſe, antequam de iis pronunciari poſſit; et tandem non omnes interrogationes ſenſum in contrarium convertere, quod probat §. 11. ex locis variis Quinctiliani, Longini, aliis, et §. 12. ipſius ſacri codicis. §. 13. reliqua, quibus Koolhaaſius pugnat, leguntur argumenta; tertium ab invidia et abſurdo; et quartum ab aliorum auctoritate deſumtum: quorum vim iure contemnit Auctor Rev. quintum a defectu ſigni interrogandi magnam inter Hebraeorum accentuum turbam, et ultimum ab eo, quod Hebraei non ſingularem verborum ordinem in interrogationibus obſervent, petitum, haec duo Auctor in ſequentem Sectionem illuſtranda ſibi ſervat.

Reſtat altera tertii capitis Sectio, in qua Auctor ea, quibus Ellipſis τῶ ה defendi poſſit, profert argumenta,

 quae

Digitized by Google

quae tamen, ut ipſe §. 1. fatetur, non apodictica gaudeant veritate. §. 2. primum, quo nititur, ellipticam linguae Hebraeae brevitatem fundamentum habet: ubi Auctori mirum videtur, eos qui concedunt, dari ellipſes frequentes apud Hebraeos, hanc tantum negare; praeſertim cum haec ellipſis nec in aliis linguis inuſitata ſit. Secundum argumentum ab Accentuationis Hebraeae ratione depromſit Noſter. Hic primum demonſtrat §. 3. in omnibus fere linguis dari ſigna diſtinctiva, prae reliquis autem Hebraeam iis abundare. §. 4. contra Boſtonum docet, ex accentuum poſitione iudicari poſſe de ellipſi τȢ ה interrogantis; hinc §. 5. multa de uſu Syntactico ſeu Grammatico, de Logico, de Muſico, tandemque de Tonico accentuum uſu diſputat. §. 6. de uſu accentuum Rhetorico Wolfii, Millii et Boſtoni exponit ſententias. §. 7. Hos varios accentuum uſus ſibi non oppoſitos, ſed ſubordinatos eſſe, et in Hermenevtica ſacra terminari ait, et §. 8. ex his colligit, non opus habere Hebraeos ſigno quodam ſingulari interrogationis, quia omnis accentus dominus ea vi gaudeat, miraturque, quomodo Boſtonus, qui de accentuum vi non dubitat, unum tantum eorum in interrogationibus uſum negare potuerit. Quod autem ſtatuit Auctor, certum eſſe, dari loca in codice ſacro non in ſenſu Grammatico et ſimpliciter accipienda, et in his accentus habere vim interrogativam; neque refugiendum eſſe ad ſarcaſmum, ironiam, etc. id nobis nequaquam probatur; quibus addimus plura in hac eius de accentibus diſputatione ſcita. §. 9. loca affert Auctor, ex quibus vim interrogativam accentuum docere laborat, enumeratque omnia ea, in quibus Koolhaaſius ſupra Ironiam aut Sarcaſmum etc. ſubſtituit. Sic v. c. 2 Sam. XVI, 17: τῷ Athnacho vim interrogativam tribuit, vultque Athnachum indicare ellipſin τȢ ה interrogativi. Undo autem intelligitur, Athnacho eſſe hanc vim hoc loco? In loco Gen. XVIII, 12. ſi noſtrum audias, interrogatio itidem ex accentibus intelligenda eſt. Tertium locum ſubiungit 1 Sam. XI, 12.

מי

מי האמר שאול ימלך עלינו. §. 10. alia adhuc profert loca Auct. in quibus ellipſin τȣ̃ ה interrogantis ſe inveniſſe putat, ut Num. XXIII, 19. Thren. I, 12. alia. §. 11. tertium pro ellipſi τȣ̃ ה interrogativi telum in adverſarios mittit Auctor; nimirum interrogationes Hebr. habere ſingularem quandam vocum diſpoſitionem, ex quibus dignoſci poſſint, exiſtimat. Limitationem quidem, et analogiam aliarum linguarum, exempla item ſubiicit; ſed anceps argumentum non reddit firmius. Tandem Auctor affectus, tonum, et geſtus loquentis in auxilium vocat, et primum §. 12. prolixe agit de lege illa interpretum ſat nota, accurate attendendum eſſe ad loquentis aut ſcribentis affectum; unde concludit: qui loquitur in affectu, is Ellipſes frequentes facit; itaque et particulam ה interrogantem omittit. §. 13. ex tono loquentis intelligi interrogationes Auctor obſervat, tonum autem ex affectu loquentis deducendum eſſe. §. 14. affectibus et tono, geſtus quoque oratoris addit, et iis interrogationes indicari putat; opinatur enim, multa loca tam perſpicua eſſe, ut ex iis geſtus, quibus orator in pronunciandis iis uſus ſit, intelligi queant: quod de vehementioribus animi motibus non negamus; ſed qualem nobis depinget Auctor geſtum, ab oratore in pronuncianda interrogatione adhibendum? §. 16. reſpondet iis, qui putant, ex geſtibus oratorum profanorum, quos attulit §. 15. non iudicandos eſſe geſtus oratorum ſanctiorum. §. 17. ipſum argumentum et ſchematiſmum orationis Auctor pro ſe facere putat: ſi enim locus, quem tractamus, convictorius ſit vel redargutorius; tunc ſtatim colligendum, eſſe in eo orationem concitatam, atque adeo abundare in eo tropos, figuras; frequentes ineſſe ellipſes, neque mirum eſſe, ſi τὸ ה interrogativum deſit. §. 18. toti denique libro et primae parti operis finem imponit.

Nos quamvis, in ſumma rei ab Auct. Ven. diſputatae, non abhorreamus ab eius ſententia, nec parvi faciamus eruditionis et modeſtiae in eo elucentis ſigna; tamen de-

 fenſam

fenſam ab eo τȣ̃ ה interrogantis ellipſin caute et prudenter indagandam, non liberali manu inſpergendam S. Codici exiſtimamus. Eundem agnoſcimus nonnunquam arma induiſſe imbecillia, et *nullos* ideo *habitura triumphos;* repetitionibus non neceſſariis et copioſa expoſitione rerum, quae tribus verbis tradi poterant, lectores fatigaſſe; denique ſcribendi elegantiam minus quam par erat curaſſe.

REGIAE ACADEMIAE LUNDENSIS HISTORIA, Auctore IOH. IAC. VON DOEBELN, Med. D. et Prof. Acad. Lundenſis Seniore, Regii Collegii Medici Aſſeſſore, Regiae Societ. Upſal. membro, Imperialis A. N. C. Collega.

Lundini, apud I. E. Brodhagen, Alph. 3. quaternis.

Maluimus librum hunc ſero ad nos perlatum, etiamſi iam ante luſtra aliquot prodiit, tarde commemorare, quam omnino tacere. Tribus partibus conſtat haec Hiſtoria: quarum *prima* fundationem, privilegia, conſtitutiones Regias, et alia monumenta, exhibet; *ſecunda* huius Academiae Cancellarios, Curatores, Procancellarios, Rectores, Prorectores laudat; *tertia* Profeſſorum vitas deſcribit, eorumque ſcripta commemorat ſingula.

E *prima* Parte referimus, in animum induxiſſe Regem CAROLVM GVSTAVVM, Lundini condere Academiam. Quo praemature extincto, id perfecit filius CAROLVS XI. qui eam inaugurari iuſſit Anno MDCLXVIII. d. 28. Ianuarii: quae inauguratio hic repraeſentatur accurate. Tum, quibus beneficiis ab hoc Rege per ſecutos annos cumulata ſit haec Academia, et poſtea a Regibus, CAROLO XII. (qui Anno MDCCXV. ipſe verſatus eſt in hac Academica vrbe,) et FRIDERICO, luculenter deſcribitur.

In

Digitized by Google

In *ſecunda* Parte Cancellariorum Academiae, quorum primus fuit Comes *Guſtavus Otto Stenbock*, hodiernus eſt Comes *Carolus Gyllenborg*, Vitae exponuntur, et in Academiam merita, perdiligenter. Ac eodem modo poſtea vitae Procancellariorum deſcribuntur, quos inter eminent *D. Petrus Winſtrupius*, et *D. Andreas Rydelius*, Epiſcopi Scaniae: quorum et ſcripta memorantur. Hinc leges Regiae proferuntur de Rectore Magnifico, deque Prorectore. Tum denique nomina Rectorum huius Academiae et Prorectorum exhibentur iuſto ordine.

Tertia ex Parte producimus Profeſſores eos, qui permultas, quarum hic proferuntur tituli, diſputationes ediderunt. Excelluerunt videlicet et partim adhuc excellunt in hoc genere *Henricus Benzelius*, Theol. Profeſſor, nunc Scaniae Epiſcopus; *Ioannes Engenſtroemius*, Prof. lingg. orientalium, itemque Graecae; *Nicolaus Lagerloefius*, Theol. Profeſſor; *Arvidus Mollerus*, Prof. philoſophiae moralis; *Conradus Quenſelius*, Mathematicus; *Andreas Riddermarckius*, item Mathematicus; *Magnus Rydelius*, Andreae frater, Hiſtoriae Profeſſor; *Andreas* et *Nicolaus Stobaei*, ille Hiſtoriae, hic Eloquentiae Profeſſor et Poeſeos; *Haquinus Stridsbergius*, Theol. Profeſſor, multorum Veteris Teſtamenti locorum illuſtrator egregius. Operae pretium videtur nobis facturus, ſi quis ſingulari volumine complectatur *Diſſertationes Academiae Lundenſis ſelectas*, easque ita maiorem in lucem producat, pluriumque exponat conſpectui et uſui. De *Ioſua Schwarzio*, Theol. Prof. perpauca proferuntur, itemque de *Samuele Pufendorfio*: et de hoc quidem propterea, quod iam plures vitam eius perſecuti ſunt ſtudioſiſſime. Merito vero ſuam ipſius vitam nobiliſſimus huius Hiſtoriae Auctor deſcripſit copioſius pag. 29—50.

Libet adhuc e Partis primae pag. 42. et 43. proferre, quae narrantur de Rege CAROLO XII. A. MDCCXV. hanc Academiam exornante ſua praeſentia. *Iactent alii* (ita noſter Hiſtoricus,) *magnos Regum ſuorum ad ſplendo-*

rem

rem apparatus: CAROLVS *noſter, publicae ſalutis procurator, omnem luxuriem ſpernens, vel in itinere ſatellitum ac aliorum frequentia non utens, populique ſui fide ubique tutiſſimus exit reditque, rhedarum uſum unico, et eo quidem viliſſimo interdum, quadrupede ſupplente. Plumarum et culcitrarum loco vel ruſticis et captivis ingratum ac vile ſtramen tam pretioſus Rex deligit, paucarum horarum ſomno contentus, ut ante ſolis ortum et ultra occaſum pro regni felicitate continuo laboret, et, quod in ſtatione ſua cuique ſit vigilandum, inaudito exemplo monſtret. Quae, quaeſo, amictus differentia ab amictu gregarii militis, ubi nihil praeter corii, lanae, ferri, lintei parum, corpus Regis tegit? Exulat hic omnis intemperantia: quinimo omnem vini uſum aqua frigida diluit. Quid? quod in maximis occupationibus ſaepius rigoroſa quatuor, quinque et plurium dierum ieiunia, ad populi ſui commiſerationem, tolerat incomparabilis hic Princeps.* Hactenus Noſter in Programmate, quod A. MDCCXVII. cum Rector eſſet Academiae, editum hic totum inſeruit.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Novembris Anno MDCCLIX.

ILLYRICI SACRI TOMUS SECUNDUS. ECCLESIA Salonitana, a quarto Seculo aerae Chriſtianae usque ad excidium Salonae. Acceſſere Vita Diocletiani Imperatoris, Acta Sanctorum ex eius genere, et marmora Salonitana. Auctore DANIELE FARLATO, *Presbyt. Societ. Ieſu.*

Venetiis, apud Seb. Coleti, 1753. Alph. 2. ternion. plag. 36. tab. aen. 3. in fol.

Quid ſibi Cel. *Farlatus* in hiſtoria eccleſiaſtica Illyrici deſcribenda propoſuerit, et quomodo in hoc negotio tractando verſetur, expoſuimus nuper, cum primum huius operis Volumen lectoribus noſtris indicaremus. Pergit in hoc altero Volumine, filum, quod coeperat, pertexere, atque eadem, qua nuper, via incedens, eodem ordine, atque etiam elegantia, res exponens, quae in Eccleſia Salonitana, a quarto Seculo usque ad triſtiſſimam urbis everſionem, acciderint memoratu digna, ante oculos lectorum ponere. Eſt vero hoc Volumen in duas quaſi partes tributum, quarum prima Vitas Epiſcoporum, altera vitam Diocletiani Imperatoris, eorumque, qui e familia Diocletiani oriundi, martyria paſſi, et celebre nomen nacti ſint, complectitur. Epiſcopi quidem, quorum nominibus res memorabiles ſubiectae, ſunt

hi: Marinus I. Martinus I. Maximus III. Theodorus II. Petrus II. Leo I. Iohannes IV. Horum res geſtae in prioribus quatuor capitibus exponuntur. Coegit inopia rerum monumentorumque Auctorem, ut hoſce ſimul coniungeret. Quanquam enim aetas illa rerum factorumque memorabilium admodum ferax fuit, domeſticis bellis ingentem rerum praeclare gerendarum ſegetem ſuppeditantibus; nimia tamen vetuſtas, maiorum incuria, et incenſio urbium omnia ita exſtinxit, ut vix nomina cognita eſſent, niſi ea conſervaſſent Catalogi. Quare Auctor multa ex hiſtoria univerſali delibavit, illisque lucem hiſtoriae Illyricae accendit.

Quod ad Marinum, Epiſcopum Salonae, aliosque antiſtites Dalmatiae attinet, dubitat Auctor, an ad Nicaenam Synodum convenerint? E ſubſcriptis enim Epiſcoporum nominibus, in quae multa menda irrepſerint, hoc intelligi non poſſe. Quamvis in editione Biniana ſubſcriptus inveniatur *Bunius Stoborum*, ſive *Bodius Stobiorum Provinciae Dalmatiae*, tamen ſatis conſtare, pro *Dalmatia Dardaniam* legi oportere, ut in margine Collectionis Venetae Conciliorum adnotetur; idque confirmari MS. Cod. Pariſienſ. Biblioth. Soc. Ieſu, ab Harduino edito, in quo ſcriptum: *Bonius Triporum Dardaniae*. Triporum urbem, neque in Dalmatia, neque in Dardania, neque usquam gentium inveniri, quare procul dubio legendum eſſe *Stoborum*. Stobos eſſe civitatem Pelagoniae, quae regio pars ſit Macedoniae ad Septentrionem, finitima Dardaniae. Cauſas vero, cur nullus e Dalmatia et Illyrica regione concilio Nicaeno interfuerit, eſſe fortaſſe has: quod omnia fere Concilia oecumenica in partibus Orientis habita plerumque, et potiſſimum ex Epiſcopis Orientis conflata fuerint, ſic prorſus, ut pauciſſimi ex Occidentalibus Epiſcopis ad ea convenirent. Neque enim haereſes, quae huiusmodi conciliis cauſam occaſionemque dederint, ad labefactandam eccleſiam occidentalem ſtatim proceſſiſſe. Porro ſicut Epiſcopi Daciae et Macedoniae provinciis orientis fuerint vulgo adſcripti, ſic Epiſcopos Dalmatiae inter

Occi-

Occidentales numeratos eſſe, et neceſſitate Synodos oecumenicas in oriente adeundi exemtos. Deinde etiam Epiſcopos Dalmatiae ad Concilium, ut vocant, Nationale Primatis, ſeu Patriarchae Romani, pertinuiſſe. Nam cum duo fuerint in Illyrico Primates conſtituti, Theſſalonicenſis et Sirmienſis, neutrique eorum ſubiecta Eccleſia Dalmatica, quae nullum alium Primatem agnoverit niſi Pontificem Romanum, eſſetque propterea veluti quaedam appendix Primatus Italici, eiusque Epiſcopi Romanae Synodi nationalis adeundae iure gauderent: ſicut plerique Italici et Occidentales Epiſcopi a Conciliis orientalibus oecumenicis abfuerint, ſic etiam Epiſcopos Dalmatiae abſuiſſe.

Incidit in haec tempora lues Ariana, erroresque Semiarianorum proruperunt. Hoſce igitur una cum iis, quae ad Donatiſtas, ad Athanaſium, damnatum et abſolutum, ad Photinum, illiusque magiſtrum Marcellum Ancyranum, ad Concilium Sardicenſe, ad Urſacium et Valentem, ad Hoſium, ad Bonoſum, ad Concilium Ariminenſe, Illyricum, et Aquileienſe, ad controverſiam Antiochenam, ad haereſin Macedonianam, pertineant, Auctor commemorat. Illyricum quidem concilium Auctori in Macedonia, atque in urbe Theſſalonica, aut eodem quo Romanum, (quod in Epiſcopatum Damaſi, et annum quarti Seculi aut ſeptuageſimum, ut Pagius vult, aut undeſeptuageſimum, ex Baronii ſententia, incidit,) aut certe anno proximo, habitum eſſe videtur. Multis quoque Auctor de Monaſtico Inſtituto in Dalmatiam invecto et propagato agit, ita ut nomen monachi, quid ſignificet, declaret, et deinde, quod norunt omnes, Antonium et Hilarionem auctores praecipuos vitae Monaſticae fuiſſe, ordinem monachalem per Italiam et Occidentem auctore Ambroſio propagatum, et praecipue in inſulis et littoribus maris Tyrrheni, tum etiam in Dalmatia conſtitutum, e Monaſteriis Clericos et epiſcopos electos, Benedictum reſtitutorem auctoremque monachalis inſtituti in Occidente, et ordinem Benedictinum in Dalmatiam receptum eſſe oſtendat, variaque de incommodis vitae Anachori-

choriticae, de monaſterio Ruffiniano, de Bonoſo, Anachorita, de inſula Bonoſiana, addat.

Sequitur Epiſcopus Heſychius III. Hic attingit Auctor primum plures, quibus Heſychii nomen fuit, ut Heſychium, diſcipulum Hilarionis, Heſychium, Presbyterum Eccleſiae Hieroſolymitanae, Heſychium, Epiſcopum Oparienſem. Deinde refutantur ii, qui Heſychium a Salonitano ad Toletanum Epiſcopatum transferunt. Poſt narratur, quomodo Heſychius pro Iohanne Chryſoſtomo reſtituendo laboraverit, Ruffinum admonuerit de corruptelis in Clementinos libros per haereticos invectis, et Dalmatas afflictos recreaverit. Adſperſit hic aliqua Auctor de titulo Defenſoris Eccleſiae, et hiſtoriam quaſi concinnam illius dignitatis pertexuit. Hunc titulum, ait, ac magiſtratum in Eccleſiam primus invexit Caius Ep. Rom. qui Sebaſtianum Imperatoriae cohortis praefectum, virum eximiae fidei ac perſpectae virtutis, creavit appellavitque Defenſorem Eccleſiae. Huius magiſtratus ea vis erat, ut apud Iudices laicos negotia eccleſiarum ageret, et pauperum, viduarum, pupillorum ſuſciperet patrocinium. Initio laici homines hoc magiſtratu ornabantur, ii nempe, qui diu multumque in foro et iudicio verſati, partes ſibi delatas bene agere poſſent; nolebant enim clericos terrenis negotiis, etſi ad Eccleſiam piamque pauperum curam pertinentibus, diſtringi, eosque a litibus, tribunalibus, omnibusque fori negotiis longiſſime removebant. Quamvis autem Epiſcopi iure eligendi creandique Defenſores eccleſiae gaudebant, ab Imperatoribus tamen illud petendum arceſſendumque cenſuerant Patres Concilii Milevitani, quo maior eſſet huius magiſtratus auctoritas, tum apud iudices praefectosque iuri dicundo, tum contra fraudulentorum hominum opes ac potentiam, ſive ad obtinendas cauſas eccleſiaſticas, ſive ad bona egenorum repetenda, eorumque inopiae ac ſolitudini auxilium ferendum. Exſtat de hoc Can. XVI. Concilii modo laudati, et Synodi V. Carthaginienſis Can. IX. Ac primum apud Graecos a laicis ad clericos

Digitized by Google

clericos hic magiſtratus transferri coepit, mandarique ſolebat interdum Presbyteris; deinde vero idem mos in Eccleſia occidentali paullatim invaluit, ut deligerentur e clero, qui ad hoc munus gerendum haberentur idonei; quin imo Gelaſius inter minores clericos annumerat Defenſores, mediosque conſtituit inter Lectores et Acolythos: *Continuo Lector vel Notarius, aut certe Defenſor effectus, poſt tres menſes exiſtat Acolythus.* Poſt Gelaſium Gregorius M. eundem magiſtratum Subdiaconis ipſis commiſit, vel certe Defenſores in Collegium Subdiaconorum cooptavit. Seculo V. ineunte, quo Heſychius regebat Eccleſiam Salonitanam, adhuc vetus illa conſuetudo vigebat, ut Defenſores Eccleſiae non e Clericis, ſed e Laicis ſumerentur. Sed tum primum Defenſores, ut videtur, Ordinis Clericalis potiundi cupiditas inceſſit; quos quidem Zoſimus ad Clerum aggregari non vetuit, ſed eos iisdem legibus adſtringi voluit, quas aliis Clericis praeſcripſerat, ut nimirum nullis Canonicis impedimentis irretiti tenerentur, neque aliter illis, niſi gradatim et annorum intervallis, quae ceteris praefinierat, interiectis, ex inferiori ad ſuperiorem ordinem acceſſus pateret. *Sane*, inquit, *ut etiam Defenſores Eccleſiae, qui ex laicis fiunt, ſupra dicta obſervatione teneantur, ſi meruerint eſſe in ordine Clericatus.* Pergit Auctor ad Opera ſive lucubrationis Heſychii, et quaerit, an Commentaria in Leviticum tribuenda ſint huic Salonitano Epiſcopo? Tota de hac controverſia ita dicit Auctor: „Mihi non ſumo tantum, neque arrogo, ut me huius controverſiae arbitrum interponere auſim. Hos commentarios ab Heſychio Hieroſolymitano ne abiudicem, obſtat auctoritas recentiorum Scriptorum fere omnium; ut Salonitano adſcribam, monumenta certiora, et argumenta maioris ponderis, quam ea, quae a Perronio allata ſunt, requiro.„

Sequuntur in ordine Epiſcopor. Ioannes V. et Petrus III. Oſtendit Auct. Ioannem Concilio Romano Nationali primo adverſus Neſtorium habito interfuiſſe, atque etiam ſecundo,

non autem Epheſino Oecumenico, neque ullum alium quenquam ex Illyrico occidentali Epiſcopum. Praeterea hic multa legimus de Neſtorii haereſi, de Theodoreto, fautore Neſtorii, de Hunnorum initiis et progreſſionibus, de Sirmii, urbis Pannoniae, frequentia et opulentia, de haereſi Eutychiana, de Concilio Chalcedonenſi, de irruptionibus et bellis Attilae, de Dalmatia Germanica, de Marcellino. Petrum excipit Glycerius, quem ex Auguſtali ſolio decedentem ſedes Pontificia Salonitana accepit. Huius genus, patriam, res geſtas, magiſtratus, quibus ante imperium functus, res in imperio geſtas, et Pontificatum Salonitanum Auctor exponit, variaque de domeſticorum variis generibus et officiis, de Odoacris genere, rebus bellicis, expeditione Italica, regno in Italia, de Theodorico, rege Oſtrogothorum, de more antiquo eligendorum creandorumque Epiſcoporum. Ordo Epiſcoporum Salonitanorum tangit Honorium II. Affert Auct. primum duas epiſtolas Gelaſii, Papae, ad Honorium ſcriptas, deinde acta Honorii, cum e domeſticis tabulis, tum ex hiſtoria eccleſiaſtica illorum temporum, repetita commemorat, denique ſeriem illam hiſtoriamque regum Dalmatiae ſuperioris, quam e Slavonico in Latinum convertit Presbyter Diocleas, et Marcus Marulus, Patricius Spalatenſis, accurate examinat. Hoc loco varia adſperſa ſunt de ſchiſmate Conſtantinopolitano et Romano, de Theodorico, Pannoniam ad regnum Dalmatiae adiungente, de urbe Barcenſi, et Oſtroyllo Dalmatiam invadente, Herulos caedente, novumque in provincia Praevalitana regnum condente.

Venimus ad tres alios Epiſcopos: Ianuarium I. Heſychium IV. et Stephanum I. quorum vitas Auct. exhibet. Illuſtratum hoc loco inveniet lector ſacrarum lampadum uſum, genus vaſis, quod *orcam* Plinius, Varro, et alii appellant, genus vectigalium quod *Siliquaticum* dicitur, et munus Principis officii et officiorum; differre alterum ab altero Auctor arbitratur, huiusque, quem et Magiſtrum officiorum appellabant, poteſtatem latius quam illius patuiſſe, alterum

alterum plurium, alterum unius magiſtratus officiis praefuiſſe: ſummam fuiſſe huius dignitatem, ſummamque auctoritatem, cui inferiores magiſtratus ſubiecti, ſive urbani, ſive provinciales, adeo, ut iniuſſu illius nihil rite, nihil legitime, nihil ex iuris formula, decernere et perficere poſſent. Appendicis loco accedit diſputatiuncula de Dionyſio Exiguo illo, quem Caſſiodorus lib. Divin. lect. cap. 23. maximis laudibus extollit.

Proximum Stephano locum inter Epiſcopos Salonitanos occupat Honorius III. Cuius hiſtoria tam propter multitudinem magnitudinemque rerum, quae eo tempore acciderunt, quam ob animadverſiones ab Auct. allatas, valde prae reliquis eminet. Proponitur enim hoc capite Concilium Provinciale Salonitanum primum et ſecundum; proponuntur etiam Acta horum Conciliorum, uberibus Auctoris adnotationibus illuſtrata; proponitur denique bellum, quod Iuſtinianus Imperator Gothis intulit, et cuius initium fieri iuſſit a recuperanda Dalmatia, quam Herulis ademtam Theodoricus ad regnum Italiae adiunxerat, atque in ſua poteſtate retinebat Theodatus. Videmus Oſtroyllum in acie caedi, et regnum Praevalitanum Senulato relinquere; tum Iuſtinianum Illyricum occidentale univerſum, Norico excepto, Barbaris ereptum, Imperio reſtituere. Adiecit Auctor Nov. Conſt. XI. (qua Iuſtinianus eccleſiaſticam totius Illyrici dioeceſin deſcribit, eiusque principatum ſuae patriae attribuit,) eamque copioſo commentario illuſtrat. Sequitur vita Frontiniani II. Petri IV. et Probini, quorum aetas cum in ea tempora incideret, quibus celebris illa de tribus capitulis agitabatur controverſia, quae primum Occidentales ab Orientalibus ſeiunxit, deinde ipſos Occidentales inter ſe commiſit, diverſasque traxit in partes, diligenter Auctor de tota re expoſuit. Ipſa hiſtoria lectu digna et iucunda eſt. Complectitur quoque Frontiniani vita annos poſteriores novem belli Gothici. Venimus ad Honorium IV. et Damianum, quorum temporibus ſumma tranquillitas viguit in Dalmatia, otiumque

ab

Digitized by Google

ab omnibus cum reipublicae, tum religionis hoſtibus, ſive extraneis, ſive domeſticis, atque ideo res imperii eccleſiaeque tranquillum in hac regione ſine offenſione curſum tenuerunt. Quare nihil novum aut memoria valde dignum tum accidit, praeter adventum Bulgarorum, iunctamque cum illis ab Regibus Dalmatiae ſuperioris amicitiam. Quam hiſtoriam e Codice Slavo a Presbytero Diocleate et Marco Marulo latino ſermone expreſſam, Auctor hic inſeruit, et animadverſionibus illuſtravit. Hos excipit Natalis. Cuius in vita exponenda Auctor ita verſatur, ut quae Thomas Archidiaconus in cap. V. Hiſtoriae Salonitanae, memoriae prodidit, huc transferat, ſuisque animadverſionibus explicet; deinde epiſtolas Gregorii M. quas cum ad Natalem ipſum, tum illius cauſa, ad Epiſcopos Dalmatiae aliosque ſcripſit, adiiciat, atque ex his quaedam ſcitu digna, ſed ab Archidiacono praetermiſſa, decerpat. Eſt inprimis hic copioſa diſſertatio de Archidiaconatu, nec pauca de verbo *Secretarium*, de officio *Apocriſiarii*. Sequitur Maximus IV. cui graves et magnae cum Gregorio, Pontifice Romano, inimicitiae fuerunt. Quorum Actorum tria cum ſint Summaria: unum, quod Thomas Archidiaconus hiſtoriae Salonitanae intexuit; alterum, quod Ioannes Diaconus in vita S. Gregorii confecit; tertium, quod in Tom. VI. Conciliorum apud Philippum Labbeum exſtat: haec una cum Epiſtolis XVIII. ex quibus totius controverſiae ſtatus, initium, progreſſus, exitusque optime diſci poteſt, in hoc Volumine Auctor exhibet, ſuis animadverſionibus adiunctis. Maximum excipit Frontinianus III. de quo breviter Auctor exponit. Praeter nomen enim nihil reliqui fecit vetuſtas, et ſecuta clades et everſio Salonae. Nihil igitur de huius Epiſcopatu litteris mandatum, nihil de adminiſtratione illius memoriae proditum. Pluribus tamen Auctor Monothelitarum haereſin enarrat, eo tempore exortam.

Properamus ad ultimum Epiſcopum Salonitan. Theodorum III. et ſimul ad everſionem et excidium Salonae. Quae cum

Digitized by Google

cum everſio a Conſtantino Porphyrogenito, cap. 29. et 30, et Thoma Archidiacono, cap. 7. Hiſt. Salon. deſcribatur, ſed diverſo modo: ſubiecit Auctor ſuas in utrumque animadverſiones, in quibus, cum quae varia, tum quae contraria ab illis referuntur, inter ſe conciliat, et obſcuris atque ambiguis lucem affundit. Auctor quidem captae funditusque everſae Salonae epocham anno DCXXXIX. affigit, atque Slavos et Avares ſupremum hoc illi exitium attuliſſe exiſtimat, deinde non pauca addit de iis, quae poſt excidium Salonae, ante urbem Spalatenſem conditam acciderint. Haec de Salona, olim terra marique potentiſſima, divitiarum affluentia, frequentia civium, opibusque incolarum florenti, atque aedificiorum magnificentia ſplendidiſſima, flammis et ferro ita abſumta, ut nonniſi pauca, priſci ſplendoris, priſcae pulchritudinis et magnificentiae veſtigia retineret.

Venimus ad alteram huius Voluminis Partem, quae hiſtoriam Diocletiani, Imperatoris, complectitur. Eſt enim ad explicandas intelligendasque res Eccleſiae Dalmaticae, atque Illyricae inprimis, accurata Diocletianeae Auguſtalis hiſtoriae cognitio neceſſaria. Oriundus fuit Diocletianus ex Dalmatia, adamabat patriam ſuam, et, quocunque poterat modo, ornabat. Saepe peragravit Illyricum et Dalmatiam, ſaepe Sirmium et Salonam adiit, ibique aliquamdiu commoratus eſt. In maximis bellis potiſſimum Illyricis copiis uſus eſt; magnificum prope Salonam Palatium exſtruxit; huc ſe, imperio depoſito, recepit, hic privatam vitam ſic egit, ut nunquam non Chriſtianos omnibus modis vexaret. Huius igitur Imperatoris hiſtoriam Auctor ex Aurelio Victore, Eutropio, Vopiſco, Lactantio, Euſebio, Actis Martyrum, aliis contexuit, et in IV. capitibus elegantiſſime copioſiſſimeque deſcripſit. In Cap. I. exponit de gente Aurelia Valeria Salonitana, ſive de familia Diocletiani, et, cum univerſa gens Valeria in quatuor familias diviſa ſit, ſingulas, ut aiunt, lineas, una cum patria et nominibus Diocletiani, uxoribus, et filiis ac nepotibus

LIII tibus

tibus adoptivis, attingit. Cap. II. complectitur Acta Diocletiani. Hic, illum Carinum debellare, Maximianum Herculium, Caeſarem, deinde Auguſtum creare, Palatium aedificare, Salonae et Provinciae Dalmaticae adminiſtrationem Diocleae matri committere, Roma Chriſtianos vexare, cum Perſis feliciter pugnare, Conſtantinum et Galerium Caeſares creare, imperium Romanum in quatuor partes dividere, Romae decennalia celebrare, cum Quingentanis, Alemannis, Alexandrinis et Perſis proſpere pugnare, et alia, quae hic repetere nimis longum eſſet, agere videas. In cap. III. agit Auctor de vita privata Diocletiani poſt imperium depoſitum, rebusque publicis eo vivo ac ſuperſtite geſtis. Cap. IV. perſecutionem Chriſtianorum proponit, omnium, quas illi ſuſtinuerunt, ſive temporis diuturnitatem, ſive acerbitatem ſuppliciorum, ſive hoſtium numerum ſpectes, acerbiſſimam, quaeque nomen a Diocletiano ſumſit, et decima vulgo, ſed incommode, vocatur. Contexuit igitur A. Catalogum bene longum, martyrum Illyricorum, hac tempeſtate extinctorum, et appendicis loco diſſertationem de perſecutione Liciniana addit. Quibus expoſitis, tranſit Auctor ad eorum vitas resque geſtas deſcribendas, quos communio ſanguinis, e Valeriis Salonitanis deducta, cognationis vinculo cum Diocletiano coniunxit, atque primum igitur S. Serenae Imperatricis, et Diocletiani coniugis. Hic multis oſtendit, illam non ex Hiſpania, ſed ex Illyrico oriundam, et deinde coniugium Diocletiani et Serenae, atque etiam hiſtoriam S. Suſannae, ab obiectis argumentis vindicat. Manum conſerit Auctor cum compluribus, aliter ſentientibus, atque ſumma cogitationum facta, ſibi ſatis comprobaſſe videtur, neque commentitium eſſe S. Serenae cum Diocletiano coniugium, neque Acta S. Suſannae aliaque monumenta, in quibus Serena Imperatrix et Diocletiani coniux vocatur, ob hanc cauſam reiici debere et repudiari. Secundum locum occupat vita S. Artemiae, filiae Diocletiani Imperatoris, et Serenae Auguſtae, virginis atque martyris; tertium vita S. Caii, Dalmatae, et civis

civis Salonitani, patruelis Diocletiani, Epiſcopi Romani et Martyris; quartum vita S. Gabinii, Presbyteri ac martyris, civis Salonitani, Patris S. Suſannae, Fratris S. Caii, et patruelis Diocletiani; quintum vita S. Suſannae, virginis atque martyris, oriundae ex Dalmatia, et filiae S. Gabinii. Finem huic hiſtoriae imponit diſſertatio de martyribus Salonitanis, e ſtirpe ac genere Diocletiani Imperatoris, Claudio, Praepedigna, Alexandro, Cuthio, et Maximo. Incerta hic paſſim multa.

Haec de Cel. *Farlati* labore, quem eximium et praeclarum, totum fere per opus elucere, intelleximus. Nihil hic fortaſſe aliud, quam nimiam copiam, reprehendas. Admiſcuit enim aliquoties plura ex hiſtoria civili et re eccleſiaſtica, quam par erat, et lector, rei propoſitae unice intentus, fortaſſe exſpectaverit. Quorſum v. c. attinet, in quatuor paginis explicare, quid ſit praenomen, nomen, cognomen? Quid opus erat, ſi quando Imperatoris alicuius Romani mentio incideret, tam late longeque evagari? Satis erat, res maxime neceſſarias leviter attingere, et inde ea tantum delibare, quibus lector carere non poterat. Sed compenſabit et oblitterabit hunc naevum elegantia, quam in deſcribendis rebus ſatis probabit Auctor viris doctis.

Accedunt denique ad hoc opus Marmora Salonitana, a *Franciſco Antonio Zacharia*, Soc. Ieſ. in ordinem digeſta, ac brevibus obſervationibus illuſtrata. Iam pleraque eorum a Grutero, Gudio, Reineſio, Sponio, Fabretto, Muratorio, evulgata ſunt, ſed inveniuntur etiam aliquot inedita. Tranſcribamus huc inſcriptionem, turpiculam quidem, ſed raritate inſignem. In lapide apparent tres foeminae, quae Editori Furiae videntur, quas, hanc ſtatuam ponens, ſui vici vindices eſſe voluerit, corporibus quidem coniunctis, ſed tribus capitibus ſeparatis. Inſcriptio haec eſt:

QVISQV. IN. EO. VICO. STERCVS. NON. POSV
ERIT. AVT. NON. CACAVERIT. AVT. NONM
LAVERIT. HABEAT. ILLAS. PROPITIAS
SI. NEGLEXERIT. VIDERIT.

 Simili,

Simili, ut Editor obſervavit, dirarum obnunciatione, ſui ſepulchri violatores deterret C. Caecilius Florus, apud *Fabrettum* Inſcr. dom. pag. 110. Non paucas inſcriptiones emendatiores videmus in hoc opuſculo, quam a Grutero et aliis editae ſunt.

VOCABULARIUM IURIS UTRIUSQUE, EX variis ante editis, praeſertim ex Alexandri Scoti, Io. Kahl, Barn. Briſſonii, et Io. Gottl. Heineccii Acceſſionibus: opera et ſtudio B. PHILIP. VICAT, I. U. D. et Profeſſ.

Lauſannae, TOM. I. Alph. 1. pl. 11. TOM. II. Alph. 1. pl. 13. TOM. III. Alph. 1. pl. 13. ex officin. Bousquetiana, 1759. octonis.

Quam iucunda et utilis, cum Grammatices et Critices ſtudiis, tum, quae cum his arctiſſimo vinculo coniuncta, elegantiori iurisprudentiae fuerit *Scoti*, *Briſſonii*, *Kahlii*, *Heineccii*, in vocabulariis iuris concinnandis ſtudium et diligentia, ſatis conſtat. Ex his igitur, multa et varia doctrina refertis, Cel. *Vicatus* optima quaeque excerpere, atque talem librum adornare ſibi propoſuit, in quo compendioſam copiam haberent iuris ſtudioſi. Quare ſe non ſolum ex aliis, quae in Briſſonio deeſſent, iuris Canonici verba ſuppleviſſe profitetur, ſed indices quoque mendoſos ſe diligenter emendaſſe, et legum pluriumque ſcriptorum auctoritates, de una eademque verbi ſignificatione, ab aliis ſine neceſſitate coacervatas, ad unam alteramve redegiſſe ait. Iuris Feudalis verba in aliud opus reſervavit, et, quae ad ius publicum Germanicum pertineant, prorſus omiſit. Aliquoties etiam, ubi viſum eſt, ipſe aliqua addidit, ſed, quantum nos quidem iudicamus, neque multa, neque nova. Atque hic fortaſſe melius, et ſuo, et aliorum nomini atque famae conſuluiſſet Auctor, ſi, ex quo quaeque excerpta ſint, et quae ipſe

ex penu ſua depromſerit, paucis ſignificare voluiſſet. Ea quidem, quae acceſſerunt, et alicuius momenti ſunt, nomen prae ſe ferunt *Io. Emmanuelis Gironis*, Hiſpani, et I. U. D. Pariſienſis, viri, ut ex his intelleximus, in elegantiorum iuris interpretum libris bene verſati. Sunt in his Gironis additamentis aliqua ex iure civili, plura ex iure canonico repetita. Apponamus, ut lectores eo facilius de ingenio et doctrina viri, atque etiam de pretio, huic libro ſtatuendo, iudicare poſſint, aliquot ſpecimina.

Fatum, ſecundum Tullium, ipſo referente Servio in Virg. Aen. 3. verſ. 376, eſt connexio rerum per aeternitatem ſe invicem tenens, quae ſub ordine et lege variatur, ita tamen, ut ipſa varietas habeat aeternitatem. Idem Servius in Aen. 2. verſ. 777. fata, ait, ſunt quae dii fantur, quae indubitanter eveniunt. Quae fuerint ICtorum veterum de fato ſententiae, docuit Bynckersh. Obſerv. IV. 15. *Fatum*, pro caſu. Si fato fecerit: *L.* 2. *D. de condit. et dem.* Quae improviſo caſu potius, quam fraude accidunt, fato plerumque, non noxae, imputantur. *l.* 1. *C. ad leg. Cornel. de Sicar.* Fata cauſarum, *l.* 3. *C. de legib. l.* 14. *C. de advoc. diverſ. iud.* ubi fruſtra Salmaſius in not. ad Hiſt. Aug. pag. 269. reſcribit: *Facta cauſarum.* Ibi autem ſignificantur incerti cauſarum eventus, quos eadem dicendi figura *fortunam iudicii* vocat Quinctilianus, Inſt. Or. lib. X. c. 1. Immo et Hermogenianus *l.* 13. *D. de ſtat. hom.* ubi pro *fortunae iudicio* legendum eſſe *fortunae iudicii,* recte ſuſpicatur Menag. Amoen. Iur. c. 6. quia et in ſcholiis Baſilicis legitur, *τῇ τύχῃ τȣ̃ δικαςηρίȣ.* Sed et *fata* diſceptationis dixit Imp. *l.* 41. *C. Th. de appell. Fatum* etiam pro morte ſumitur. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. c. 12. Conſtat enim, numerorum certam conſtitutamque rationem animos ſociare corporibus. Sic numeri dum ſuperſunt, perſeverat corpus animari; quum vero deficiunt, mox arcana illa vis ſolvitur, qua ſocietas iſta conſtabat, et hoc eſt, quod fatum et fatalia vitae tempora vocamus. Hinc in fatum concedere: *l.* 20. *§. ult. D.* de

de liberat. leg. l. 3. *C. de iur. delib. l.* 4. *C. ſi pend. adpell. l.* 4. *C. de ſolut.* Fati diem fungi: *l.* 5. *C. ſi reus vel accus.* Fati munus explere, *l. ult. C. Th. de metat.* implere: *l.* 1. *C. de obl. et act.* et paſſim. Licet fati nomen anile plerumque et ſuperſtitionis plenum ſit, huic tamen nobiliores Philoſophi mortis vitaeque imperium conceſſerunt. Servius 8. Aen. Tertull. lib. de anima, c. 39. Adrianus Turnebus l. 3. Adverſar. c. 9. Gell. l. 13. c. 1. Tribus quidem humana omnis vita continetur. Serv. 4. Aen. Natura, cui ultra centum et viginti ſolſtitiales annos conceſſum non eſt, diuturniore frui luce. Fato, cui nonaginta anni, hoc eſt, tres Saturni curſus, exitium creant, niſi forte aliarum ſtellarum benignitate tertium eius ſuperet curſum. Fortuna, et caſu, qui ad omnia pertinent, quae extrinſecus accidunt, ut ad ruinam, incendium, naufragium, venena, vim, fatique diem occupatam. Virgilius in Didonis perſona eleganter expreſſit, 4. Aeneid. *Vixi, et, quem dederat curſum fortuna, peregi.* Hic enim non ad naturam et fatum mortem retulit: quia nec fato, merita nec morte, peribat; ſed ad fortunam, quam violentae mortis agnoſcit auctorem. Quare mors illa, quae praeter naturam accidit, fortunae tribuitur, caſui, quae praeter fatum. At natura et fatum ei, qui morbo aut morte ſua defungitur, Sueton. in Iul. c. 85. Demoſth. in Epiſt. ad Lycurg. Iſocrat. in Laudat. Buſirid. Tempus autem continet fatum et naturam. Iudicent alii, an haec de fato diſputatiuncula ad Edictum Praetoris pertineat.

Proto-Notarius Apoſtolicus. Haec dignitas a Clemente primo Pontifice inſtituta fuit, qui ſeptem Notarios per regiones urbis totidem diſtribuit, ut martyrum res geſtas litteris mandarent aeternis. A Iulio I. haec religioſa Protonotariorum inſtitutio fuit renovata, qui non ſolum martyrum geſta, ſed omnia ad rem ſacram pertinentia, per eos litterarum monumentis mandanda curavit. Ita Platina, Cecharellus, Ciacconius, et alii in vitis Pontif. cum Polydoro Virgilio lib. 4. c. 2. et Iacobatius de conc. art. 3.

Digitized by Google

art. 3. n. 5. lib. 1. Pius II. in Conſtitutione, *cum ſervare*, et Leo X. in alia, quae incipit *Regimini*, tam in civilibus, quam in criminalibus, ab ordinariorum iurisdictione exemit. In Capella Pontificia locum habent, et poſt Epiſcopos parem thurificationem, candelam et palmum. In Conſiſtoriis publicis intervenire poſſunt, ut de rebus, quae ibi geruntur, inſtrumenta authentica conficiant, cum ad ſcribenda acta, et geſta Pontificum ſubrogati fuere. Caſanus eos vocat D. N. Papae Secretarios. Sixtus V. cupiens in ſua antiquitate et nobilitate Protonotarios Apoſtolicos conſervare, motu proprio privilegia, indulta, exemtiones, gratias, favores et declarationes, a SS. Pontificibus conceſſa, confirmavit, innovavit, et cum extenſione ampliavit, ut apparet in Conſt. *laudabilis*. Facultatem deferendi arma, non tantum brevioris modi alias prohibita, tam per urbem, quam per Statum eccleſiaſticum, absque alia ſpeciali licentia eis, eorum affinibus, conſanguineis et familiaribus, idem Sixtus V. ut in §. *praeterea*, ita liberam inter vivos teſtandi et donandi de bonis mobilibus et immobilibus acquiſitis, licite tamen, et ex bonis eccleſiaſticis in perſonas legitimas tantum producendis, 2000. ſc. de camera, licentiam indulſit §. *eisdem*. Statim ac in Collegium cooptati fuerint, Referendarii utriusque Signaturae creati intelliguntur, §. *nec non*. In quibuscunque actibus in Conſiſtorio publico, pro tempore faciendo, ad perpetuam rei memoriam, inſtrumenta, et omnia acta publica ſuo ſigillo munita, et absque teſtibus facere poſſunt, et plenam fidem in iudicio, et extra, eis adhiberi voluit, §. *ac in quibuscunque*. Habent privilegium deferendi pontificialia, et habendi ſecum altare portatile in itinere, etiam in locis non ſacris, aut auctoritate Apoſtolica interdictis, dummodo ipſi interdicto cauſam non dederint, §. *quilibet eorum*. Paulus V. iisdem Protonotariis pileum nigri coloris, torulis violaceis cinctum ornatumque, et ſerico ſuffultum, conceſſit. Protonotarios praecedere Canonicos, SS. Rituum Congregatio declaravit, et Sacriſtam SS. Pontificis. Barboſa *de univ.*

univ. per eccleſ. cap. 23. Nullum habere impedimentum in contrahendo matrimonio, licet Clericus beneficiatus ſit, reſpondit SS. Epiſcop. Congregatio Epiſcopo Nucerino. Gaudere fori privilegio, tam in civilibus quam in criminalibus, licet miniſterio alicuius eccleſiae adſcripti non fuerint, *S. Rituum Congregatio in Toletana, an. MDCXXXII.* decrevit. Eorum beneficia eccleſiaſtica affecta ſedi Apoſtolicae dicuntur, et eidem reſervata: Putius *Deciſ.* 329. *lib.* 2. et *Deciſ.* 305. Quare pro permutatione adeundus eſt S. Pontifex, ut conferat. *Felinus*, Fridericus *de Senis, Barboſa, n.* 38. *Rota Romana, Deciſ.* 1. *n.* 4. Si fuerit Canonicus, tunicam talarem (ſubtaneam) violaceam geſtare poteſt: S. Rit. Congr. in una Panormitana. In proceſſionibus habent locum poſt Epiſcopos, et poſt collegium Canonicorum, ut fit Romae: Barboſa, *de Canonic. et dignit. cap.* 18. *n.* 35. Alia adfert Suchetus in libro, cui titulus eſt, *de privil. Protonotar. Apoſtol.*

Ab eodem etiam Girone addita ſunt huic operi capita haec: *Tribunal Inquiſitionis, Haereſis, Imperator, Imperium, Legati, Luctus, Monaſterium, Monomachium, Navis,* alia. De ipſius vero Vicatii labore iudicium ſubdifficile eſt. Nunquam enim nomen adſcripſit capitibus, atque ideo parum liquet, ex ſuone ingenio profecta, an aliunde petita afferat. Sed ne omnino taceamus, proponamus aliquot capita, quae Vicatii eſſe videntur, certe quibus nullum aliud nomen adſcripſit.

Admenſum etiam vinum Briſſon. ait dici paſſive *in l.* 36 *D. de locatis*, ubi tamen vox illa non cum nominativo *vinum* conſtrui, ſed abſolute poſita videri poſſet. Et quod *in l.* 1. *§.* 1. *de peric. et com. rei vend.* legitur, *priusquam admetiatur vinum*, referri potius debet ad emtorem, quam paſſive ad vinum. In Caton. quidem *de Re Ruſt.* 148. legimus: quod admenſum erit, pro eo dominus reſolvito. Et in c. 154 vinum emptoribus ſine moleſtia hoc modo admetiri debet; niſi pro *debet* malis legere *debes;* cum dixerit ante: vinum emptoribus quomodo admetiaris. Sane

Sane apud Non. 6. 90. verbo *numerum* legimus: de iis, quae non numerantur, ſed admetiuntur.

Haec adiectio, *hoc amplius*, quam vim habeat, declarat Africanus *in l.* 108. *§.* 7. 8. *D. de legat.* 1. et ea ſuperiora repeti ait Pompon. *in l.* 54. *de legat.* 3. Exempla peti poſſunt *ex l.* 77. *pr. D. de cond. et dem. l.* 27. *pr. l.* 33. *l.* 34. *l.* 67. *D. de legat.* 3. *l.* 18. *§.* 3. *D. de alim. et cibar. leg.*

Aquilex, aquam colligens. Varro de *Quinquatribus:* Tuſcus Aquilex. Unde *Aquilicia* feſta dicebantur, quibus Iovi pro aqua e coelo elicienda ſacra faciebant, quorum Tertullian. in Apologet. c. 40. meminit. Idem *adverſus Marcionem:* nec ſtatim Aquilicem et agricolam ſe Deus repromiſit; ex quo patet, aquilices in *l. ult. D. de iur. immunit.* eos dici, qui aquae eliciendae et inveniendae rationem monſtrant, ut apud Plin. l. 10. ep. 46. qui a Graecis ὑδροσκόποι et ὑδροφάνται vocantur, quorum Caſſianus lib. 2. γεοπονικῶν meminit. Nec mihi quidem liquet, quod ait Ill. Heineccius, non confundendos fuiſſe Aquileces et Aquileges; quod illi ſicciore anno rei divinae procuratione aquas coelo eliciebant, unde ipſe Iupiter Elicius et dies feſti Aquilicia; quod vero hi erant aquarum indagatores, qui fontes venasque aquarum inveſtigabant, aquasque in apricum producebant. Quae tamen vocabula haud ita accurate veteribus diſtingui ſolita eſſe, ipſe fatetur: quod ſane ex ipſo Tertulliani loco *ad Marcionem* iam laudato patet. Adi omnino Menag. Amoen. Iur. Civ. c. 41.

Ardinienſis, panis ſordidus, *l.* 5. *C. Theod. de annon. civic.* ubi Iac. Gothofredus. Tales, quos Plato comicus in *Nocte Longa* (Comoediae nomen eſt) κιλικίους vocavit, et in *Alexandro* ἀγελαίους, regales; Alexis Φαίους, fuſcos. vid. Athenaeum, lib. 3. c. 15. Πλάτων δ' ὁ Κωμῳδοποιὸς ἐν νυκτὶ μακρᾷ τοὺς μεγάλους ἄρτους καὶ ῥυπαροὺς κιλικίους ὀνομάζει. Plato vero Comicus in Nocte longa magnos panes et ſordidos Cilicios vocat. Theocrito Idyll. 24. in fin. eſt ἄρτος δωρικὸς, quem ita deſcribit: ἀσφα-

λέως κεφοτοσκάφον ἄνδρα κορέσαιο, qui facile etiam foſſorem ſatiare poſſit. vid. Heinſ. in Lect. Theocrit. cap. 25. ibique gloſſam Apollonii. Eiusmodi erant panes *cibarii* apud Romanos, quibus viliores veſcebantur ruſtici. Cicero Tuſculan. 5. 34. Ptolemaeo peragranti Aegyptum, comitibus non conſecutis, cum cibarius in caſa panis datus eſſet, nihil viſum eſt illo pane iucundius. Conſule *Clav. Ciceronian. Erneſti, voc. cibarius.* Nonius *cap.* 2. *num.* 188. cibarium neutro genere dictum tradit, de pane ſordido aut alio indigno. Iſidorus *origin. lib.* 20. *c.* 1. cibarius eſt, qui ad cibum ſervis datur, nec delicatus. Apuleius *Metamorph.* lib. 6. pag. 110. ſed ante pedes eius reſidens humilis, et pane cibario contenta. vide etiam Hieronym. *Epiſt. ad Paulinum.* Talis panis fuit etiam *cumanus*, cuius meminit Lucilius lib. 25. apud Nonium, cap. 5. voce acroſum, n. 97.

Sunt vero, ut facile iudicari poteſt, non omnia capita uno eodemque ingenio et diligentia conſcripta. Inter perfecta quodammodo, accurata, et quae prae aliis emineant, referimus ſequentia: *Abeſſe, Accipere, Actio, Adgnati, Adoptio, Aedes, Agere, Annus, Arbitrium, Arbores, Argentum, Auctor, Beneficium, Bona, Caduca, Canonici, Capitulum, Caput, Cardinalis, Cauſſa, Cautio, Cenſura eccleſiaſtica, Civilis, Clavus, Cognatio, Comes, Commenda, Committere, Communia, Condictio, Confeſſio, Conſuetudo, Decimae, Defendere, Directus, Domeſtici, Edicta, Epiſcopus, Facere, Factum, Falſum, Familiae, Fides, Finis, Foenus, Frater, Gerere, Gradus, Habere, Haeres, Honor, Immittere, Incertus, Iniuria, Integer, Iudicium, Iurisconſultum, Ius, Laſer, Legitimus, Lex, Locus, Magiſtratus, Manus, Miles, Munus, Operae,* et alia. Ea quoque capita, quae ad ius canonicum et rem eccleſiaſticam ſpectant, copioſe prae aliis ſcripta ſunt et accurate. Quod autem ad vitas ICtorum veterum pertinet, vellemus, Auctor non ſemper tam preſſe duces aliquot ſecutus eſſet, quibus non tutam ubique fidem habere poſſumus. Multa erant

erant Auctori et omittenda, et mutanda addendaque, Deinde multa ſunt capita, quae lectoribus, paullulum in his litteris progreſſis, non ſatisfacient. Quam pauca, quaeſo, de magiſtris memoriae et epiſtolarum, de comite domorum, de angariis, de ſectione, de ſilentiariis, legimus! Nihil de privilegiis eorum, ſeu praerogativis, unde potiſſimum de dignitate eorum iudicari poteſt. Parum accurate egit Auctor de auditorio principis, et quomodo differat a tribunali, atque de chartulariis. Deſunt quoque non pauca, et verba et dicendi formulae, ad ius pertinentia. Sic fruſtra quaeras, quid ſit numo addicere, quod explicat Salmaſius de uſur. c. 13. quid, aere dirui, quod docet Gronov. ad Liv. XL. 42. quid magiſtri larum Auguſti, magiſter rei privatae Africae, *l. 4. C. Th. de iur. fiſc.* apud Acta dicere, cum Imperator cum conſilio collocutus decernit, *l. 6. C. qui bon. ced. poſſ.* ad ſacras appellationes cognoſcere; adiutores a libellis: annonae palatinae, *l. 35. C. T. de erogat. milit. annon.* apparitor ſtationarius, *l. 31. C. T. de Epiſc. et Cler.* cannalis ſive cannalium publicum, *l. 2. C. T. de curioſis:* Acta circumducere: Commentarius Beneficiorum: utenſilia pro ſupellectile, *l. quaeſitum, §. proinde, D. de inſtruct. et inſtrum. leg.* typus pragmaticus, *Nov.* 113. et alia, quae petere potuiſſet Auctor ex elegantiſſimo libro *Iacobi Gutherii de officiis domus Auguſtae.* Addere debuiſſet quoque et explicare Auctor, quid ſint: ταμεῖον, *Nov. Marcia. de ind. relig.* Nothia, *l. vulgo. D. de ſtat. homin.* Quadruplator: res fungibiles: zona: vociferatio; non ideo, pro non continuo: non nominatim; non velle, non nimis: non utiliter. Atque haec et longe plurima ſuppeditaſſet *Pardulphi Prateii Lexicon Iuridicum,* quem librum Auctor ignoraſſe videtur. At non ignorarunt ii, quorum verba huic ſuo operi inſeruit Auctor, qui ex illo libro, veluti ex flumine, ſaepe rivulos duxerunt, iisque labores ſuos irrigarunt, plerumque ipſo fonte, unde hauſerint, diſſimulato. Sed condonabimus hanc levitatem maioribus meritis.

Digitized by Google

CATALOGUE RAISONNE DES TABLEAUX DU ROI, avec un abrégé de la Vie des Peintres, etc.

id eſt:

ENARRATIO CRITICA TABULARUM, QUAE IN Regis Gallorum adſervantur Muſeo, cum brevi Pictorum vita: edita iuſſu Regis Chriſtianiſſimi. TOMUS II. qui Scholam Venetam et Longobardicam continet. Opera Dom. L' EPICIE, Secretarii perpetui et Hiſtoriographi Academ. Pictorum et Sculptorum Pariſ. rel.

Lutetiae Pariſiorum, e Typographia regia: 1754.
Alph. 2. plagg. 21. quaternis.

De praeſtantia huius operis et inſtituti ratione ſatis nuper a nobis dictum eſt. In hoc altero volumine Cel. Auctor eodem, quem in priori obſervavit, ordine pergit, atque ad ſcholam *Venetam* et *Longobardicam* deſcribendam tranſit. Quae, etſi, quod ad elegantiam et accuratam omnium partium deſcriptionem attinet, Romanae ſcholae facile palmam concedant; tamen ob pulchritudinem colorum, magnamque in deſignandis rebus artem, ſummas laudes merentur. Ex VENETA igitur ſchola ab Auctore ſequentes proponuntur:

JEAN BELLIN, qui A. MCCCCXXII. Venetiis natus, patrem habuit Iacobum, pictorem, et feliciſſimum duorum filiorum, Ioannis et Gentilis, parentem, quibus ſchola Veneta ſuam originem debet. Propoſuit ſibi naturam optimam magiſtram, atque, primus omnium olei uſum ad picturam transferens, immortalitem nominis conſecutus eſt. Paullo ante mortem a Ferrariae Duce, Alphonſo I. ad Bacchanalia depingenda invitatus, morte praematura impeditus, opus inchoatum non perfecit. Sed abſolvit illud magna elegantia diſcipulus Bellini, Titien Vecelli, nihilque adſcripſit aliud, quam haec verba: *Ioannes Bellinus.*

Egre-

Egregium vero exemplum modeſtiae! Diem obiit Anno MDXII.

PARIS BORDONE, Venetiis A. MCCCCLXV. natus, et optimis artibus inſtitutus, iam in tenera aetate variis indiciis prodidit, quantum ſit in pingendi arte nomen conſecuturus. Magiſtrum ſecutus eſt Titianum, ſed brevi tempore eos fecit progreſſus, qui magiſtrum ſummam in admirationem raperent, ipſumque, prae aliis huius aetatis pictoribus, celeberrimum redderent. Illa, qua maximam ſibi famam peperit, tabula depinxit, quod vulgo Venetiis factum piſcatoris *(l'aventure du Pêcheur)* vocant. Res ſe ſic habet. Anno MCCCXXXIX. d. 25. Febr. nihil propius abfuit, quam ut tota urbs undis ſubmergeretur. Tam vehementer mare intumuit. Hac in omnium perturbatione tres ignoti viri a ſene piſcatore, ut ſe ad templum, Nicolao ſacrum, vehat, petunt: piſcatore negante, ipſi in naviculam inſcendunt, illumque remigare cogunt: vix remo moto, ſumma fit maris tranquillitas. Paullulum progreſſi oſtendunt nautae navem plenam daemonibus, illosque tempeſtatem hanc excitaſſe dicunt: extendunt manus ſupra undam: repente navis illa ſubmergitur, et mare ſedatur. Alter horum exſcendit navi prope templum S. Nicolai, alter ad S. Georgii, et tertius ad eundem, ubi navim inſcenderat, locum revehi ſe poſtulat. Idem piſcatorem, mercedem poſtulantem, ad Senatores ablegat: ſe S. Marcum, reipublicae patronum, illos vero, qui iam exſcenderint, Nicolaum et Georgium eſſe ait, illique annulum ad comprobandam Senatui rei veritatem tradit. Quo facto, ex oculis piſcatoris evanuit. Piſcator coram Senatu totam rem exponit, et multum pecuniae accipit; annulus vero in templo Marci aſſervatur. Bordonus igitur ſumma arte piſcatorem annulum Senatoribus tradentem expreſſit. Invitatus deinde eſt a Franciſco, illo omnium artium reſtauratore, in Galliam, A. MDXXXVIII. ibique omnibus honoribus auctus, omnibusque et Franciſci animo et ſuo inge-

nio dignis praemiis ornatus, in patriam rediit. Mortuus eſt A. MDXL.

ANDRE SCHIAVON, parentibus egenis prognatus, nullo magiſtro uſus eſt, ſed, diligenti tabularum Titiani et Georgioni conſideratione, magnam, in coloribus praeſertim deligendis, elegantiam ſummumque artificium oſtendit: Neque tamen hic colorum ſplendor negligentiam, in omnibus Schiavonii tabulis elucentem, oblitterare potuit. Haec negligentia cum nimiae feſtinationi tribuenda eſt, qua picturas ea de cauſa confecit, ut parentum ſuamque egeſtatem eo facilius toleraret ſublevaretque, tum etiam inde orta, quoniam operam ſuam lapicidis collocavit, qui exiguam laboris mercedem ſolvebant. Etſi vero magnum tabularum numerum perfecit, mortuus tamen eſt admodum egenus, natus annos ſexaginta. Accidit poſt mortem, quod pluribus magnis viris, ut nomen Schiavonii, pretiumque tabularum illius, in dies creſcerent.

TITIEN VECELLI, A. MCCCCLXXVII. Cadori in Foro Iulio natus, magiſtrum quidem habuit Ioannem Bellinum, ſed animum inprimis ad Giorgioni tabulas exprimendas adiecit, eumque tam feliciter imitatus eſt, ut multae picturae a Titiano factae Giorgiono tribuerentur. Qui tam parum aemulum hunc ferre potuit, ut eum domum ſuam intrare nollet. Sed, extincto illo, multas picturas, ab illo inchoatas, perfecit. In aula Alphonſi I. Ducis Ferrariae, aliquamdiu verſatus eſt, ibique arctiſſimam cum Arioſto amicitiam contraxit, qui illum ſummis laudibus ornavit. Familiariter etiam uſus eſt Petro Aretino, ſaepenumero ab eo laudatus, atque Carolo V. Bononiae A. MDXXX. verſanti, commendatus. Multas a Carolo V. ſibi mandatas picturas fecit, illius in aulam A. MDXLVIII. ſe contulit, multisque ibi honoribus auctus eſt. Neque enim ſolum magnis divitiis ab Imperatore cumulatus, et Comes Palatinus creatus fuit, ſed ſuam quoque imaginem illuſtriſſimis domus Auſtriacae heroibus inſeri vidit. Accidit, ut Titiano, Carolum pingenti, penicillus e manu excideret;

ret: quem, poſtquam Imperator terra ſuſtulerat, Titiano eodem tempore ad eum tollendum procumbenti, dicentique: *non merita cotanto onore un ſervo ſuo;* reſpondit: *e degno Titiano eſſere ſervito da Ceſare.* Hinc, quanta floruerit apud Imperatorem gratia, intelligi poteſt. Pinxit idem Titianus Franciſcum I. Gall. R. Paulum III. pontificem, Ferdinandum, regem Romanorum, Philippum, Hiſpaniae principem, et Henricum III. regem Galliae. Neque ullus fuit eo tempore principum atque regum, qui non illius amicitiam ambiret, illique innoteſcere cuperet. Inter picturas eius eminent duae praeſertim tabulae: in altera triumphus fidei apparet, tanta arte et elegantia expreſſus, ut, Titianum, ſi plus in antiquitatibus ſtudii poſuiſſet, Raphaelem et Michaelem Angelum eſſe ſuperaturum, communis eſſet omnium ſermo: in altera Danaë conſpicitur, quae Michaeli Angelo tam admirabilis viſa eſt, ut ad coloris ſplendorem aliquid addi poſſe negaret.

GEORGE BARBAERELLI, alias Giorgion dictus, natus fuit A. MCCCCLXXV. in Marchia Tarviſina. Contulit in eum larga manu natura praeclariſſimas dotes, amabilem vocem, ingenium docile, atque ad omnes artes aptum. Delineavit primum ſummo ſtudio picturas Leonardi Vincii, et deinde, Io. Bellino magiſtro, ad pingendi artem animum applicuit. Brevi magiſtrum ſuperavit, ſummamque apto colorum uſu laudem adeptus eſt. Elegit ſemper vivos et rei delineandae maxime convenientes colores, ſummaque arte umbram et lucem in picturis ſuis adhibuit. Paucas maiores tabulas fecit, plures vero imagines, in quibus molliſſima arte capillos expreſſit, et percommoda ratione perſonas depinxit. E vita deceſſit A. MDXI.

JEAN-ANTOINE REGILLO, dictus a patria PORDENON, natus A. MCCCCLXXXIV. Giorgionum magiſtrum felici imitatione aſſecutus eſt, multoque et oleo et coloribus aqua dilutis, in udo tectorio *(al freſco)* pinxit. Magna inter illum et Titianum fuit aemulatio, ſeu inimicitia potius.

Digitized by Google

tius. Quare Pordenonus, peſſima quaeque ab adverſario timens, telo et clypeo munitus fuit. Mortuus eſt, Anno MDXL. Sunt qui illum veneno ab iis extinctum eſſe credant, qui ſummam, qua apud Ducem Ferrariae floruit gratiam, ferre non potuerint. Prae aliis videtur memoranda tabula, in qua frontiſpicium domus mercatoris cuiusdam depinxit. Qua pictura tantam famam conſecutus eſt, ut Michael Angelus nulla alia de cauſa Venetias proficiſceretur, quam ut ſuos oculos iucundiſſimo tabulae huius aſpectu paſceret.

JACQUES DUPONT, BASSAN dictus, natus Baſſani in Lombardia, A. MDX. Bonifacio Veneto magiſtro uſus eſt, et Titiani atque Parmeſani tabulas imitandas ſibi propoſuit. Venetiis in patriam rediit, ibique habuit domum in amoeniſſima regione ſitam. Atque tale domicilium ingenio Baſſani maxime arriſit. Nihil enim lubentius quam pulchritudinem naturae, animalia, et amoenitates ruris depinxit. Quanta arte naturam rerum expreſſerit, inde intelligitur, quod Annibal Carachus manum extenderit ad evolvendum librum, quem verum credidit, ſed deinde pictum eſſe a Baſſano, vidit. Obiit A. MDXCII.

JACQUES ROBUSTI, cognomine le TINTORET, Venetiis A. MDXII. natus eſt. A teneris unguiculis non paucis indiciis declaravit, quales in arte pingendi ſit progreſſus facturus. Magiſtrum quidem habuit Titianum, ſed eidem ob ſummam ingenii elegantiam, quoad vixit, inviſus infeſtusque fuit. Quemadmodum vero Titianum in coloribus, et Michaelem Angelum in deſignandis rebus, ſibi propoſuit, ſic et Architectos, et omnes, qui aliquod nomen gererent, pictores adiit. Deſignationem, fundamentum omnis picturae, maxime commendavit: bonos colores in tabernis mercatorum inveniri addens, ſed illam e praeſtantium artificum ingenio prognaſci. Albo et nigro colori maximum pretium ſtatuit, illosque ad umbram et lucem picturis inferendam ſufficere docuit. Neque ſolum ſumma diligentia primas lineas duxit, resque pingendas deſignavit,

ſed

ſed ſuſpendit quoque ſaepe tabulas in aere, ut eo melius de illis iudicare poſſet. Maximam quoque elegantiam ſumma cum celeritate coniunxit. Neque tamen omnibus eius picturis idem eſt pretium ſtatuendum. Nam, ut familiae egeſtatem ſublevaret, magis aliquoties feſtinavit, quam par fuit. Mortuus eſt A. MDXCIV.

LAMBERT. ZUSTRIS, e Flandria ortus, Titiano magiſtro uſus eſt. De vita illius nihil Auctor invenire potuit. In Regia picturarum collectione aſſervantur ſequentes, ab eo confectae, tabulae: Iudith, caput Holophernis tenens: baptizatio Servatoris: Chriſtus Magdalenae apparens: Venus et Amor.

LES DOSSES. Ferrariam hi fratres patriam habuerunt, parique elegantia et ſtudio aliquot tabulas fecerunt, quae utri horum tribuendae ſint, difficile eſt cognitu.

LAURENT. LOTTO, primum Bellinum, et deinde Giorgionum imitatus eſt. Alias de vita nihil conſtat.

JEROME MUTIAN, A. MDXXVIII. Breſſiae in Lombardia natus, magiſtros ſecutus eſt Romaninum, Titianum, et Thadeum Zucharum. Semper naturam ante oculos habuit, atque amoenitatem et veritatem cum elegantia et accurata veterum diligentia coniunxit. Hiſtorias quidem eleganter expreſſit, ſed lubentiſſime amoenas regiones. Depinxit arbores, flores, et quaecunque ad delectationem et varietatem aliquid conferre cenſeret. Caſtaneam vero inter omnes arbores ad imitandum aptiſſimam eſſe iudicavit. Gregorio XIII. Pontifici valde carus fuit. Obiit A. MDXC.

PAUL. CAGLIARI, natus Veronae A. MDXXXII. ſummis et animi et ingenii dotibus fuit ornatus. Vir cetera probus, religionis omniumque officiorum obſervantiſſimus, et, ſicut ille ait, pectus eſſe, quod diſertum faciat, ſic magnifica et alta quaedam in tabulis elucens indoles ex pectore illius enata eſſe videtur. Fuit in illo ingenium amoenum, admirabilis quaedam in rebus fingendis diſponendisque vis, tantaque in pingendo venuſtas, ut etiam

oculi minus eruditi illius tabulis ſummopere delectarentur. Neglexiſſe quibusdam videtur leges conſuetudinis, pictori quoad tempus, locum, perſonas, obſervandas. Mortuus eſt A. MDLXXXVIII. et duos reliquit filios, Carolum et Gabrielem, paternarum virtutum aemulos.

JACQUES PALME, dit LE VIEUX, natus A. MDXLVIII. in regione Bergomenſi, operam dedit Titiano, magnamque in coloribus eligendis, et apta deſignatione, artem oſtendit. Hic Palmi magiſter cum corpus Chriſti e cruce deſumtum depingere coepiſſet, ſed morte impeditus tabulam abſolvere non potuiſſet, ſumma arte hic picturam illam confecit, atque haec adſcripſit: *Quod Titianus inchoatum reliquit, Palma reverenter perfecit, Deoque dicavit opus.* Summam vero laudem S. Barbara depicta conſecutus eſt. Obiit A. MDXCVI.

PALME LE JEUNE. De vita huius Auctori nihil notum eſt, niſi, eum Tintoreti diſcipulum fuiſſe.

ALEXANDRE VERONESE, natus Veronae A. MDC. Felicem quidem Riccium magiſtrum habuit, ſed naevos in tabulis illius eminentes diligenter evitavit emendavitque. Propoſuit enim ſibi in coloribus Corregium, et in capitibus Guidum imitandum. Nunquam neque delineavit pingendas res antea, neque deſignavit, ſed omnes figuras ad menſuram, quam propoſuerat, elaboravit. Inter tabulas illius maximam laudem meretur, quae S. Antonium exhibet. Mortuus eſt Romae A. MDCLXX.

Hi ſunt, qui ſcholam Venetam arte et ingenio ſuo illuſtraverunt: venimus ad ſcholam LONGOBARDICAM, e qua ſequentes producit doctiſſimus Auctor artifices:

ANTOINE CORREGE, a patria, in Moden. Duc. ſita, ita dictus, natus fuit A. MCCCCXCIV. et, quam nactus eſt tabulis pluribus gloriam, ſibi ſoli debuit. Nullum habuit magiſtrum, nunquam Romam adiit, aut antiquorum pictorum tabulas ſibi propoſuit, ſed ſolius imitatione naturae, et improbo quodam labore, ingenium ſuum excitavit, aluit, perfecit. Quemadmodum vero nullum imitatus

tus

Digitized by Google

tus eſt, ita neque alius quisquam illum imitari potuit. Elegantia, coloris pulchritudo, venuſtas inventionis, et perfectiſſima harmonia, in illius tabulis elucent. Pinxit nativitatem Chriſti, neque illam, ut alii fecerunt, die, ſed nocte fieri iuſſit: capiti vero Chriſti tantum ſplendorem addidit, qui totam tabulam admirabilem facit. Mortuus eſt Anno MDXXXIV. nullis ſuae artis praemiis acceptis. Nam rem, quam a parentibus nactus erat, familiarem, eamque valde mediocrem, neque augere, neque multis laboribus efficere potuit ut familiam bene aleret.

LOUIS, AUGUSTIN, ANNIBAL et ANTOINE, CARACHES. Quantum hiſce ars pingendi debeat, ille intelliget, qui, qualis fuerit pictoriae eo tempore in Bononia facies, perſpectum habet. Quaecunque ad pulchritudinem picturarum pertinent, vel ignorabantur, vel negligebantur, vel pro arbitrio cuiusque adhibebantur. Alii naturam ſervili imitatione, ſine omni arte exprimebant; alii naturam negligentes, coecum ingenio ſuo obſequium praeſtabant. Illorum dux Caravagus, horum Ioſepinus erat. Multis utriusque ſchola diſcipulis florebat. Sed Carachorum ingenia, benignioris fati indulgentia tum exorta, revocabant pingendi artem ad ſua principia, illique adſperſas ab aliis maculas abſtergebant. Ludovicus quidem Carachus, Bononiae natus A. MDLV. primum Proſperum Fontanam magiſtrum habuit, ſed cum ille parum honorifice de illius ingenio ſentiret, Tintoretum adiit. Hic eadem, quae antea Fontana, dixit, illumque quidvis aliud, quam pingendi artem, tractare iuſſit. Verum non depreſſus, ſed excitatus eſt hiſce iudiciis Ludovici ingenium, qui maximo ardore ſummorum artificum tabulas ſibi propoſuit, deinde Florentiae Paſſignanum, et denique Parmae Corregium et Parmeſanum, magiſtros ſecutus eſt. Auguſtus A. MDLVII. et Annibal A. MDLX. nati ſunt. Patrem habuerunt Antonium, ſartorem. Auguſtinus primum ad aurifabrum miſſus eſt, illique operam dare iuſſus, ſed paullo poſt in paternam domum reverſus, plurimum

ſtudii operaeque in deſignandis rebus poſuit. Annibal, cuius ingenium ſtupidum videbatur, eodem quo pater modo, ipſe victum ſibi quaerere voluit, ſed mutavit deinde conſilium. Annibal igitur una cum fratre et Ludovico in pingendi arte ſe exercuit. Iter fecit in Lombardiam, Parmam, et Venetias, ibique magno cum fructu Titianum, Tintoretum, et Paulum Veronenſem, tanquam optima exempla ſibi propoſuit imitandos. Diligenter hi tres, quaecunque ad pingendi artem pertinere cenſuerunt, inter ſe communicavere, alter alterum excitavit et docuit, tandem celeberrimam illam ſcholam aperuerunt. Maximus huc iuvenum numerus confluxit, ibique ſitim ſuam ſatis explere atque reſtinguere potuit. Fuerunt ibi pulcherrimae imagines, venuſtiſſimae ſtatuae, utiliſſimi libri; docuit iuvenes Anatomices doctor membrorum commotiones artuumque naturam; ſaepius convenerunt cum pictores, tum in aliis litteris probe verſati viri, variaque diſceptanda propoſuerunt; aemulatio denique vehementiſſimos omnibus ſtimulos addidit. Quare Carachorum fama per totum orbem diſſeminata fuit. Accidit inde, ut Cardinalis Odoartus Farneſius multas tabulas et Annibali et Auguſtino conficiendas mandaret, inter quos aemulatio quaedam ſuborta, quae animos alterius ab altero valde diſiunxit. Auguſtinus obiit A. MDCV, filiumque reliquit Antonium, multo arti pictoriae ornamento futurum, niſi praematura morte extinctus fuiſſet. Annibal mortuus eſt A. MDCIX. Cauſa mortis haec fuit. Diximus, Farneſium Annibali aedes ſuas picturis exornandas mandaſſe. Quod quidem mandatum multo labore hic perfecit. Omnibus abſolutis, Hiſpanus quidam, Jean de Caſtro, multum qui apud Cardinalem valuit auctoritate, perſuaſit Farneſio, ſatis amplum laboris huius praemium D. numos aureos fore. Offertur hoc munuſculum Annibali, tam vehementer obſtupeſcenti, ut ne loqui quidem poſſet, non tam avaritia, quam quoniam tam parvi ſuos labores aeſtimari videret. Tam vehementer quoque hanc

Digitized by Google

hanc contumeliam ad animum revocavit, ut altas in eo radices ageret, nec, niſi morte, exſtingueretur. Ludovicus maxima fama floruit; illius verba tanquam oracula pictores audiverunt; plurimaque Lombardiae templa illius arte exornata ſunt.

MICHEL-ANGE MERICI, a patria vulgo LE CARAVAGE dictus, primum quidem Venetiis Giorgionum, deinde Romae Joſepinum ſibi imitandum propoſuit. Quanquam vero huius tabulis non parum initio captus fuit, mox tamen fecit ab eo diſceſſionem. Nam et vegetiorem picturis ſuis faciem donavit, et magis veritatem ante oculos habuit. Neque tamen in umbra et lumine adhibendo modum tenuit, neque antiquorum artificum ſtatuas magni fecit. Mea, dixit, exempla, in plateis et locis publicis ſunt. Magnus ſuit eorum numerus, qui illum ſuſpicerent, admirarentur, et imitarentur. Ceterum fuit animo elato, vano, ambitioſo, et iracundo: nihil moleſtius quam aequales tulit, atque his moribus multas turbas ſibi ipſe peperit. Extinctus eſt febri A. MDCIX.

GUIDE RENI, Bononiae A. MDLXXV. natus, ſicut facie fuit venuſta et amabili, ita praeditus ingenio placido et eleganti, adeo ut digniſſimo domicilio animus eius incluſus eſſe videretur. Magiſtrum habuit Dionyſium Calvartum, in quo mirifica fuit in pingendo diligentia. Quo magiſtro non contentus, oculos animumque ad ſummorum pictorum tabulas adiecit, ipſosque Carachos adiit, quorum e doctrina tantum profecit, ut Hannibal illius arti ſubinvideret. Habuit et alios ſibi infeſtos, et, cum eadem aſſequi deſperarent, inimicos. Fuerunt tamen plurimi et ingenio et opibus atque honoribus inſignes, quibus ſemper in deliciis fuit. Mortuus eſt A. MDCXLII. Elegantiſſime omnia deſignavit: penicillo optime quaevis expreſſit: in pingendo facilitatem cum accurata diligentia coniunxit: in veſtibus exprimendis admirabilis fuit, atque in lineamentis oris omnem imitationem ſuperavit. In digitis Guidi, dum pingeret, Gratias ſedere, vulgo dixe-

 runt

Digitized by Google

runt Itali, et inde ad figuras tranſire, quas ſuo penicillo animaret.

FRANÇOIS ALBANE, A. MDLXXVIII. Bononiae natus, Dionyſium Calvartum et Ludovicum Carachum, pictoriae addiſcendae cauſa, adiit. Magna inter hunc et Guidum fuit aemulatio, eaque longius proceſſit, quam par fuit. Nihil melius lubentiusque pinxit, quam infantes et foeminas, nullamque prope aliam rem, quam Venerem et Amorem, in deliciis habuit. Saepius uxor infantes eius vel nudos faſciolis in aere ſuſpendit, vel ita collocavit, ut voluntati illius ſatisfieret. Moribus fuit modeſtis et puris, atque vitam ſapientiſſime egit. Mortuus eſt A. MDCLX.

DOMINIQUE ZAMBIERI, Bononiae A. MDLXXXI. natus, pictoriam didicit a Calvarto et Carachis. Multis fuit et inimicorum et fortunae vexationibus agitatus. Animum habuit modeſtum, humanum, politum, quieti otioque deditum, atque ſuae arti unice intentum. Inter picturas illius eminent S. Ieremias, Andreas, et Petrus in carcere. Obiit A. MDCXLI. In tabulis autem pura deſignatio, venuſta expreſſio, et bonus color elucent.

JEAN LANFRANC, Parmae natus A. MDLXXXI. Annibali et Auguſtino, Carachis, operam dedit. Magis illius ingenium atque ars in grandioribus, quam in parvis tabulis excelluit. Latus et amplus campus eſſe debuit, in quo artificium ſuum oſtenderet, ſuasque dotes explicaret. Inde quoque, quoniam colores eius illis, qui longius abeſſent, perpulchri videbantur, Lanfrancum dicebant aere adiutum ſuas tabulas pingere. Natura non tam ad amoena, ad mollia, ad iucunda, quam ad robuſtiora, ut ita dicamus, et fortiora exprimenda aptus fuit. E vita migravit Anno MDCXLVII.

JEAN-FRANÇOIS BARBIERI, *dit le* GUERCHIN, natus in ditione Bononiae A. MDXC. nullum ſibi imitandum propoſuit, multaque elaboravit, priusquam aliorum tabulas inſpexit. Poſtea animum adplicuit ad Caravagii picturas, multumque provectiori aetate ſuavitatis addidit huius, ſi ita

ita dicere licet, feritati et auſteritati. Maximam ei famam pepererunt S. Petronilla, ortus Aurorae, et Converſio S. Guilielmi. Vir fuit probus, liberalis, divitiisque ſuis ad ſuſtentandos pauperes utens. Mortuus eſt Anno MDCLXVI.

PIERRE-FRANÇOIS MOLA, natus A. MDCXXI. Joſepino et Albano magiſtris uſus eſt. Multum ſtudii in aptis, bonis, et fortiſſimis coloribus adhibendis poſuit, illiusque tabulae ſplendidiſſimae ſunt in hoc genere, licet perpaucae. Obiit A. MDCLXVI.

BARTHELEME MANFREDE, Mantuanus, felici imitatione Michaelem Angelum expreſſit. Vividae illius ſunt tabulae, multoque labore et cura confectae. Nihil ex ſuo ingenio protulit, ſed alios ſemper, licet magna cum arte, imitatus eſt. Ingenium minoribus imaginibus affixit. Diem ſuum obiit medio Sec. XVII.

Atque haec de Tomo hoc dicere habuimus. Optamus vehementer, ut operis doctiſſimi utiliſſimique continuatio, eadem diligentia curetur. Erit hoc bonarum artium intelligentibus gratum munus, a nobis etiam, quamprimum ad nos venerit, poſteritati commendandum.

MARMORA TAURINENSIA, DISSERTATIONIBUS et Notis illuſtrata. PARS ALTERA, cui addita eſt Appendix Inſcriptionum, quae perierunt, et quarum memoria ab uno nobis Pingonio ſervata.

Auguſtae Taurinorum, ex Typograph. regia, 1747. 4. mai. plagg. 18.

Etſi neque nova multa, neque inedita aut recondita, in hoc opere proponuntur, noluimus tamen ideo illius mentionem praeterire, quoniam iam in hiſce Actis noſtris Anno MDCCLI. *menſ. Mart. p.* 115. priorem partem indicavimus. Bene quidem fecerunt Auctores huius libri, quos *Antonium Rivautellam*, et *Io. Paulum Ricolvi*,

Ricolvi, Societati Ieſu adſcriptos, eſſe, ex dedicatione apparet, quod, quas in priori parte iure reprehendimus, faſtidioſas in mythologiam excurſiones, cumulatas ſine neceſſitate veterum ſcriptorum auctoritates, et operoſas rerum, iam in vulgus notarum, expoſitiones omiſerint: ſed vellemus, hinc etiam plura abeſſent, hodiernis in editionibus marmorum plane ſupervacua. Eratne, quaeſumus, operae pretium, imaginem occaſionis pag. 4. tot Phaedri, Poſidippi, Auſonii, Himerii Sophiſtae, locis ſtipatis, graecorumque interpretatione, neſcimus qua de cauſa, addita ſemper, illuſtrare. Si Auctores Angeli Politiani *Miſcellanea* — evolvant, videbunt, quam facile omni hac ſua opera ſuperſedere potuiſſent. Quid opus fuit, de Chirone ac Centauris, *pag.* 11. *ſeq.* tres paginas implere? in Iovis Ammonis et Cornu copiae explicatione tam diſertos eſſe, *pag.* 15. veterumque poetarum fabulas recoquere? *pag.* 35. vera et propria legionum nomina enarrare? *pag.* 45. et *pag.* 95. quid ſit Quaeſtor? quid Duumviri? exponere? *pag.* 53. tot verba de Exarcho facere? *pag.* 104. de Circitore. Res quam hodie incognitas! *Primum* marmor, ex Maffeii Verona Illuſtrata repetitum, ſiſtit virum ſeniorem, Iovem Editores arbitrantur, barbatum, ſeminudum, haſtam tenentem, et lapide quadrato, cui inſcriptum: DIADVMENI, ſedentem. Duae adſtant feminae: altera, pube tenus nuda, dextra laevum Iovis humerum tangit, ſiniſtra quid habeat lapis detritus ſcire prohibet; altera, peplo talari induta, ſiniſtra haſtam, ſeu ſceptrum potius, tenet, dextra pallium ſuſtentat. Nobis, cum primum hoc marmor adſpiceremus, obverſatus eſt animo Diadumenus, Caeſar, filius Macrini Auguſti, a naturali, quo inſignitus, diademate, nomen adeptus, vid. *Lampridius* in vita c. 4. ibique interpretes. Verum tota in tabula nihil occurrit, quod huic congruat. Editoribus nomen hoc artificis videtur, ut famae et gloriae ſuae conſuleret, inſculptum. Neque tamen aliud quid ſibi de hoc conſtare fatentur, neque nobis hoc nomen unquam

occur-

occurrit. Latetne forſitan ſub his verbis Δία et μένει? Verum non lubet hariolari: acutiores iudicent. *Altera* tabula, ab eodem Maffeio iam edita, exhibet Occaſionem, ſub imagine iuvenis nudi, laeva manu bilances tenentis, alteramque earum indice dextrae prementis, magnas habentis in humeris alas, exiguas in pedibus, magis currenti quam volanti ſimilis. Scrupulum iniicere videntur Viris Cl. alati humeri; ſed tenendum eſt, non ſemper tam religioſos pictores poetasque fuiſſe, quin aliquid vel adderent, vel omitterent. Phaedrus occaſionem calvam, aliique fronte capillatam dicunt, in hac tamen tabula totum caput capillatum conſpicimus. Non ſcrupuloſius haec ſemper inquirenda. In *tertio* marmore apparet Centaurus, cuius dorſo tenellus puerulus inſidet, et mulier, dextrorſum adſtans, quae Editoribus Thetis videtur, Achillem ſuum Chironi tradens, atque avo nepotem commendans. *Quarta* tabula habet Iovis Ammonis caput, cum Cornu copiae et calatho e vimine contexto, atque ex dextro arietino cornu dependenti. Inde nata Noſtris occaſio, latius in mythologicos campos exſpatiandi. In marmore *quinto* ſacrificium conſpicimus. Sacerdos in veſte pura adſtat, capite non, ut mos fuit alias, velato, ſed capillis tantummodo faſciola aliqua colligatis. Siniſtra manu in patella tenet fruges, favum, mala, et avenam, ut cuivis tabulam inſpicienti patebit; non, ut Editores putant, ea, quae molae ſalſae vocabulo nota ſunt. Dextra urceolum habet, atque aqua frigida victimam explorare videtur. Quanquam, ſi paullo curioſius rem conſideremus, victimam iam mactatam, iamque pellem ei detractam eſſe, veriſimile eſt. Adſtat alius quoque, pelle amictus, et victimam poſterioribus pedibus ſuper aram tenens. Noſtri arbitrantur, vel Herculem, ſacris Cereris initiatum, vel Evandrum et Herculem ſimul ſacrificantes, exprimi. Reliqua marmora vel temporis incuria detrita et fracta, vel incerti ſunt argumenti. Quare non eſt operae pretium de his aliquid dicere. Veniamus igitur ad lapides inſcriptos,

Digitized by Google

quorum pauci ſunt alicuius momenti. Memoria Quinti Glitii, Publii filii, ex tribu Stellatina, cognomine Agricolae, viri ſub Imperatoribus, Veſpaſiano, Nerva, et Traiano, cum civilibus, tum militaribus negotiis clariſſimi, ſex marmoribus conſecrata eſt, a Pingonio, Grutero, Guichenonio, Muratorio editis, et nunc in hoc opere repetitis. Atque ſine his lapidibus nomen Glitii omnino periiſſet, cum nullus eius aetatis ſcriptor mentionem illius faciat. Qua occaſione Editores Glitii nomina, munera, res geſtas, dona militaria, et honores illi habitos commemorant. Coniiciunt quoque, Glitium aliquem Auctorem fuiſſe legis Gliciae, *Digeſt. lib.* 5. *tit.* 11. *de inoffic. l.* 4. *non eſt enim conſentiendum:* quam licet alii ad Marcum Gliciam, qui A DIV. V. C. Praetor fuiſſe traditur, referant, non tamen ea lex tam antiqua Noſtris videtur; et tum, ſi Glicia auctor fuiſſet, Glitiana potius appellanda, quam Glitia. Neque tamen haec efficiunt, quin in inſcriptione illa *Falcidiam* eſſe legendum cum viris doctis credamus. *vid. Wieling. Iurispr. reſtit. I. pag.* 76. conf. *Bynkershoek Obſ. II,* 12. Addunt Noſtri, non mirandum eſſe, Glicii nomen, qui Conſul in marmoribus appelletur, in nullis Faſtis Conſularibus occurrere. Multos in medium proferri poſſe Conſules, quos in Faſtis publicis fruſtra quaeſiveris. Fuiſſe enim triplex Conſulum genus, Ordinariorum, Suffectorum, et Honorariorum: hoc inſtitutum, amiſſa libertate, in Rempublicam invectum, et Caeſarem primum illius auctorem fuiſſe: huius exemplum reliquos Imperatores ſecutos, cum omnem Imperii poteſtatem ſibi arrogaſſent, et aliquam tamen Reipublicae ſpeciem ſervare voluiſſent, quos optarent collegas ſibi in Conſulatu aſſumſiſſe, et, ut amicis gratificarentur, plures interdum eodem anno Conſules honoris cauſa deſignaſſe. Ita in Faſtis Conſularibus nomen Imperatoris, aut eorum Conſulum ſcriptum fuiſſe, qui Conſulatum Kalendis Januariis iniviſſent, aliorum vero, qui per aliquem anni menſem, tanquam Vicarii Imperatoris, Conſulari honore fruiti, nullam fuiſſe

habitam

Digitized by Google

habitam rationem. Traianum praecipue, ſub quo hic Glitius vixerit, hoc uſurpaſſe. Sic Plinium Conſulem fuiſſe menſe Septembri A. DCCCLIII. V. C. Plutarchum etiam, teſte Suetonio, ſemel, et Silium Italicum ter Conſulatum geſſiſſe: horum tamen nomina fruſtra in Faſtis quaeri. Haec magis, ut de ratione, qua verſentur Editores in explicandis marmoribus, conſtaret lectoribus, quam quod ignota haec eſſe putaremus, excerpimus. Pag. 64. exhibetur inſcriptio, iam a Grutero allata, pueruli immatura morte rapti funus et memoriam continens. In ſumma ſaxi parte apparet puerilis Hermes, gallus gallinaceus, Mercurii caduceum in ore habens, et aries. Dubitanter de hiſce Viri Cl. pronuntiant, atque ſe noſſe quidem fatentur, gallo Ianuarium menſem ab antiquis indicatum, et ab ariete veris et anni aſtronomici initium dudum fuiſſe computatum; neque tamen aſſerere, neque negare audent, haec in hoc marmore tempeſtatis, qua natus, quave mortuus iſte puer, aut aetatis adhuc tenerae, qua exſtinctus, ſymbola eſſe. Illuſtratur obiter diligentia et cura veterum in annis, diebus, menſibusque vitae notandis, quos defuncti peregiſſent. Praecipue hoc a parentibus in puerorum titulis actitatum, ut maiorem in legentibus commiſerationem excitarent, ſolatiumque aliquod ab hac recordatione repeterent. Frequentius inde in lapidibus adnotari, quam diuturna fuerit mortui vita, ſi de pueris, quam ſi de adultis aut ſenibus agatur. Eſſe quidem, qui hanc annorum, menſium, dierum et horarum enumerationem in tumulis, ab Epicureis, beatitudinem in vita ponentibus, praeſertim uſurpatam dicant; ſed ad hoc probandum non ſufficere unam inſcriptionem a Reineſio adductam, in qua de Martino Valente, Epicureo Philoſopho, quot annos et horas vixerit, notetur. Idem ab aliis quamplurimis, atque etiam ipſis Chriſtianis factum, ex Fabretto conſtare. Nam in alia apud hunc inſcriptione, cum horarum numerus incertus eſſet, addi verba: *plus minus*, in alia: *horae ſemiſſis*, in alia, *ſcrupuli ſex*

horae, legi. Hanc vero tam diligentem enumerationem et ab ethnica ſuperſtitione potuiſſe proficiſci, et a benevolentia humanis animis a natura indita, atque ideo in Chriſtianorum ſepulchris adhibitam. Vtrisque aſtrorum obſervationem in natalis momento, occaſionem praebuiſſe horas diesque notandi et numerandi. Ethnicos fortaſſe etiam religione ad puerorum annos accurate notandos adduci potuiſſe. Litaſſe hos ſaepiſſime defunctorum manibus, adeoque fieri potuiſſe, ut ſua ſingulae aetates haberent ſacrificia, ſicut apud inferos variam habuiſſent ſtationem. Puerorum enim animabus ſeparatum ab adultorum umbris locum tribuere Homerum et Virgilium. Si itaque puerorum Manes peculiari ſacrificio fuiſſent piandi, notandos quoque fuiſſe annos, quos vixerint, ut aetas illorum cognoſceretur. Profertur hoc loco inſcriptio, etſi iam ab aliis allata, ob peculiarem et aenigmaticum numerandorum annorum modum, memorabilis:

Quot meat in ſtellis Delphin, quot Pegaſus ales,
Tot mea natales fata dedere mihi.

Haec Noſtri ita interpretantur: Vixi tot annos, quot habent una ſimul ſtellas Delphini et Pegaſi conſtellationes, nimirum annos XXVI. quae ſumma conſtat ex ſtellis Delphini IX. et Pegaſi XVII. Pag. 86. haec legitur inſcriptio:

— — — *Ahalae Auguſtali*
Decreto Decurionum ob Merita Et Munificentiam
Eius Honore Contentus Impenſam Remiſit.

Ad quae Editores haec adnotant: Huic Auguſtali Ahalae, optime de Colonia merito, et in Colonos munificentiſſimo, ſtatuam aut aliud monumentum decrevere Decuriones. At ille honorem decretum ſibi acceptum eſſe faſſus eſt, pecunia vero ſua, non publica, fieri voluit. Ita accipienda haec formula, non ut a nonnullis explicatur, *honore oblato gaviſus*, illum tamen recuſavit, volens publicis ſumtibus parcere. Variis in Gruterianis inſcriptionibus id occurrit: in omnibus, ni fallimur, privatis de perſonis agitur, quibus aut Colonia, aut Municipium, aut aliquod,

aut

Digitized by Google

aut plura ſimul Collegia, ob merita in Rempublicam, ſtatuam aut alium honorem decrevere. Duo itaque diſtinguenda ſunt: *Honos publicus* a Magiſtratu decretus, et *pecunia ab aerario publico* in id erogata. *Honor* accipiebatur, *pecunia* reſtituebatur. Itaque ſi decreta fuit iſti Ahalae ſtatua in loco publico ponenda, ille tantum honorem non detrectavit, at opus fieri pecunia ſua voluit. Nec enim decorum fuiſſet, nec permiſſum, ſi quiſpiam ſua auctoritate, ſuoque ſumtu, ſibi publico in loco ſtatuam poſuiſſet. At vero laudabile et pulchrum erat, quoties ſimulacrum publica auctoritate decretum, privato ſumtu illius poneretur, cui honos fieret, ſeu impendium in id factum remitteretur, ſeu redderetur aerario. Ita penes Gruterum legitur: *Honore contentus impenſa ſua poſuit.* E Pag. 97. hanc inſcriptionem afferamus:

Vivens Fecit Lucius Antiſtius Sibi Et Antiſtio
Chryſeidi Coniugi Cariſſimae Et Septicio
Adiutori Papati Optimo.

Papas eſt educator Noſtris, nullum qui hoc verbo gradum ſanguinis, ſed ſolum nutricii patris officium deſignari exiſtimant. Similem alumnorum in nutritores pietatem Gruterianae quaedam inſcriptiones teſtantur. Pag. 105. Editores inſcriptionem, Auguſtae Praetoriae inventam, ſed in omnibus ſyllogis depravatam, proferunt:

IOVI IVNONI MINER
ANTONIA M. L. IBO
APHRODISIA SCIP
HOS II VENEREM
SPECVLVM DO
NVM DEDIT.

Id eſt: *Iovi Iunoni Minervae Antonia Marci Liberta Ibo Aphrodiſia Sciphos Duos Venerem (Veneri) Speculum Donum Dedit.* Quod ad reliqua marmora attinet, nihil ea memorabile, novum, aut quod huc transferri mereatur, continent. Pingonianas inſcriptiones Viri Cl. appendicis loco addiderunt, a mendis, quibus ſcatuerunt, purga-

Digitized by Google

tas, brevibusque animadverſionibus illuſtratas. Communicabimus cum Lectoribus noſtris unam, marmore pellucido et Cupidinibus atque Venere ornato, inſculptam:

HOSPES TE QVID AVORTIS
ADVORTITO
EN ADELPHI FVERE CVPIDINES
CRESCEBANT. FLAMMIS OMNIA DEVASTAB
M IN MATREM DVM ET SAEVIVNT S
VENERIS. AMORVMQVE HEIC FACTA INTERNECIO
HEIC EXTINCTAE FACES. TRIBVSQ. POS. TVMVLVS
AT PRO AMORIBVS. INNATAE HEIC AMICITIAE
QVAS MATER ALIT CASTIMONIA
Ô VOSVRAM OPTVMAM
BENE VTITOR. HOSPES. VIVITO. ET VALETO.

Neſcimus, cur Editores hanc inſcriptionem *innumeris mendis ſcatere* exiſtiment. Nos quidem, quoad verba, omnia intelligimus, ſi pro VOSVRAM legatur VORSVRAM, quod barbarus ſcriptor pro *permutatione* forte poſuit. Rem ipſam nemo facile explicaverit. Alias haec ipſa inſcriptio Noſtris ſpuria, nobis certe ſequius aevum redolere videtur.

BENIAM. CHRISTOPH. GRASSHOFII, COM. Palatini Caeſ. et Syndici Muhlhuſani, Commentatio de Originibus atque Antiquitatibus S. R. I. Liberae Civitatis Muhlhuſae Thuringorum, monimentis adhuc ineditis illuſtrata.

Lipſiae et Gorlicii, ſumtibus Marchianis. ½ Alph. in 4to.

Verſati iam diu ſunt in hoc argumento Viri docti celeberrimique, quos laudat *Burchardus Gotthelf Struvius* in *Bibliotheca Saxon.* P. III. Sect. I. §. 48. Spicilegium tamen poſt meſſem Conſult. Auctori reliquerunt; igitur indultu ampliſſimi Senatus, e Scriptoribus rei geſtae

aequa-

aequalibus aetate, maximam vero partem e diplomatibus ac documentis tabularii civitatis publici, ſuper his originibus commentari inſtituit. Chartas eas, quae in appendicem ipſe reiecit, nemo hucusque dedit formis publicis deſcriptas, ſi paucula Imperatorum diplomata excipias, e quorum numero eſt illud Cuonradi II. A. MCXXXIX. datum, quod tamen et in Rudolphi *Gotha diplomatica*, et in Felleri *Trimeſtribus*, mendoſum legitur. Omnia ſtrictim expoſuit Auctor; neque tamen quae ſunt aevi recentioris attigit. Caput primum de antiquiſſimo urbis vicinaeque regionis ſtatu inſcriptum eſt. Suevi, Cheruſcorum ab Hercinia ſilva finitimi; Caeſaris aevo Muhlhuſanum tenuere tractum *(de bell. Gall.* VI, 10.), Hermunduri, Suevorum pars, Thuringiae partem inſederunt, certantes cum Cattis de *Salinis*, teſte Tacito *Annal.* XIII, 57. quae adhuc ſunt Allendorfii ad Werram celebres. Commercia ipſi exercuerunt cum Romanis. Hinc in Thuringis ac ipſo Muhlhuſano agro ſubinde numi eruuntur Romani. Paruerunt Thuringi, quorum prima fit mentio apud Vegetium in *Mulomedicina*, regibus ſuis. Origines tamen Muhlhuſae iacent abſtruſae in occulto. Saeculo VI. regnum Thuringiae fuit a Francis Saxonibusque, illos ſustentantibus, everſum, ac regio recens occupata a Francis Saxonibusque bipartita in ſeptentrionalem et auſtralem, Oneſtro diſterminatam. Illam Saxones, hanc Franci, nacti ſunt. In agro Runiberg, ad Weiſſenſeam, Franci Thuringos proſtraverunt. Supereſt ibi villa *Runſtedt*. Praelio victi Thuringi Oneſtrum traiicere tentarunt, ubi locus reſtat *Strausfurt*, i. e. vadum pugnae vel pugnantium. Ad Scheidingae obſidionem ſimul acceſſerunt Saxones. Pagum Helmingowe Franci ceperunt. Pars Thuringiae, quae Francis ceſſit, ſolita fuit ſimpliciter dici *Thuringia;* reliqua pars ſaepius nomine *Saxoniae* fuit ſimul comprehenſa. Thuringiae auſtralis pars fuit Muhlhuſa, teſte Ebirhardo in *Summariis traditionum Fuldenſium*, cap. 2. Vicini fuere pagi *Eichesfelden*, *Weſtergow*, et

et *Natergow*. Poſtremus horum dicitur ita a rivo *Notter*. Quis temporibus Carolingorum ſtatus, quae ratio Muhlhuſae fuerit, non liquet. Caput ſecundum, quo ſtatus civitatis per Saecula proxima ad finem XII. ediſſeritur; exhibet planiora et illuſtriora. Keminatas fuiſſe aedes lapideas, quas in primis inhabitarint nobiles, et granaria, ſervandis frugibus aliisque ad tuendam vitam neceſſariis apta, Auctor Cl. exiſtimat. Poledae tamen in *caminata lignea* Eckehardum a Northemenſibus ac Katlenburgenſibus Comitibus occiſum fuiſſe, vetus Ducum Brunſvicenſium Chronicon tradit apud Maderum et Leibnitium. Omiſit Auctor meminiſſe diplomatis, quo ad annum DCCCCLXXIII. Otto II. Theophaniae ſuae tradidit inter alias civitates, *Mulenhuſam in regione Turingia*. Legitur id in G. G. Leibnitii *Script. Brunſvic.* Tom. II. pag. 375. Bellum, ab Henrico IV. illatum Thuringiae, ob decimas Archiepiſcopo Moguntino dandas, ediſſeritur ab Auctore ſatis luculenter. De caſtro et coenobio Volckenrode intexuntur haud tralatitia. Henricus Leo A. MCLXXX. Muhlhuſam incendio fere delevit. Unde monimenta, Saeculo XIII. antiquiora, intra urbem exſtant rariora. Imperatores Muhlhuſae habuere praefectos ſuos, qui ius dicerent Saeculis X. XI. XII, ſi Noſtro credimus. Capite tertio ipſe de ſtatu Muhlhuſae, ab anno MCLXXX. usque ad annum MD. continuato, diſſerit. Sectio prima exponit de territorio civitatis, intra quod Clericis ac monaſteriis haud licuit acquirere bona quae immobilia dicuntur. In urbe erat caſtrum regium, *die Burg*, et in eo curiae variae Ganerbiorum Saeculo XIII. Villae urbis ſunt vel fuerunt: ***Ammera, Bolſtedt, Dachreda, Doerna, Emmelhauſen, Eigenrieda, Felchta, Germar, Graba, Hoengeda, Hollmbach, Horſchmar, Kayſershaga, Lengefeld, Pfaſſenroda, Reiſern, Salfeld, Sampach, Sollſtedt, Windeberg.*** Exciſae ſunt, vel deſolatae, Berckſee, Beigenroda, Dangſtorf, Dirnroda, Elcheroda, Ebelroda, Tutenroda, Nuzigeroda, Forſt, Wyda, Breitesholz, Poppenrode, Tutenſoda, Wiſa, Weidenſehe. Sectione ſe-

cunda

cunda tractatur de ſtatu civitatis eccleſiaſtico, de templis eiusdem, monaſteriis et xenodochiis, nec non de fraternitatibus eccleſiaſticis et ſcholis. Ordo Equitum Teutonicorum ibi ius aperiendarum ſcholarum a Ludovico Imperatore A. MCCCXXXIX. impetravit. At cives privilegium ſimile a Carolo IV. A. MCCCXLIX. obtinuerunt, quod confirmatum A. MCCCLII. Sectione tertia exponitur de iuribus, quibus Imperatores in Muhlhuſam hoc aevo uſi ſunt, nec non de translatione quorundam horum iurium in civitatem. Fridericus, an primus, an ſecundus? in eam tranſtulit ius numi cudendi, ac telonii. Scultetus Imperatoris erat princeps Senatus membrum, iam Saeculo XIII. ipſoque invito civitatem nemini dare licebat. Nullae eius fuerunt partes in reliquorum civitatis iurium adminiſtratione. Cenſus imperiales collegiſſe videtur officialis, dictus *des Reichs Hovemann*, rei oeconomicae intentus. Privilegium de non evocando Rudolfus I. civitati impertiit A. MCCXC. d. 16. Apr. Erfurti, ab aliis Imperatoribus poſtea corroboratum. Paullo ante Rudolfum duo erant in Thuringiae regionibus iudicia provincialia. Vnum erat tribunal Landgravii, cauſas controverſiasque civiles tractans; alterum vero conſervatorum pacis provinciarum, verſans in defenſione pacis publicae, minime vero in diſcuſſione controverſiarum privatarum. Caſus denegatae iuſtitiae a privilegio illo de non evocando erat exceptus, et ad Landgravium Thuringiae, qua Comitem Palatinum Caeſaris per Thuringiam, remiſſus. De iudicio, Vemeding, Weſtfalico, uno et altero, cauſas criminales tractante, et Muhlhuſanos iure quodam ſuo evocante, lectu digna adiecit Auctor. Vindicat Aeneam Sylvium, qui id vocavit *vetitum*. Iudices eccleſiaſtici iam Saeculo XIII. cognitionem cauſarum civilium ad ſe trahere ſtuduerunt, praetexentes iuſtitiae vel protractionem, vel denegationem, innixi ea, quam Innocentius III. confirmavit, conſuetudine eccleſiaſtica, auctoritate Cap. X. et XI. D. de *for.*

 compet.

tompet. Ei vero conſuetudini ſtrenue refragati ſunt Muhlhuſani. Ludovicus Bavarus, Imperator, Muhlhuſam pro dote Mechtildis, filiae, quam nuptui dederat Friderico Severo, Miſniae Marchioni, huic oppignoravit. Eapropter bannum imperii urbs incurrit, quod oneris huius erat impatiens, neque eo liberata eſt, niſi poſtquam quinque millia marcarum argenti puri exſolviſſet Imperatori A. MCCCXXXII. Philippus Suevus, a nonnullis Imperii proceribus, in Regem Muhlhuſae electus, Hermanno, Thuringiae Landgravio, feudi titulo Muhlhuſam, Northuſam, Salefeldam, caſtrumque Ranis, conceſſit. Hermannus deinde arripuit Ottonis partes, ac denuo poſſeſſiones illas habuit confirmatas. Ipſe varius erat, modoque hunc, modo illum iuvabat. Quam ob cauſam videtur illa Muhlhuſae alienatio, vel effectui non eſſe data, vel perbrevis fuiſſe temporis. Niſi tamen ſtirps Landgraviorum in Henrico Raſpone fuiſſet exſtincta, ac de Thuringia erciſcunda paullo poſt conflata fuiſſet funeſta diſſenſio, Muhlhuſam ſibi Landgravii vindicare ſtuduiſſent. At inter diſſidia Conradus IV. A. MCCLI. civitati privilegium conceſſit, quo ipſe, ſe civitatem nunquam alienaturum, promiſit. Carolus IV. denuo, ut Gunthero, Comiti Schwarzburgico ſumtus electionis et belli reſtitueret, pignoris vinculo obligavit Gelnhuſam, Northuſam, Goslariam, una cum annuis Muhlhuſae proventibus, quos Rex ſibi adhuc deberi putabat. Guntherus Gelnhuſa potitus eſt non multo poſt. Reliquae urbes obnitebantur. Ludovicus Bavarus certe A. MCCCXXXVII. munus Sculteti, iudicium, omnesque regios proventus Muhlhuſae, iam titulo oneroſo Muhlhuſanis ceſſerat. Progreditur Auctor ad Sectionem quartam, qua de Magiſtratibus, nec non de ſigillis civitatis expoſuit. Fridericus I. civitates Germaniae regias, ad formam civitatum Longobardicarum, regi per ſenatum iuſſit, ſeu per collegium, quod dicebatur *conſulatus.* Senatores vocabantur Proconſules. Rudolfus I. A. MCCLIV. memorat

morat *Scultetos, Scabinos, et univerſos cives de Mulenhuſen;* Adolfus A. MCCXC. *Conſules et univerſos cives.* Variarunt poſthaec magiſtratuum nomina. Sigillum maius et minus curate deſcribitur. Occurrit etiam ad A. MCCIV. contraſigillum. Sectio quinta inſcripta eſt de civibus ac incolis Muhlhuſanis, eorum iure et obligatione. Extranei, qui civium numero adſcribi cupiebant, debebant eſſe ingenuis natalibus orti, liberi, nullique iure clientelari obnoxii, nec officiales, qui adminiſtrationis ſuae rationem nondum reddidiſſent. Homines enim proprii a dominis poterant vindicari intra annum. Modus civitatis tribuendae ſat memorabilis eſt. Saeculo XII opificibus *ſtatuta* fuerunt praeſcripta. Urbs foederi Hanſeatico fuit innexa adhuc A. MCCCCXXV. Accuſatus Muhlhuſae homicidii, innocentiam ſuam certamine ſingulari, ſeu ordalio, demonſtrare tenebatur. Nemini cives Muhlhuſanos pro debito Imperii pignorare licuit. Licuit civibus bona, quae ab Imperio ex feudi lege poſſidebantur, comparare. Nemini, niſi civi, licuit bona, iurisdictioni civitatis ſubiecta, emere. Nec alius pro alio potuit pignorari. Adſtricti fuerunt cives ad exactiones et vigilias ferendas. De bonis coeperunt A. MCCCXVI. exactiones dari. Variarunt tempora ſubſecuta. Ratio monetae fuit inconſtans. Marca Saeculo XIII. aequavit 16. ſemuncias, ſi eſſet puri argenti. Marca argenti et penningorum tunc fuit aequalis. Poſtea marca decrevit ad ſemuncias 15, 14½, ac tandem ad 8. thaleros *ſpec.* ſeu 16. florenos Imperii. Marcae pendebantur ad bilancem, haud percuſſae in formam numorum. Differebant marca lothoniata, *(löthige,)* et communis. Illa 12. ſemuncias, haec 8. circiter pretio aequavit. *Marca argenti uſualis* Saeculo XIII. aequavit 28. ſolidos ſeu Schillingos. Saeculo XIV. marca aequiparavit 30 ſolidos. *Talentum,* libra, *Pfund,* par fuit tunc 20. ſolidis denariorum Muhlhuſenſium. Solidus aequalis fuit

pretio 12. denariis ſeu penningis. Dimidium denarii vocabatur *ein Scherff, Helbling, Heller.* Saeculo XIV. licuit 8½. centenarii pro annua uſura promittere et capere. Vigiliarum officium ſpectat ad ſequendum militiam eductam, et ad excubias agendas. Hi debebant ſibi A. MCCCXCI. alimenta neceſſaria ſumtu proprio parare. Equites armati et haſtati fuerunt dicti *Glevener*, a *Glef*, haſta. Emigraturi debuerunt aere alieno ſe liberare, et ex Senatusconſulto Anni MCCCXCVII. tres ſingularum marcarum ſolidos relinquere. Saeculo XIV. iam Iudaeos toleravit Muhlhuſa, in quos plenam Senatus exercuit iurisdictionem, nec conceſſit aliis facultatem in Iudaeos ſuos, vel bona eorum, conſulendi, vel de iis ſtatuendi. Carolus IV. prius diſſentiens, ipſe ſic decrevit. Sectio ſexta inſcripta eſt de foederibus, a civitate ad tuendam pacem publicam initis. *Diffidationes* olim mutuae invaluerant. Litteras duas *diffidatorias* exhibuit Auctor, adiungens, A. MCCLV. civitates Rhenanas pro pace publica ſervanda iniiſſe foedus, cuius pars fuerit Muhlhuſa. Ortum fuit eadem aetate *iudicium pacis in Thuringia.* Id deſcripſit Auctor, per 12. pacis terrae Thuringiae conſervatores expediri ſolitum. Deſcripſit praeterea eorum ſigillum. Medio Saeculo XIV. imminutum fuit illud iudicium, et Carolus IV. foedus Weſtphalicum promovit, cui Muhlhuſani A. MCCCLXXXIV. ſeſe addixerunt. Tacemus foedera Muhlhuſanorum minus famoſa. Sectio ſeptima exponit de iure ſtatutario, quo civitas uſa eſt. Primum Saeculo XIII. fuit perſcriptum, ſiquidem in eo fit mentio iudicii duellici, et probationis per ferrum candens. *Statuta* ſimul latine et vernacule eodem tempore ſunt ſcripta. Reliqua ſpectant ad Saeculum XIV. et tempora propiora. Sectio octava offert legentibus analecta quaedam ad Sectiones ſuperiores, et praeterea res alias memoratu dignas. Diſſeritur inibi de urbis ſpeculis, *Warten*, de eius

bis in partes ſuas diviſione, de plateis, de monaſterio in Ponte, de variis bellorum eventibus, de contentionibus cum monaſterio Volckerodenſi, et Nobilibus quibusdam, ac de Epiſcoporum contra haereticos ſeu Huſſitas, in Germaniam irrupturos, iudicio. Acta publica et diplomata, adiecta in calce, ſatis ſunt ſelecta, et 64. Statuta urbis antiquiſſima univerſum documentorum agmen claudunt. Hiſtoria Imperii Germanici, ac iuris vernaculi, inſignibus creſcet augmentis, nebulisque, quibus paſſim premitur, eripietur, ſi reliquarum civitatum imperialium antiſtites nobilisſimum hoc Cel. Auctoris ſecuti fuerint exemplum. Ex diplomatibus hic editis varia licet addiſcere. Henricus Superbus, eiusque uxor Gertrudis, tradidere bona coenobio Volckerodenſi, quae obtulit Henricus Leo Anno MCLIV. Fratres ordinis Teutonici *Commendam* obtinuerunt Muhlhuſae, ac poſſederunt Anno MCCLXXXVII. Comites de Gleichenſtein vendiderunt villas nonnullas. Carolus IV. addixit Beguardorum et Beginarum bona fiſco imperiali, incitante Gregorio XI. et ſtimulantibus inquiſitoribus Dominicanis. Quo facto eorum multi ſe contulerunt in Sileſiam, et Ducatum Stetinenſem. Ioannes, Bohemiae Rex, Vicarius imperii per Germaniam, Comes Luxemburgenſis, ſe dixit A. MCCCXII. *Regem Poloniae*. Albertus Rex A. MCCCII. noluit fratres Auguſtinianos recipi ſe invito. Omittimus reliqua, multis egregie profutura, lectu etiam iucunda.

NOVA LITTERARIA.

Anni ſunt haud multi, quod Lichtenſtegerus, probus ille nec obſcurus apud Noribergenſes incidendis in aes figuris artifex, epitomen edidit illuſtris operis *Montefalconiani*, quo antiquitatis eruditae forma

pleniuſ oſtenditur, *(l'Antiquité expliquée,)* eoque tabularum compendio, quibus tabulis explicationem concinnam, Latinis partim litteris, partim Theotiſcis, addebat Vir doctus Argentinae, *Schazius*, non levem apud antiquitatis Graecae et Romanae ſtudioſos gratiam conſecutus eſt. Pari autem ille conſilio ante annos quinque, ad *Antiquitates Iudaicas*, imaginum beneficio in hominum memoriam revocandas, animum convertit. Rurſus hic opus egregiae diligentiae utilitatiſque, *Theſaurum* videlicet *Antiquitatum Iudaicarum*, quem Venetiis in lucem expoſuit *Ugolinus* Vir Cl. quod brevius commodiusque redderet, ſibi propoſuit. Nactus eſt adiutores, vel moderatores potius dixeris operae collocandae, duumviros clariſſimos; alterum, *Ioh. Salom. Semlerum*, Theol. D. et in Academia Fridericiana Halenſi Prof. Ordin. omni litterarum meliorum in genere exercitatiſſimum; alterum, *Ioh. Simonis*, Hiſt. S. et Antiquit. Prof. in Gymnaſio eiusdem urbis Reformato, doctiſſimum inprimis rerum et dialectorum Orientalium interpretem. His curam ſuppeditantibus, factum eſt, ut anno LVI. et LVII. duobus faſciculis, priores decem plagulae, (per partes enim publicandum erat opus,) eisque adiunctae Tabulae XI. publicarentur. In his *Libri I. de Gentis Judaicae Origine et Sedibus* initia leguntur. *Capite* quidem *Primo* de Origine et variis nominibus gentis diſputatur; *Capite Secundo* de vario terrae Iud. ambitu, et uſitatiſſimis nominibus; *Tertio* de eiusdem terrae finibus et varia diviſione; *Quarto* de maribus, fluviis, fontibus, paludibus, montibus, ad eam pertinentibus. *Sectio II.* de terrae Iud. metropoli, Hieroſolymis, differit; cuius primum varia nomina, tum ſitus in genere; poſtea muri urbis, portae et turres; denique ambitus, praecipuae partes, aedificia et memorabilia, curioſe exponuntur; neque tamen poſtrema haec tractatio plagulis iſtis abſolvitur. Ac ne quis putet, Ugoliniana duntaxat hic excerpta fuiſſe, ſciant Lectores, longe

plurima

plurima acceſſiſſe ex doctrinae duumvirorum noſtrorum copia, prudenterque ab iis inſtituta optimorum ſcriptorum lectione. Quod cum ipſe capitum contextus, tum praeſertim ſubiectae illi annotationes, docent. Hae certe non ſolum illuſtrationis gratia, multa adferunt praeclare obſervata, ſed etiam in percenſendis ſcriptorum ſententiis, imo iudicandis, verſantur, lapſusque eorum notant. Ubi nec Ugolinianus Theſaurus omnis labis expers deprehenditur; v. c. cum pag. 6. nota **) monetur, Clar. *Ugolinum*, nudum apographum tabulae *Relandinae* Palaeſtinam exhibentis dediſſe, ſervatis adeo, ſi qua illic minus recte caelata fuerunt, quae hic ex recentiorum commentariorum uſu emendata ſunt; pag. vero 35. not. qq) docetur, pro *Neblosa* apud *Ugolinum Nebuloſa* legendum eſſe. Oratione autem uſi ſunt doctisſimi Viri ſuaviter decurrente et perſpicua, cum in Latino exemplo harum *Antiquitatum*, quod in manibus habemus, tum in Theotiſco; nam utraque lingua procurata eſt operis editio, ut plurium uſui inſerviret. Tabulas autem figurarum, decem iſtis plagulis declarandis, has adiecit Lichtenſtegerus, ſatis nitidas et accuratas. *Prima* delineationem Palaeſtinae ſiſtit; *Secunda* vetuſtam terrae Canaan faciem, antequam ab Iſraelitis occuparetur; *Tertia* partim conſpectum terrae Iud. ex mente *Relandi*, ad illuſtrandos libros apocryphos et Nov. Teſt. partim montem Carmel, cum memorabilibus in et prope eum locis; *Quarta* montem Thabor, Libanum atque Anti-Libanum; *Quinta* montem Oliveti, cum deſignatione nobiliorum ea in regione locorum, dein ſepulchrum Rachelis; *Sexta* ſepulchrum Abſolonis; *Septima* monumentum Zachariae; *Octava* ciſternam Salomonis, prope Hieroſolymas exſtructam, Hieroſolymarum item delineationem Havercampianam; *Nona* ampliorem eiusdem urbis deſcriptionem; *Decima* Hieroſolymae hodiernae accuratam imaginem, ex relatione *Pocockii*; *Undecima* denique ichnographiam, ſeu veſtigium Regiae

Regiae Saltus Libani, a Salomone aedificatae. Erravit quidem in nonnullis operarum manus; verum illa corrigi ſub calcem perfecti operis poterunt. Huius autem progreſſus cum avide exſpectaremus, repente illud, quaſi fulmine ictum, conſtitit, nec adhuc, poſt biennii moram, ultra decem illas, quas diximus, plagulas, productum eſt. Obiecti impedimenti cauſſas neſcimus: divinare quidem non difficulter licuerit; ſed cum triſtiores ſint, et ſtudii Iudaicarum Antiquitatum ſortem iniquam arguant, tacebimus. Tolli potius illas, quam fieri poteſt citisſime, optamus, darique adeo duumviris eruditisſimis, qui hanc telam inchoarunt, locum explicandae utiliter doctrinae: cum ſatis profecto conſtet, multas ſupereſſe inter nos de antiquis Hebraeorum moribus opiniones, delineationes etiam in vulgaribus libris multas, quae a veritate longius diſtent.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiae

Calendis Decembris Anno MDCCLIX.

ANTHOLOGIA VETERUM LATINORUM Epigrammatum et Poematum. Sive Catalecta Poetarum Latinorum in VI. Libros digeſta, ex marmoribus et monumentis Inſcriptionum vetuſtis et Codicibus MSS. eruta, primum a IOSEPHO SCALIGERO, PETRO PITHOEO, FRID. LINDENBROGIO, THEOD. IANSONIO ALMELOVEENIO, aliisque colligi incepta, nunc autem ingenti ineditorum acceſſione locupletata, concinniorem in ordinem diſpoſita, et nonnullis Virorum doctorum notis excerptis illuſtrata, cura PETRI BURMANNI SECUNDI, qui perpetuas adnotationes adiecit. TOM. I.

Amſtelaedami, ex offic. Schouteniana, 1759. Alph. 4. plag. 8. 4. mai.

Quae ſolis Muſis Graecis conceſſa videbatur felicitas, ut Epigrammatum et Catalectorum veterum Anthologiam, in iuſtum corpus redactam, certasque in claſſes et capita digeſtam, haberent, eam Latinis quoque contigiſſe, opera *Petri Burmanni*, Viri docti, plurimarumque virtutum magni ſui Patrui aemuli, maximopere laetamur. Nam, cum antiquitatis qualescunque reliquiae iucundae nobis atque acceptae et ſunt, et eſſe debent, tum

Digitized by Google

Vir Cl. munus ſuum, iam per ſe gratum futurum, copioſo et docto addito Commentario, multo ornatius et iucundius reddidit; reddidiſſet vero iucundiſſimum, ſi, quas humanitas et modeſtia iis praeſertim imponunt, qui eas litteras, quae ab humanitate nomen nactae, profitentur, legibus obtemperaſſet. Nos quidem tria capita noſtrae recenſionis faciemus: quorum primo, quae *Burmannus* de fatis et editionibus Latinorum Epigrammatum in praefatione diſputat, repetemus breviter; altero, quibus opibus auxiliisque inſtructus, et quomodo in edenda hac Anthologia verſatus ſit, declarabimus; tertio de animadverſionibus ita dicemus, ut neque levis aut tralatitia noſtra opera, neque ex lividiore erga Batavos animo profecta eſſe V. Cl. videatur.

Primus inter Italos Cyriacus Anconitanus Inſcriptiones et Epigrammata vetera, carminibus compoſita, ſummo quidem ſtudio collegit, ſed nunquam edidit. Eadem diligentia Nicolaus Perottus, Sipontinus Epiſcopus, et Ptolemaeus Flavius, conquiſiverunt vetera Epigrammata: hic etiam eorum editionem promiſit, ſed non praeſtitit. Tandem Laurentius Abſtemius, Maceratenſis, Duci Urbinati a Bibliotheca, aliquot Epigrammata, Pindaro Thebano adiuncta, Fani A. MDV, et MDXV. edidit. Evulgavit deinde Iacobus Mazochius, Romae, A. MDXXI. Epigrammata Antiquae Vrbis, multa quae carmina ſepulchralia et Epitaphia exhibent. Talia etiam, ſed pauca, *ex vetuſtis lapidibus collecta Epigrammata*, e Mazochio ſine dubio vel ſimilibus operibus repetita, Ioh. Matthaeus Toſcanus A. MDLXXVI. Tomo I. Illuſtr. Poetar. Italor. ſubiunxit. Neque exiguam Epigrammatum multitudinem debemus Aldo Manutio, Urſato, Scardeonio, Onuphrio Panvinio, Tomaſino, Octavio Rubeo, Malvaſiae, Fabretto, Oliverio, Bianchino, Bertolo, Maffeo, et Muratorio, indefeſſo qui ſtudio lapidum literatorum titulos collegerunt et ediderunt. Inter Hiſpanos ingenium operamque ſuam ad Inſcriptiones vetuſtas et Epitaphia eruenda atque illu-

ſtranda

ſtranda contulerunt, Ambroſius Morales, Andreas Reſendius, Ioh. Vaſaeus, Rudericus-Carus, Antonius Auguſtinus, alii. Quorum laborem ſuperaſſet procul dubio Emmanuel Martinus, Vir ingenii elegantia et doctrinae copia inſignis, ſi, quas collegerat, ſuisque adnotationibus illuſtraverat, Inſcriptiones edidiſſet. In Germania primi Bartholomaeus Amantius, et Petrus Apianus, ſumtibus atque liberalitate Raymundi Fuggeri adiuti, Inſcriptiones vetuſtas et plurima Epigrammata, Ingolſtadii A. MDXXXIV, ediderunt. Quos etſi Ant. Auguſtinus ſuppoſititias, et a diverſis auctoribus adulteratas Inſcriptiones pro veris et genuinis lectoribus obtruſiſſe cenſeat, venia tamen illis temporibus danda eſt, quibus antiquitatis ſtudia nondum ſatis exculta fuerunt. Hos ſecutus Georgius Fabricius, Chemnicenſis, Libro II. et III. Romae ſuae, primum Baſileae A. MDL. impreſſae, et deinde A. MDLXXXVII. recuſae, varia Antiquitatis monumenta, Inſcriptiones ſepulchrales, aliaque Epigrammata inſeruit. Poſt Fabricium, Melanchthone, Camerario, et Ioh. Sturmio auctoribus, Laurentius Schradaeus, Halberſtadienſis Saxo, in Libris IV. Monumentorum Italiae, Helmaeſtadii A. MDXCII. editis, volumen variarum Inſcriptionum exhibuit, quas in itinere per Italiam facto collegerat. Cuius licet diligentia minime merita laude defraudanda, utilior tamen illa et iucundior fuiſſet, niſi antiqua et Romana novis atque Chriſtianis ita miſcuiſſet, ut vix periti harum litterarum altera ab alteris diſtinguere continuo poſſint. Eluxerunt deinde magna ingenia Thomae Reineſii, et Marquardi Gudii: quorum ille, aureo Syntagmate Inſcriptionum, immortalitatem nominis conſecutus eſt; hic in Italia non ſolum Inſcriptiones ab aliis iam editas ad lapides ipſos diligenter examinavit, ſed ingentem quoque ineditarum theſaurum congeſſit. Plurima igitur pars huius Anthologiae ex horum, atque etiam Gruteri immortali opere, hauriri potuit. Nunc ad illos venimus, qui Epitaphia et Epigrammata ediderunt, notisque ſuis illuſtrarunt. Ex Italis Ioh. Baptiſta

Digitized by Google

Ferretius, Vicetinus, A. MDCLXXII. Muſas Lapidarias, ſeu antiquorum in marmoribus carmina, ex Grutero praecipue repetita, evulgavit, ſed negligenter et vitioſe, cuiusque notis hiſtoricis, nihil ad Epigrammata emendanda conferentibus, aequo animo lectores carere potuiſſe, Vir Cl. arbitratur. Huc etiam referendae Deliciae, ſeu Inſcriptionum monumenta, a Nathane Chytraeo, Herbornae A. MDXCIV. et Coloniae A. MDCXV. a Franc. Sweertio in lucem emiſſae; in quibus tamen numerus recentiorum veteres longe ſuperat. Paucula inſeruit Ioh. Bonifacius libro Rhodigii de Epitaphiis componendis, A. MDCXXIX. edito: evulgavit Philippus Labbeus Pariſiis A. MDCLXXXVI. Theſaurum Epitaphiorum veterum et recentium, atque etiam Fleetwoodus Londini, A. MDCXCI. Inſcriptionum antiquarum Syllogen dedit. Verum hi neque ordinem obſervaſſe; neque recentiora ab antiquis recte diſtinxiſſe; neque mutilis, vitioſis, ac corruptis ſupplendis emendandisque aliquam opem attuliſſe, Noſtro videntur. Multo magis ſuccenſet anonymo illi, qui circa A. MDCLXIII. Pariſiis Epigrammatum Latinorum Delectum edidit, notulasque ineptas et pueriles adſperſit. Meliori quidem adparatu Franciſcum Mariam Bonadam Romae A. MDCCLI. Carmina ex antiquis lapidibus edidiſſe, ſed nullis fere ineditis aucta, ex obviis Inſcriptionum collectionibus excerpta, et diſſertationibus nimis prolixis obruta. Atque hi quidem ſolas Inſcriptiones vetuſtas, aut Epitaphiorum collectiones dederunt, alii vero ex Catalectorum veterum Codicibus MSS. varii generis et argumenti carmina evulgarunt. Primus Ioſephus Scaliger, multa, nunquam antea typis expreſſa Epigrammata, Adpendici Virgilianae, Lugduni A. MDLXXIII. adiecit. Haec editio repetita et aucta eſt a Lindenbrogio, Lugd. Batav. A. MDXCV. Poſt Scaligerum Claudius Binetus, Bellovacus, non pauca Petronii et aliorum veterum poetarum Epigrammata Pictavii A. MDLXXIX. evulgavit, quae deinde in Petronianorum Catalectorum editionibus multis

acces-

acceſſionibus locupletata ſunt. Maioribus copiis inſtructus Petrus Pithoeus Epigrammata vetera, ex codicibus MSS. et lapidibus collecta, atque in ordinem meliorem digeſta, A. MDXC. Pariſiis publicavit. Irrepſerunt vero huc multa ambiguae vetuſtatis, atque etiam nonnulla recentioris Seculi. Poſt Pithoeum Epigrammata haec et poematia edere et augere ingenti ineditorum numero voluit Caſpar Barthius; atque etiam Thomas Munckerus Epigrammata Pithoei vetera cum notis ſuis edere conſtituit: verum invidit litteris praematura virorum doctorum mors hunc fructum. Dein Theod. Ianſonius Almeloveenius, auctore Broukhuſio, Epigrammatum vetuſtorum colligendorum cepit conſilium, ſuarumque virium Amſtel. A. MDCXCIV. periculum fecit. Sed eius labor magis diligentiae, quam eruditionis nomine, Noſtro commendari videtur. Maiores copias undique congeſſit Nicolaus Heinſius, atque ad novam editionem ſuſcipiendam, cuius ſaepe ſpem fecit, inſtructiſſimus viſus eſt. Cuius poſt obitum cum ſubſidia haec nactus eſſet Petrus Burmannus, patruus Noſtri, meditatus quidem eſt novam Catalectorum Scaligeri et Pithoei editionem, ſed deinde Heinſianas chartas, aliaque huc facientia, Noſtro commiſit. Qui quibus copiis inſtructus ad hoc opus adornandum et digerendum acceſſerit, nunc, ut propoſuimus, enarrabimus.

Habuit primum ſchedas Epigrammatum veterum, maximam partem ineditorum, Nicolai Heinſii manu ex vetuſtiſſimo Salmaſii codice, ſaepius a viris doctis celebrato, ex quo ille tot Epigrammata, cum in commentario ad Solinum et ad Hiſtoriae Auguſtae Scriptores, tum aliis in locis produxit, deſcriptas. Ipſe Salmaſius in notis ad Lamprid. Elagab. cap. 20. de inſigni hoc codice ita dicit: *Habui vetuſtiſſimum codicem Latinorum Epigrammatum, mihi a doctiſſimo Iohanne Lacurnaeo commodatum, in quo et multa exſtant nondum edita epigrammata, et quae iam edita ſunt, longe in eo habentur emendatiora.* Qui codex Salmaſianus cum in Bibliothecam Regiam Pariſienſem translatus ſit,

non exiguam Epigrammatum partem, ut ea cum ſchedis Heinſianis Noſter conferret, V. Cl. Runckenius deſcripſit, atque etiam aliquot variantes lectiones ad poematia vetera Pithoei ex ſchedis Ioh. Chriſt. Wolfii, et collationes nonnullas Gudii, cum Burmanno communicavit. Contulit deinde ex Bibliotheca Leidenſi duos codices Voſſianos, qui MS. Salmaſiani apographi ſunt, quorum primus manu Iſ. Voſſii ſcriptus, alter a recenti manu multis mendis refertus eſt. Ex eadem Bibliotheca etiam Voſſianos codices alios adhibuit, atque librum Iſ. Voſſii manu ſcriptum, in quo variae lectiones ad quaedam Pithoei Epigrammata, et nonnulla alia Epigrammata vetera, leguntur, evolvit. Nicolaus porro Heinſius praeter ſchedas iſtas, quas ex Salmaſiano codice deſcripſit, excerpſit quoque quaedam Epigrammata vetuſta ex codice Io. Gerardi Vosſii. Idem uſus eſt codice Vosſiano Auſonii, plurima tam in fronte, quam ad calcem, Epigrammata vetera adſcripta habenti, Thuaneo, Petaviano, Puteaneo, et codice S. Galli, et Chriſtinae, Reginae Sueciae. Quorum excerpta cum Heinſius duobus Pithoei Pariſinae editionis exemplaribus, multis ingenioſis additis coniecturis, adſcripſiſſet, nactus eſt Noſter a Patruo has opes. Praeter codicem Catalectorum Virgilianorum Baſileenſem, habuit etiam V. Cl. aliquot editionis Scaligerianae, et Pithoeanae, exemplaria, quorum marginibus viri docti ſua manu coniecturas notasque, non contemnendas, adſperſerant, ut et tria Pithoeanae Genevenſis editionis exemplaria, quorum primo Martinus Opitius haud pauca adſcripſit, duobus reliquis Almeloveenius indicia, unde pleraque Epigrammata eſſent deſumta, adpoſuit, et denique Pariſinam Pithoei editionem, nonnullis Iſ. Caſauboni notis marginalibus ornatam. Magnos etiam fructus profitetur ſe ad hanc collectionem cepiſſe ex Cyriaci inſcriptionum codice MS. et e codice alio Perotti, eximiam collectionem Inſcriptionum, Epitaphiorum, et Epigrammatum antiquorum, cum ex antiquis marmoribus, tum libris vetuſtis excerptorum, complecente.

te.

te. Quoniam vero non minima huius Anthologiae pars ex Inſcriptionum veterum collectionibus derivanda fuit, operae erit pretium commemorare, quibus opibus inſtructus, et ab aliis iam edita conferre atque emendare, et inedita Epitaphia illis addere potuerit V. Cl. Primum habuit librum Inſcriptionum, manu Nicolai Heinſii exaratum, in quem tam ex Pyrrhi Ligorii Antiquitatum opere inedito, et praecipue ex eius Lib. XXXIV. quam ex veteri codice membranaceo Inſcriptionum, ante annos plus quam ducentos ſcripto, cuius illi copiam fecit Carolus Moronus, non exiguam ſoluti ligatique ſermonis Epitaphiorum copiam coniecerat. Nactus deinde eſt Stephani Vinandi Pighii Inſcriptiones ineditas, quas *inaeſtimabilem antiquitatis theſaurum* appellat Broukhuſius, qui illas pasſim laudat. Nec minorem copiam Noſtro ſuggesſit Codex Wittianus, continens Syllogen Inſcriptionum antiquarum, cum marmorum ac monumentorum delineationibus, addito ineditarum indicio, et notatis e Grutero, Fabretto, aliisque lectionum diſcrepantiis, ac marmorum defectu. Hauſit etiam quaedam hic illic ex Pauli Petavii ſupellectile Antiquaria, eadem, ex qua pars exigua in Salengr. Tom. II. Novi Theſauri Antiqu. Rom. ſub titulo *Portiuncula Antiquaria* ſupellectilis Pauli Petavii, edita eſt. Quartum adminiculum fuit variarum Inſcriptionum et Epigrammatum codex, in Italia ante duo fere ſecula ſcriptus, quem, a poſſeſſore olim ſuo, Henr. Chriſt. Henninio, Henninianum vocat. Suis etiam locis adhibuit Codicem MS. Inſcriptionum veterum, ex bibliotheca Comitis Waſſenarii Obdamii, duosque alios Inſcriptionum Brixianarum et Narbonenſium, et ſchedas MSS. Italicas, tum bina exemplaria primae editionis Gruteri, quorum uni plurima adſcripſerat Petrus Scriverius, alteri Marquardus Gudius. Denique uſus eſt libro ex Arkeliana bibliotheca, qui antiquitates, Inſcriptiones veteres, et plurima varii argumenti Epigrammata continebat, atque codice, in quo Arnoldus Bucelius, ICtus Ultraiectinus, diverſi generis Inſcriptiones

et

et Epigrammata, inter peregrinandum conquiſita, deſcripſerat. Atque haec quidem fuerunt illi fontes, ex quibus hortos ſuos large irrigare potuit. Fatemur lubenter, vix maiorem melioremque copiarum et divitiarum numerum cuiquam contigiſſe, qui veteris aevi monumenta in lucem produxerit. Evolvat aliquis virorum doctorum editiones, nullum tot codices, tot ἀυτόγραφα criticorum, habuiſſe videbit. Nunc propius accedamus, ipſiusque libri virtutes adſpiciamus.

Totam hanc Epigrammatum collectionem in ſex libros V. Cl. deſcripſit, atque hoc primo volumine tres priores edidit. Primo libro ea incluſit, quae ad Deos Deasque, Heroas et Heroidas pertinent. Numerus ad CLXXVII. carmina excrevit, quorum ultimum eſt Medea, carmen verſuum 461. inſtar Tragoediae ſcriptum, ex centonibus Virgilianis conflatum, atque ex membranis Salmaſii productum, qui ſaepe iactavit, ſe habere antiquam Tragoediam Medeam, atque viros doctos in errorem induxit, qui exiſtimarent, eum deperditam Ovidii Medeam poſſediſſe. Sed dixit quidem Salmaſius, ſe in vetuſtisſimis membranis Tragoediam Medeam habere, Ovidio autem illam minime tribuit. Gravius lapſi ſunt, qui Ovidii Medeam Tertullianum, *de praeſcript. Haeret. c.* 39. indicare voluiſſe putarent. Noſter melius ex loco illo: *Vides hodie ex Virgilio fabulam in totum aliam componi, materia ſecundum verſus, verſibus ſecundum materiam concinnatis. Denique Hoſidius Geta Medeam Tragoediam ex Virgilio pleniſſime exſuxit* etc. Oſidium vel Hoſidium, Getam, male cum Ovidio inter Getas exſulante confuſum, eandemque illam ibi Medeam indicari docet, quam e Centonibus Virgilianis compoſitam nunc primus ediderit. Quis autem hic Hoſidius fuerit, ſe diſcernere vix poſſe fatetur: certe illum ad inferiorem aetatem detrudendum eſſe, neque aliud centonarii carminis genus hac ipſa Medea, et Auſoniano Centone Nuptiali, vetuſtius ſupereſſe. Quod ad ipſum carmen attinet, videtur quidem nobis illud neque a poeta valde

Digitized by Google

valde eleganti compoſitum eſſe, verſibus Virgilianis ſaepe ſine arte et ingenio immixtis, neque Ovidianae Medeae deſiderium lenire poſſe; illius tamen editio, ut omnium qualiumcunque antiquitatis reliquiarum, grata nobis et iucunda eſt. Secundus liber exhibet carmina CCLXVIII. quae virorum illuſtrium et doctorum vituperia laudesve continent. His inſerta etiam eſt incerti auctoris, Albinovanum Pedonem Scaliger credit, in Maecenatis obitum elegia. Obtulit hoc carmen Noſtro occaſionem, acerbius, quam decet viros graves et doctos, in Theodorum Gorallum, ſive Iohannem Clericum invehendi, erroresque, in explicanda Elegia commiſſos, caſtigandi. Quas tamen ſuas cenſuras *hereditario potius odio, quam ardori verum litterarum elegantiorum guſtum promovendi,* tribuendas eſſe ſcribit. In tertio congeſſit Noſter Carmina CCXCII. quae vel locorum celebrium deſcriptionem continent, vel didaſcalica et moralia ſunt; tum quae vitam tranquillam et privatam commendant; luxuriem temperandam, affectuumque impetus compeſcendos docent; quibus ſubiunguntur Epigrammata hilarioris argumenti, de Amore, aut ad amorem ſpectantia. In his igitur libris, hoc primo volumine incluſis, multa profecto carmina exhibentur, nunquam antea edita. Sunt eorum plurima ſatis elegantia, eaque inprimis, quae in tertio libro proponuntur, multa ingenii ſuavitate condita; ſed habent etiam aliqua nullam aliam, quam antiquitatis, commendationem. Ut igitur V. Cl. in carminibus hiſce edendis rite verſaretur, adnotavit primum diligenter, unde ſingula carmina transſumta, et a quibus antea edita ſint: adſcripſit porro varias codicum lectiones, quarum inſignis eſt copia: deinde tum ſuas, tum aliorum, Franciſci inprimis Oudendorpii, et Ioh. Schraderi, coniecturas et emendationes attulit: denique ipſa verba et dicendi formulas uberrimo commentario explicavit et illuſtravit. Admiſcuit etiam ſuis animadverſiones aliorum virorum doctorum, Scaligeri, Pithoei, Scriverii, Lindenbrogii, Gronovii, Schotti, Tollii, Fruterii,

Rrrr Douſae,

Douſae, Victorii, et talium, qui huic collectioni inſerta epigrammata iam antea expoſuerunt. Nos, ut de opera Burmanni eo melius lectores iudicare poſſint, de ſingulis breviter, adſperſis ſubinde obſervationibus noſtris, agemus. Ne vero iuſto longiores ſimus, verſabimur potiſſimum in libro primo excerpendo.

Emendationum, ex ingenio V. Cl. profectarum, ſpecimina haec ſunto. Pag. 4. corruptam ſchedarum Salmaſianarum lectionem:

Humanum tandem veniam donentur amori,

bene mutat in

Humani tandem venia donentur amores.

Pag. 6. in epigrammate, quod alias non male reſtituit, legit pro

Nunc pelagi nymphae crimen de more tenentem
Suſpenſum et pariter comitique onerique timentem:
Egregia interea etc.
Nunc pelagi nymphae crinem *de more* ſolutae
Succedunt *pariter comitique onerique timentes;*
Europa *interea* —

ſic ut poeta reſpiciat ad Aeneam apud Virgil. Aen. II. *pariter comitique onerique timentem.* At ibi *parvus Julus ſe dextrae implicuit.* Vellemus igitur explicaſſet, quem hic comitem dicat. Pro *egregia,* ne longius a ſcriptura recedatur, coniicimus *Regina.* Ita enim ſupra poeta de Europa: *Imponit regina manum.* Pag. 23. lectionem codicum

Deiicit horriſono, *quinto, Stymphalidas* arcu,

emendare mavult in

Deiicit aeriſonis, *quinto, Stymphalidas* armis:

quoniam Hercules aereorum crepitaculorum ſonitu aves Stymphalidas Arcadia abegit. Pag. 35. pro

Exuvieisque eius templum tuum decoravi,

coniicit vel *templum tibi condecoravi,* vel *templum tuum condecoravi,* ut *tuum* ſit monoſyllabum, ſicut ſaepe alias. Pag. 36. in mendo illi cubare videntur haec:

Corni-

Digitized by Google

Corniger hos aries humilis, et maxima taurus
Victima ſacratos tinguet honore focos.

Primum enim diſplicet *hos ſacratos focos*, diſplicet deinde ultima ſyllaba in *humilis*, ſequente *et*, producenda, denique hos verſus contraria cumulare putat, corniger aries humilis, et maxima taurus victima. Quare legendum opinatur:

Corniger haud *aries humilis*, ſed *maxima taurus*
Victima ſacratos tinguet honore focos.

Nobis etiam *corniger aries humilis* diſplicet; quare ſubſtitueremus: *Corniger haud aras humilis.* Pag. 39. pro

Haec tibi diva Venus deponit munera Sylla,
Vt ſomno monitus, Martis armatus in armis,

coniicit *animatus*, vel *animoſus in armis.* Pag. 43. *Ornat terra nemus, nunc locos vitis inumbrat*, emendat vel *nunc lucos vitis*, vel *nunc lotos mitis inumbrat.* Pag. 44. verſus:

Flos lectus flos vincla toris, ſubſtramina flores,
Deliciis Veneris dives natura laborat;

hac emendatione egere putat:

Flos lectis dat *vincla, toris ſubſtramina flores*
Deliciis —

Nobis diſplicet, verbum eiectum aliudque intruſum eſſe, qui vulgatam lectionem bonam, atque ita explicandam eſſe exiſtimamus: Flores hoc loco ſunt pro lecto, flores ſunt tori vincula, flores a natura deliciis Veneris ſubſternuntur, vel, ſi poſt vincla diſtinguas, floribus comae ſeu lecti vinciuntur. Pag. 45.

Inque modum vocis nunc motus forte decentes
Corpora laeta dabat,

eleganter mutat in *Corpore laeta dabat:* i. e. ad vocis modos et numeros dedit motus, ſeu geſticulationes, corpore. Pag. 47. *pro lucis forte Cupido,*

Martis tela regens,

mavult vel *proludens*, vel *pro ludis.* Nobis iterum vulgata locum habere poſſe videtur: Cupido lucis egreſſus, ne ſpectator eſſet amorum Veneris et Martis, Martis tela in

 manus

manus ſumſit. At pro *Martis tela regens*, facili mutatione, legeremus *gerens*. Pag. 48.

— — *Stant capti iudice tanto*
Mars, Amor, et Paphie, ramisque incerta tremiſcunt
Lumina, nec poſſunt crimen, te teſte, negare;

coniicit primum *capti ſtant indice tanto*, verbumque hoc ſaepius de eadem re uſurpari variis exemplis probat, atque deinde haec addit: ramisque incerta tremiſcunt:] „Ita „in Salmaſ. et Divion. ſed melius in codice Leidenſi, ra„misque inſerta tremiſcunt; inſerta ramis lumina, ut apud „Virg. III. Aen. 152.

multo manifeſti lumine, qua ſe
Plena per inſertas fundebat luna feneſtras.

„Ubi Servius, quaſi lumine ſuo Luna inſeruerat, ab inſe„rendo, quod ſe per rimas inſereret; ubi tamen aliter Pa„truus meus, vide ad Propert. Lib. I. El. 3, 31. diverſas „percurrens Luna feneſtras.“ Hic Virgilii locus quid ad epigramma hoc illuſtrandum conferat, nos minime asſequi fatemur. Quid tandem ſunt illa *ramis inſerta lumina?* Altum de hoc in obſervationibus V. Cl. ſilentium. Nos quidem certiſſime nobis perſuaſum habemus, pro *Lumina* legendum eſſe *Numina*, nempe Martem, Amorem, Venerem. Quid vero ſunt *Numina ramis inſerta?* An, quae ſe arboribus ramisque occuluerunt? Sed dubitamus an latine hoc *inſeri ramis* dicatur. Coniicimus legendum eſſe, *animi* vel *animis incerta*. Sic totus locus eleganter ita reſtitueretur:

— — *capti ſtant indice tanto*
Mars, Amor, et Paphie, animisque incerta tremiſcunt
Numina, nec poſſunt crimen, te teſte, negare.

Ille defectus ellipſeos, *Paphie animis*, ſi quem forte offendat, evolvat Giſan. Ind. Lucret. pag. 436. et alios, quos larga manu ipſe V. Cl. pag. 119. dabit. Pag. 51. pro *Uranie numeris ſcrutatur munera mundi*, ſubſtituit — *ſcrutatur moenia mundi*, ut Catull. init. carm. de Com. Berenic.

Omnia

Omnia qui magni diſpexit moenia mundi,
Qui ſtellarum ortus comperit atque obitus.

Pag. 68.

Foemineos iuvenem iuſſit me ſumere cultus,
Et celare virum falſo per tegmina ſexu:

mavult mutare in

Foemineos iuvenem iuſſit me ſumere ſexus,
Et celare virum falſo per tegmina cultu.

Pag. 78. acutam coniecturam affert, nam pro

Pande manum genetrix, totus tingatur Achilles,
Tu facies natum mortis habere locum;

ſubſtituit, *tu facies talum m. h. l.* ut intelligatur ima pars pedis, qua Achillem Styge tingendum tenuit Thetis. Pag. 104.

Et proprio fuerint diſtentae lacte capellae
Ubera,

diſplicet Noſtro *τὸ proprio;* nobis etiam *diſtentae capellae ubera lacte;* quare bene emendat:

Et propriae diſtenta ferant tibi lacte capellae
Ubera.

Neque tamen nobis placet emendatio pag. 140. facta, ubi pro — *feſſus iuga ſolvit arator,*

Et noctem per vota capit,

legit *rapit*, et connectit cum *noctem.* Nam etſi non ignoramus, *occaſionem rapere, dona diei rapere*, et ſimilia, bene dici, dubitamus tamen an bene latine dicatur, *per vota noctem rapere.* Cur non vulgatam retineamus? Latinum eſt omnino *vota capere per noctem.* Pag. 156. mutilam corruptamque codicum lectionem:

Quid cauſas petis aut in me exitiumque meorum?

acute mutat in

Quid cauſas petis ex alto, excidiumque meorum?

Pag. 194. acutiſſimam elegantisſimamque Noſter I. F. Gronovii emendationem profert. Vulgata eſt:

Quale fuit regnum, mundo nova ponere iura?
Hoc terrae fiat: hac mare, dixit, eat.

Digitized by Google

Gronoviana vero ex emendatione legendum:

Hoc terrae fiant, hoc *mare, dixit*, erant.

Merito hanc conie&tturam Noſter ample&titur, qua nihil ſublimius et acutius excogitari poſſe ait, illamque illuſtrat ex Longini Sect. IX. de dicto Moſis: *εἶπεν θεὸς, γενέσθω φῶς, κ. λ.* et Arriani in Epictet. Lib. I. c. 14. *καθάπερ ἐκ προστάγματος τȣ̃ Θεȣ̃, ὅταν ἐκεῖνος εἴπη τοῖς φυτοῖς ἀνθεῖν, ἀνθεῖ. ὅταν εἴπη βλαστάνειν, βλαστάνει. κ. τ. λ.*

Neque tamen in ſolis Anthologiae carminibus emendandis V. Cl. verſatur, ſed digreditur ſubinde ad alios ſcriptores, multaque loca, vel ingenii, vel codicum ope emendat. Sic multas videmus Virgilii, Statii, Ovidii, Claudiani, Auſonii, Apuleii, Catulli, Lucani, Iſidori, Prudentii, aliorum emendationes, quas vel ipſe profert, vel a viris doctis factas confirmat. Sic apud Virg. Ecl. 3. emendat pag. 37.

Et fugit ad ſalices, ſed *ſe cupit ante videri*,

pro *et ſ. c. a. v.* Apud Valerium Fl. L. VII. 483. pro

Hei mihi! cur nullos ſtringunt tua lumina fletus?
An me mox merita morituram patris ab ira
Diſſimulas?

pag. 162. ſubſtituit:

Hei mihi cur nullos fingunt tua lumina fletus?
Ut me mox merita morituram patris ab ira
Diſſimules;

id eſt: cur lacrimas ſaltem non fingis, ut paratam mihi perniciem eo magis tegas ac diſsimules. Pag. 89. Pindar. Theb. Epit. Iliad. v. 976. emendat:

Horruit inſtantem defectus *viribus Hector*,

vulgo *defectis viribus;* et Maximianum El. 5. 83.

Aſt ubi defecti *perſenſit funera membri*,

ubi vulgo editur *delecti*. Pag. 70. apud Stat. Achill. II. 161. pro

Tunc (Achilles) *molles greſſus, tunc adſpernatur amictus*
Plus ſolito, rumpitque choros et plurima turbat;

amictum Inſolitum legit, nempe habitum femineum. Hic

locus

locus nobis in memoriam revocat alium in hac Anthologia pag. 70. ubi de eodem hoc Achille poeta dicit:

Nec puerum decuit muliebri pectora peplo,
Induere, et teneram greſſu ſimulare puellam.

Hic nos legeremus lubenter *tenero greſſu*, ita ut in loco modo laudato Statius *greſſus molles* dixit.

Iudicabunt ex his lectores de ingenio et ἐυςοχίᾳ V. Cl. Nos ad adnotationes, textui ſubiectas, progrediamur. Speciminis loca aliquot totas huc transferemus. Pag. 18. ad illa:

Alcmenae Iovis et magni fortiſſima proles,
Tricoſus ſubito poſt mea fata vocor;

haec adnotat: „*Tricoſum* Herculem pro contentioſo rixa-„rum perquiſitore, explicat Ferretius; ſed perperam, licet „ita etiam exponat Pighius in Inſcriptionibus ineditis, quia „Herculis ingenium rixoſum, eaque propter quum Iaſoni „parere nolebat, ab Argonautis relictus fuit, ut *tricones* „pro vafris et contentioſis apud Capitolin. in Aelio Vero „c. 4. ubi v. Salmaſ. et Gulielm. II. Veriſ. cap. 21. nec „felicius, ut puto, ſenſum huius loci percepit Ever. Otto, „in Libro de Tutel. Viar. c. X. pag. 183. ubi de Hercule „agens dicit: *Tot fabulis et mendaciis hiſtorica fide comtis* „*eſt involutus, ut vix dignoſci queat: ipſe a variis tricis trico-* „*ſum ſe appellatum conqueritur in Epigrammate vetuſto* etc. „quae non intelligere me lubens profiteor; niſi velit Her-„culem ideo tricoſum dici, quia antiquitas veris de Her-„cule hiſtoriis multa fabuloſa immiſcuit, ideoque intricata „ſit Herculis hiſtoria: ſed quomodo, ſi hic ſenſus eſſet, „Hercules tricoſus diceretur, et id huic loco congruum „eſſet, nullus video. Epitome MS. Gloſſarum S. Ger-„mani, *Tricoſus* ἀχρεῖος, ἔκλυτος, λαγγὼν δυς — — „ubi Scaliger in ſuo codice, qui eſt in Biblioth. Leidenſi, „ſupplet δύσκολος vel δύσχρηςος: nam male Labbaeus „iunctim edidit λαγγώνδυς, quomodo etiam profert Box-„hornius, licet aliter Salmaſ. ad Capitolin. d. l. Fateor „hic aquam mihi haerere, neque rationem huius nominis

„ſatis

Digitized by Google

„ſatis adſequi; forte igitur alia huius nobis quaerenda erit „lectio. Scriverius margini exemplaris ſui pro *Tricoſus* „adſcripſerat *Strigoſus*, quae vox propria eſt de iumentis, „et vitium equorum denotat. Nonius Marcellus pag. „168. ita in verſu Lucilii ex Lib. XII. Satyr. *His ſtrigoſu'* „*bovinatorque ore improbu' duro*, ubi *tricoſu'* corrigit Douſa „pater in Explan. Plautin. pag. 177. cuius coniecturam „margini editionis ſuae pag. 50. adlevit Filius eius Fran„ciſcus; Scaliger autem ad Catalecta pag. 241. *ſtrigoſum* „illo in loco explicat non ἰσχνόν, ſeu macilentum, ut vul„go acceperunt, verum morabundum ac tergiverſatorem. „Legitur et hic Lucilii verſus apud Gellium Lib. XI. c. 7. „ubi ineptus et antiquarius orator, uſus voce bovinatore „cum eſſet et irriſus, hunc Lucilii verſum adfert, ibidem„que in ſcriptis et editis eadem eſt varietas. vide notas. „Verum Gronovius, in nota ad illum Maecenatis verſum, „*Ninnio videas ſtrigoſiorem*, qui legitur in vita Horatii Sue„tonio addita pag. 405. edit. noviſſ. Patrui mei, erudite de „hoc verbo agens, locum Lucilii rectius explicat, ac no„tat, bovinatorem eſſe tergiverſatorem ac morabundum, „ſed ſtrigoſum dici debilitato corpore gracilem, et ita „haec duo equi vitia, primum indolis, alterum corporis, „ſeparanda eſſe; et hinc praeferrem in hoc verſu *ſtrigo*„*ſus*, ut ita translatione a iumentis et equis deſumta di„catur Hercules, poſt ingentia facta et exantlatos duriſſi„mos labores, corporis vires adeo adtenuaſſe, ac conſum„ſiſſe, ut quaſi deſertus viribus et defectus annis ſtrigoſus „vocetur, cum antea Iovis magni fortiſſima proles eſſet.“ Haec V. Cl. Sed plura afferamus ex adnotationibus. Pag. 4. multa adferuntur poetarum loca, quibus, exaggerandis Iovis furtis, ſive amoribus, ſuos amores excuſant. Pag. 7. docetur *crines* in fluminibus appellari diverticula et ramos, quibus ſe ab uno alveo dividunt, et pluribus brachiis in mare devolvuntur. Pag. 10. de neutris active poſitis, ut *effluere liquorem*, *micare ignem* etc. prolixe agitur. Pag. 12. multa de Bacho *ignigena*: pag. 14. de Septimio et Aulo

Sereno:

Digitized by Google

Sereno: pag. 20. de titulo Herculis, *Invictus:* pag. 27. de deo Tutano et dea Tutelina: pag. 32. de tauroboliis et crioboliis, afferuntur. Pag. 35. illuſtratur uſus verbi *eſſe* pro poteſtate, opportunitate, tempore, occaſione, facultate, ut *cernere erat, fuerit delere Saguntum:* pag. 37. verbum *honor* de ſacrificiis; pag. 39. verbum *verſicolor;* pag. 51. ſignificatio verbi *mundus* pro *coelo*, ut *ſidera mundi*, et verbi *numeri* pro *Aſtrologiae ſtudio:* pag. 59. formula *donis donare;* et pag. 72. *Φϱάσις cernere*, ſeu *videre videor.* Pag. 43. de Byblo, Syriae urbe; pag. 55. de Harmonia ſ. Eunomia; pag. 59. de ſcriptura *adicit* pro *adiicit;* pag. 57. 58. de Avieno et Muſonio: pag. 61. de Iove Arcano: pag. 70. de *ſuppara*, muliebris, nunquam virilis, veſtimenti genere, exponitur. Pag. 76. Noſter de verbo *breviare:* pag. 79. de ſubſtantivis vim adiectivorum habentibus, ut *victor pes* apud Ovidium; pag. 78. de verbo *puerperium* pro foetu recens edito; pag. 82. de verbo *dicere* pro praedicere, de oraculis et vaticiniis; pag. 84. de verbo *murus* pro praeſidio et tutela, ut *Graium murus Achilles*, diſputat. Pag. 95. illuſtratur verbum *ſentire*, de marmoribus et ſtatuis; pag. 99. *vita* pro vita humana, ſeu hominibus viventibus, ut *vitam voce temperavit;* pag. 104. formula *dirigere vulnera* pro telis ac ſagittis, quibus vulnera ita infliguntur, ut ictus certus ſit neque fallat; pag. 135. *pietas* pro conſtantia caſtitatis et candore amoris; ibid. *patiens* pro eo, qui iniurias animo laeto perfert; pag. 139. *affectus* pro liberis et filiis hominum; p. 143. *fallere* de eo, qui ficta ſub imagine latet. Pag. 105. diſputat Auctor de Cyrne, quo nomine olim Corſica appellata; pag. 115. de Thymele; pag. 180. de tibiis paribus et imparibus; pag. 137. de verbo *frui*, cum accuſativo conſtructo, atque de aliis pluribus, quae nihil repetere attinet. Si, quae noſtra ſit de labore V. Cl. ſententia, libere dicendum eſt, non negamus quidem, efflorеſcere haſce adnotationes accuratae eruditionis varietate, iidem vero, et nimia copia, et nimio defectu plurimas earum laborari, profitemur. Similis no-

bis videtur Burmannianus commentarius agro, in quibusdam locis ſterili et nudo, in aliis tot floribus collucenti, ut ipſa copia oculis faſtidium pariat. Sed de hoc paullo copioſius agamus.

Primum quidem quid opus fuit, tantos phraſium acervos cumulare, tot veterum auctorum loca comportare, ut vel patientiſſimus quisque non ſine taedio haec perlegere poſſit? Eſt proprium hoc ſcholae Burmannianae, cui alias litterae multum debent, vitium, in cumulandis exemplis operoſam ſedulitatem oſtentare. Non negamus, aliquod lectorum cum fructu exemplorum inter ſe comparationem inſtitui, dicendique formulas bene ſimilibus allatis explicari et illuſtrari, ſi vel verba ſint obſoleta, vel ex aevo recentiore aut Graeco ſermone repetenda quaedam occurrant, vel denique phraſes nondum in vulgus notae ſint. Verum eos, qui res et verba vel tironibus et pueris nota ſine neceſſitate, ſolius lectionis oſtentandae cauſa, ambitioſe multis exemplis illuſtrant, atque eiusmodi diſputationibus, quibus paullulum in his litteris progreſſi aequo animo careant, librum onerant, magnam laudem et gloriam mereri negamus. Quare miramur, Burmannum ſaepe talia congeſſiſſe et ſcripſiſſe, ut lectores vix tironibus peritiores exſpectaſſe et poſtulaſſe videatur. Pueris certe haec pag. 36. ſcripta ſunt: „puras manus habere dicebantur, „qui nullo capitali ſcelere admiſſo eas inpollutas ſervave„rant ac caſtas; ut dicto Ovidii loco — puras ad ſidera „ſupplex Creſſa manus tollens; ita apud Iuſtinian. Novell. „21. cap. 1. Et ut ipſe quoque puris utatur manibus. „vide Gronov. ad Senec. Med. v. 901. et Torrent. ac Li„pſium ad Suetonii Titum cap. IX. Sic in loco Ioſephi Iſca„ni modo prolato, Mente litat pura: et in genere pura „manus, mens pura, veſtis et ſimilia, in ſacrorum cerimo„niis uſitatisſima ſunt, quia in iis omnia pura eſſe debe„bant. vide Patruum ad Petron. cap. XLIV. pag. 212.“ Eratne, quaeſumus, operae pretium, adnotare pag. 59: „Hoc „poſuit donum, ſignificat, dedicat, conſecrat, ut ſaepe; „ita

„ita in alio Epigrammate apud Pithoeum Lib. I. pag. 5. „Aediculam hanc Nymphis poſui. Virg. VI. Aen. v. 19. de „Daedalo: — poſuitque immania templa. Iuvenalis Sat. „XII. v. 94. Cuius pro reditu tot pono altaria. Auctor „carminis liberi in Priapeiis carm. XXVI. Cymbala cum cro- „talis, pruriginis arma, Priapo ponit; ſed hoc ſatis notum „et obvium eſt. vide Munker. ad Hygin. Fab. 3. et 188. „et Broukhuſ. ad Propert. Lib. II. El. XI. v. 27." Verum non inſuave erit plura huc transferre. „Pag. 85. ſic apud „Horat. Lib. III. Od. 30. 10. violens Aufidus; et violens „victor Lib. I. Epiſt. 10. 37. ita Cel. Oudendorpius puta- „bat emendandum eſſe apud Apulei. Lib. VI. pag. 119. „ed. Fric. violentes aquas excipit. — Marcian. Cap. Lib. I. „pag. 7. undarum violens rapiditas; immo Virgilio IV. „G. 373. violentior amnis; tum apud Serenum Sammon. „v. 471. violens natura medelae." En tibi aliud: pag. 72. „Elegans, apud poetas praeſertim, uſus eſt huius locutio- „nis, *neque enim*, ſed ſaepe depravatae; ita ſupra in hoc „carmine v. 12. ex emendatione Heinſii: — neque enim „ulla eſt culpa parentis. Ovidius XIV. Met. v. 25. At Cir- „ce, neque enim flammis habet aptius ulla Talibus inge- „nium, et v. 246. Nate Dea, (neque enim, finito Marte, „vocandus Hoſtis es,) Aenea; et ſic ille ſaepius. Statius „Lib. V. Sylv. II. 51. Diſce puer, nec enim externo mo- „nitore petendus Virtutis tibi pulcher amor. Ioſephus „Iſcanus Lib. II. v. 363. nec enim ſecura meandi Copia, „et ibid. v. 523. nec enim tibi, Iuno, nepotes Invideo. „Iuſtinus Lib. II. cap. 13. §. 11, Siquidem quotidiano la- „bori, (neque enim ulla eſt metuentibus quies,) etiam fa- „mes acceſſerat." Addere potuiſſet V. Cl. epiſtolam Ci- ceronis ad Lucceium, Lib. V. ep. 12. in qua minimum decies verba *neque enim* repetuntur. Ultimum adſcriba- mus. Pag. 141. „conſumere, ait, de iis, quae irrito co- „natu perdimus; ut conſumere preces, pro incaſſum fun- „dere, apud Ovid. VIII. Met. v. 106. Conſumtis preci- „bus violentam tranſit in iram, et Lib. II. v. 575. — ut-

„que precando Tempora cum blandis conſumſit inania ver„bis; ubi vide notas. quo loco egregie firmatur lectio „Cod. MSS. Florent. et Dorvill. apud Apuleium, monente „Oudendorpio, Lib. V. Met. pag. 91. Eo ſimul cum „nocte dilapſo diem totum cum lacrimis (vel in lacrimis) „ac plangoribus miſella conſumit: eo ſenſu conſumere „orationem apud Salluſt. Iug. 25. fine; multa tamen ora„tione conſumta legati fruſtra diſceſſere, ubi vid. Cort. „ita conſumere pro exhaurire Ovidio VIII. Met. 875. „Vis tamen illa mali poſtquam conſumſerat omnem Mate„riam; et de mole mundi pondere feſſa Valer. Fl. Lib. I. „832. Ingenti iacet ore Chaos, quod pondere feſſam „Materiem, lapſumque queat conſumere mundum; ita „fortuna vires conſumere dicitur Senecae Agam. 698. „Fortuna vires ipſa conſumſit ſuas. vide notas Patrui ad „Petron. cap. XXXIII. pag 130." Sed en! plane nova et inaudita ſe offert nobis obſervatio. Scribit enim V. Cl. pag. 506. „hactenus non de tempore, ſed loco vel re di„citur. de quo vide Manut. ad Cicer. II. ad Fam. I. et „Gronov. Obſerv. ad Script. Eccleſ. cap. 22. licet contra „ſentiat Pincier. III. Parerg. 13." Digna haec fuerint, quibus V. Cl. tempus et chartam perderet, alii iudicent: nobis quidem legentibus non ſemel venit in mentem illud poetae, *Turpe eſt difficiles habere nugas;* nam profecto nugae ſunt, coacervare haec talia. Errabunt vero, qui haec ſola ab Auctore praeter neceſſitatem recocta lectoribusque appoſita exiſtiment: ſunt enim longe plura. Sic pag. 7. multa loca cumulat, in quibus *praepes* occurrit. At utinam eo loco explicaſſet, quid ſit — *magnus cui praepete nimbo Perfluit Oceanus?* Notum eſt, nimbum eſſe tempeſtatem ingruentem ſubito, repentinam perturbationem aeris, pluviam. Habebuntne vero hae ſignificationes hic locum? non putamus. Mallet fortaſſe aliquis legere *lympha*. Deinde quid, cui flumina cana ſonanti Cincta ſalo reſonant? Melior profecto Iſidori lectio huius loci: ſed in his, *cui tempora cana crepanti Cincta ſalo reſonant,* odioſus etiam con-

concurſus verborum *ſonanti ſalo reſonant.* Niſi fortaſſe aliquis cum Taubmanno ad Plaut. Menaech. II, 3, 53. et Turnebo Adv. Lib. VII. cap. 19. hunc concurſum exemplis Virgilii aliorumque defendere velit. Pag. 15. ut Noſter Cupidinis in deos hominesque imperium et poteſtatem declararet, non Claudiani ſolum et Virgilii, ſed teſtimonia quoque Ioſephi Iſcani, Alani ab Inſulis, Regiani de Thermis, Io. Matth. Toſcani, Sannazarii, et Nic. Grudii adfert. Quid opus fuit, tot ſcriptores, tot auctoritates cumulare de laboribus Herculis, de Nemeo leone, de virginibus ab eo vitiatis? pag. 21. de curru Veneris? p. 28. de cognominibus Dianae? p. 63. de Syrenibus? p. 113. et p. 142. Sed quid hoc nobis mirum videtur, cum multis exemplis idem Burmannus demonſtret, primam in *cycnus* interdum corripi, pag. 29. *tremiſcere* active uſurpari, pag. 46. quid ſit *animoſus*, pag. 39. *ſtare* de ſtatuis dici, ibid. *motus* poni pro ſaltatione, pag. 51. bene latine dici *alta vulnera*, pag. 66. elegantem eſſe uſum particularum *ſic quoque*. Quare tot locis pag. 69. phraſin *rumpere moram:* pag. 81. *tangere littus:* pag. 86. *proferre imperium* pro extendere: pag. 95. *enſe metere:* pag. 72. *ſecurus amorum:* pag. 107. *opus amoris*, illuſtrat? Ignorabamus fortaſſe, *micare* de ſideribus dici, pag. 138. aut arbores *aerias* appellari a poetis, pag. 100. Ignorabamus etiam, Philomelam in ramis ſedere et cantare, pag. 138. atque laborem et quietem vices hominum alternare, ſomnumque nos operi reparare, pag. 140. Si hoc non erat, non opus habuit Vir Cl. nubem exemplorum et auctoritatum congerere. Atque talia quidem multa poſſemus adferre, ſi fines nobis circumdatos tranſilire, et duo reliquos libros luberet perluſtrare. Melius profecto egiſſet, ſi inutilibus hiſce, quae ſcholaſtici hominis collectanea, obſcura diligentia congeſta, ſapiunt, omiſſis, maiorem in obſcuris enodandis, et corruptis emendandis, diligentiam poſuiſſet. Afferamus ex Libro I. aliquot exempla, quae luce aliqua adhuc nobis egere videntur.

Digitized by Google

Debuerat v. c. pag. 2. explicare, *Deus unus et omnis.* Pag. 8. *cruribus aethera carpo:* pag. 16. *anhelat in ſe ſaevus Amor, fraudemque in vulnere quaerit:* ibid. *numeroſa caede necemus.* Pag. 3. *rei omnis Iupiter ortus.*

Nam ſimul occuluit, rurſum extulit omnia leto,
Corde ſuo e ſacro, conſultor lumine rebus:

Deeſſe nobis aliquid videtur, quod τῷ *occuluit* reſpondeat. Nos hunc defectum ita reſarciremus:

Nam ſimul occuluit vultum, caligine triſti
Omnia merguntur, (vel cuncta immerſa iacent,) *rurſum* etc.

Hoc enim indicare voluiſſe videtur poeta, ſicut Iupiter quando vultum exſerat, omnia animet, ſic, ſi abſcondat, omnia triſtia fieri et caliginoſa. Ibid. ad Ep. 6. bene advocare potuiſſet Vir Cl. epigramma Poſidippi εἰς τὸν καιρὸν, et Auſonii ſimilis argumenti, quae poeta prae oculis ſine dubio habuit: ſed totum epigramma aliqua luce eget, ut et Ep. 7. cur *pluteus machina ſacra,* quid *vana mendacia?* adde ep. 16. pag. 8. et 33. ep. 57. et 59. p. 40. ep. 69. p. 64. ep. 83. p. 78. ep. 92. p. 89. ep. 107. p. 110. ep. 159. p. 111. ep. 166. p. 146. ep. 175. Maxima plerorumque epigrammatum elegantia in acuminibus latet, quorum tamen, licet ſubobſcurorum ſaepe, explicationem Vir Cl. praetermittit. Pag. 5.

Vulneris impatiens hominum rerumque repertor,
Et faciem tauro propior (ut Noſter pro *proprior* bene emendat) *deſcendit ad undam,*
Europam nivei ſolatur amore iuvenci;

τὸ *ſolari,* non male egiſſet Vir Cl., ſi illuſtraſſet. Legendum videtur, ut expeditior ſit verſuum horum lectio, *En! faciem* — et pro *ſolatur, ſolatus.* Pag. 13. de Marte

Incutis e vultu radiantia lumina ferro,

pro quo Heinſius in praef. ad Claud. *e cultu ferreo.* Cur non potius e *vultu ferreo?* ſive illud proprie ſumas, ſive per ferum exponas, ut Ovid. Ep. 12. 183. *ferrea* praecordia, Tibullus ſaecula *ferrea,* et alii dixerunt. Pag. 16. *Myrti inter frutices pallentis roris in herba.* Quid *herba pallentis*

Digitized by Google

pallentis roris? An rore perfuſa? non credimus ita latine dici poſſe. An potius herba roris marini? myrtus certe cum rore marino ſaepe apud poetas coniungitur, ut apud Ovid. Art. 3. 690. *Ros maris et laurus, nigraque myrtus olent*, et Horat. *Parvo coronantem marino Rore deos fragilique myrto.* Verum nullum recordamur locum, in quo ſimpliciter *ros* pro rore marino dicatur. Pag. 29. quid *Pallada bubo vehit, ſed eum rota nulla figurat?* quid pag. 30. *age tympano ſonanti quate flexibile caput?* quid pag. 40. *deum remota mens voſtro colitur favente ductu?* quid pag. 41. *Nunc alterna movens ſuſpenſo pollice crura?* ibid. v. 8. 12. 19. 83. et 132. explicare debebat Noſter; ut et haec pag. 71. *Quae te prima virum conlato pectore fecit:* pag. 76. *Namque hominis ſemper meritorum lege perenni. Quam breviat fatum, propagat gloria vitam:* pag. 90. *flamma diſſiluit nullis noxia turbinibus.* Obſcuri ſunt pag. 134. verſus:

Sic tua ſemper ames, quisquis pia vota requiris,
Noſtra libenter habe; quid carminis otia ludant,
Cerne bonus, mentisque fidem probus incole iudex.

Pag. 136. v. 15. vellemus expoſuiſſet Noſter: — dextram
Torpor et ira ligat, dum dura vocabula firmat,
Et minus explicitam commendat littera vocem.

Sed totum carmen negligentius habitum eſſe videtur: vide v. 24. 35. 36. 54. 56. 71. 94. 97. 98. 139. Pag. 134. in centone Virgiliano miramur certisſimam emendationem a Viro Cl. omiſſam eſſe. Nam locus hic

— — *cui talia fanti*
Delapſus color atque in ventos vita receſſit,

corrigendus eſt ex illo Virg. Aen. IV. v. 705. — *omnis et una*
Dilapſus calor atque in ventos vita receſſit.

Pag. 96.

Omnis in hac picta eſt virtutis imagine forma
Hanc labor acer opus grande parare iubet.

emendandum *Hic labor* — id eſt, in hac tabula. Sed totum carmen recentius aevum redolere videtur. Pag. 100.

Quos paribus nutrix eadem paviſſe papillis,

Pectore

Pectore quos uno genetrix geſtaſſe probatur,
Diſſidiis indiſciſſis in mutua ſaepe
Vulnera non una peritura clade ruerunt.

Moleſtisſima in verſu tertio compoſitio; fallimur, aut *Diſſidiis illi ſaevis* — legendum. Pag. 145.

Nec pater Anchiſes, veſtraeque aut Dardanus auctor
Gentis, ſed durae tigres lapidesque ſiniſtri
Te genuere virum ſylvae montesque profani.

Quid hic *lapides ſiniſtri?* Immo legamus *lapidesque, ſiniſtrum Te genuere virum* — id eſt noxium, infelicem, ut ſaepe boni ſcriptores verbo *ſiniſter* utuntur. Pag. 167.

Nec venit in mentem ſudans ſub vomere taurus,
Iam gravior Pelias, et aena undantia flammis
Squamoſusque draco, et quaeſitas ſanguine dotes:

Facilis, ſed bona et neceſſaria eſt emendatio, *quaeſitae*—.

Reſtant praeterea aliqua, in quibus vel Vir. Cl. erraſſe exiſtimamus, vel ab illo diſſentimus, quae bona illius cum venia ex Lib. I. proponemus. Pag. 4. *Terga bovis credens Europa, aſcendit alumni;* addit Noſter: male Tollius primo verſu bovi. At quomodo tunc verborum ordo collocetur, ſcire lubet. Tolliana vero lectio facilis et expedita eſt. In eodem epigr. non opus erat, pro *non reviſura* patrem, ſcribere *non reditura patri.* Non adeo religioſe metri et ſyllabarum rationem habuerunt plurimi poetarum, quorum carmina haec Anthologia exhibet. Ad epigr. XXII. pag. 11.

Infantem Nymphae Bachum, quo tempore ab igne
Prodiit, inventum ſub cinere, abluerant:
Ex illo Nymphis cum Bacho gratia multa eſt
Seiunctus quod ſit ignis et urat adhuc:

inter alia haec adnotata ſunt: „carminis huius Auctor colore poetico nihil aliud docet, quam vinum aqua temperandum eſſe.“ Nobis quidem tale quidquam hic obſervare non contigit. Videtur potius vel poeta illud indicare voluiſſe, vino amorem excitari, ut paullo poſt in alio Epigr. *Ardenti Bacho ſuccenditur ignis Amoris;* vel ſolam Nympha-

Nympharum cum Bacho coniunctionem ceciniſſe. Has enim ſaepe poetae Bachi amicas et comites faciunt, ut Horatius in nobili carmine:

Bachum in remotis carmina rupibus
Vidi docentem (credite poſteri)
Nymphasque *diſcentes* —

et ſic ſaepe alii. Pag. 25. pro *Undecimum mala Heſperidum diſtracta triumphum,* edit *deſtricta.* *Deſtringere* nobis ſignificationem ſtringendo et arcte comprehendendo aliquid auferendi habere videtur, atque ideo quidem de frondibus et foliis dici poſſe, non autem de pomis, quae arboribus *detrahuntur.* Atque hoc verbum ſubſtitueremus hoc loco. Pag. 41.

Nam quae deiectis volvuntur ſaxa catervis,
Haec ſunt murorum mox revocanda minis:

illud catervis mendoſum eſſe, iam Cl. Oudendorpius vidit. Vellemus vel *columnis,* vel *cavernis,* quibus inaedificatum templum, quibusque dirutis ſaxa devolvuntur, emendare. Facilior nobis emendatio ſe offert in Epigr. 72. ibid. Nam pro

Diſcite ſecuros nonnunquam credere amores,

certe reſcribendum *vos nunquam.* Commemorat in hoc carmine poeta concubitum Martis et Veneris, deorumque exemplo nunquam ſecure amari docet. Nam, ut paullo poſt ait, ipſa Venus,

Nec ſibi ſecuras potuit praebere latebras:

et multo clarius mentem ſuam declarat poeta infra p. 48.

O rerum male tuta fides! o gaudia et ipſis
Vix ſecura deis: quis non, cum Cypris amaret,
Praeſide ſub tanto tutum ſperaret amorem?
Quid ſperet mortalis amor? —

Nihil evidentius. Pag. 85. non opus eſt legere pro

O quantos Priamo lux attulit illa dolores!
Quos fletus Hecube, quos dedit Andromache.

Quot fletus Hecubae, quot dedit Andromachae! Fletus dat Hecube latinum eſt: quos, ponitur pro quantos: ſenſus in

hac lectione aeque bonus eſt, ac in illa. Pag. 115. pro *Tranſiluit ſcopulos et inhoſpita littora claſſis*, coniicit *Tranſiit ut ſcopulos* —, inſolitam enim illam locutionem putat, et quae dicatur ſine exemplo. Valde nobis hoc mirum videtur. Habuit procul dubio poeta in animo notum locum Horatii, Lib. I. Od. 3. v. 24.

— — *ſi tamen impiae*
Non tangenda rates tranſiliunt vada.

Nihil igitur mutandum. Pag. 101. pro:

Invenit proprios Narciſſus fontibus ignes,
Et ſua deceptum torret imago virum:

invenit in cod. *urit*, atque ideo coniicit *ludit*. Quare vero? Primum *torrere* pro amore inflammare et cruciare eſt bene latine dictum; notum illud Horatii, *face mutua torrere*. Deinde requiri etiam videtur torrere ſ. urere, cum praecedant proprii ignes, totumque Epigrammatis acumen in eo conſiſtat, ut aquae poeta flammas tribuat. Pag. 147.

Aſpera diverſo laxatur vita dolore,
Et morti vicinus eo, — —

Noſter coniicit *laſſatur*. At nihil opus. Vita mea, quae antea fortuna ſecunda quaſi continebatur, diſſolvitur aerumnis, variisque doloribus, ut ſupra pag. 142. *parvumque reſolvere corpus Morte gravi*. Senſus elegantiſſimus eſt. Pag. 140. — *ſpiſſo revireſcit gramine campus, Et vitreas ligat herba comas.* Burmannus corrigit *virides*. Utinam potius τὸ *ligat* explicaſſet. Illa enim emendatione carere poteramus. *Vitreus* ſaepiſſime pro viridi ponitur, ut docet Salmaſius ad Lamprid. Heliog. c. 19. ubi ex veteri Inſcriptione *vitream pilam* adfert, et per viridem exponit. Nota ſunt etiam *vitrea antra*, *vitrea* ſedilia, et alia, quae ſaepe apud poetas occurrunt. Statius Silv. I. 5. 16. *Nymphis vitreum crinem* tribuit. An forte igitur locus ita explicandus: Campus offert Nymphis flores ad revinciendas comas. Eadem prope ſententia eſt infra pag. 141. ubi

Pictus

Digitized by Google

Pictus ager ſub flore latet, dat fronte coronas
Laſcivis natura roſis. — —

In Salm. et Leid. cod. legitur *dat fronde coronas.* Licet hoc Vir Cl. reiiciat. Age, reſtituamus pulcherrimum poetae locum ſic: *dat fronde coronis Laſcivas natura roſas.* Iudicent viri docti. Pag. 135. inſignem nobis hallucinationem Auctoris deprehendiſſe videmur. Locus eſt ex epiſtola Didonis ad Aeneam hic:

Dum ſtudet iratas animus celare *querelas*
Continuit dolor ipſe manum, nec plura loquentem
Paſſus amor meritisque vias et verba ligavit.

Ad quae Vir Cl. haec adnotat: celare querelas: „ita emendandum non dubitavi, cum prave in Salmaſ. Leid. et Di„vion. cod. legeretur *colorare;* non diſſimile illud Paridis „apud Ovid. Epiſt. XVI. 7. ſed male diſſimulo, quis enim „celaverit ignem? Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo: „et Medeae Epiſt. XII. 37. Perfide, ſenſiſti; quis enim „bene celat amorem? Eminet indicio prodita flamma ſuo." Non recte attendiſſe videtur Vir Cl. Nam ſi illius emendationem amplectamur, quomodo explicabimus: *Continuit dolor ipſe manum.* Certiſſimum eſt, Didonem hoc dicere velle: ſe prae dolore ne ſcribere quidem, angoremque et cruciatum animi enarrare poſſe. Hoc iam ſupra poeta dixerat:

Quamvis ſaepe gravi componam carmine fletus,
Plus habet ipſe dolor, nec complent verba dolorem:

hoc infra repetit:

— — *dextram*
Torpor et ira ligat, dum dura vocabula firmat:

atque idem v. 83. inculcat:

— vellem placidis peritura querelis
Flere domo, vellem tacitos profundere fletus,
Sed negat ipſe dolor.

Longe igitur alius eſt horum verſuum ſenſus, quam eorum, quos Vir Cl. ex Ovidio laudat; atque retinendum aptum et neceſſarium verbum *colorare.* At metrum re-

pugnat; quaſi hoc carmen ſolum eſſet in Anthologia, in quo metri leges poetae neglexerint. Si vero aures tuas delicatas haec ſyllaba tantopere offendit, retineas per nos verbum Burmannianum, ſed levi mutatione transformatum, nempe ſic:

Dum ſtudet iratas animus caelare *querelas*
Continuit dolor ipſe manum:

caelare, id eſt, exprimere carmine, pingere, narrare. Finem faciat ſatis lepida adnotatio, pag. 173. ab Auctore ſcripta: — „veteres εὐφημισμοῦ cauſſa numina inauſpicata „nominare ſubterfugiebant —, hinc Il. A. 340. βασιλῆον „ἀπήνεα rectius vertas non memorandum, vel illaudatum „regem, quam inmitem, ut illaudatum Buſirida dixit Virg.“ Primum dicere debebat Vir Cl. βασιλῆα ἀπηνέα: deinde idem eſſe putare videtur, *non memorandum* et *illaudatum:* ſed differre haec vehementer, docebunt Servius ad Virg. Georg. 3, 4. Gell. 2, 6. et Clarckius ad Iliad. A. denique ἀπηνὴς eo loco nihil eſt aliud, quam χαλεπὸς, σκληρὸς, ut Schol. exponit, crudelis, ferus. Alias etiam ἀεικέα, λοιγὸν, μῆνιν οὐλομένην, νοῦσον κακὴν, et alia, quae mali ſignificationem habent, per *non memoranda* poſſemus interpretari. Sed cur in his ob εὐφημισμὸν veram verborum vim non ponere liceat, hoc non aſſequimur.

Atque hic quidem calamum poneremus, niſi moleſtam nobis Vir Cl. neceſſitatem impoſuiſſet, pauca quaedam pro Viro quodam docto dicendi, cuius de *Specimine novae editionis Anthologiae Latinae* iudicium, in Actis noſtris A. MDCCXLVIII. pag. 123. propoſitum, parum modeſte et humane acceptum eſſe videmus. Conſtitueramus quidem primum, qui minime Burmanno tantum tribuimus, ut noſtram exiſtimationem illius vel laude augeri, vel vituperio minui credamus, convicia, quae in nos coniecit, ſilentio praeterire, illisque refutandis neque tempus, neque chartam impendere: ſed ne, ſi iniuriam contemtu ulciſceremur, nos errorem agnoviſſe, et agnitum diſſimulaſſe arbitretur, aut ſibi nimium beatus et pulcher videatur, noluimus

luimus nobis noſtroque Collegae deeſſe. Res vero ſe ita habent. Adſperſerat Vir doctus in illa recenſione Speciminis Anthologiae obſervationes aliquot, atque, quibus carmina emendanda eſſe putaverat, coniecturas. Quis hoc reprehendat, aut ideo conviciis nos dignos exiſtimet? *Hanc qui emendationem admittere negaverit*, ait Barthius in Adverſ. Lib. XLIX. c. 12. *per me ſane ſibi excogitet aliam. Ut enim haec de publico petuntur, non habent qui impediat quo minus cuilibet pateant.* Neque tamen idem ſenſit Burmannus, neque hunc quaſi in ſuum regnum impetum aequo animo tulit. Non certe alioquin pag. 74. hoc ruſticitatis ſuae teſtimonium dediſſet: „Aliter rei litterariae tribunus in Actis Lipſienſ.— „— liberalitate non invidenda ſuppoſitis his, vel inſertis „octo verſibus, quos addere hic operae pretium eſt, niſi „tantum lectori faciant taedium legendo, quam mihi de„ſcribendo — —: feſtivam vero corniculam, cuius tam „belli ſunt pulli. Nos eos cum auctore ſuo illuc redire „iubemus, unde malum pedem attulerunt. Iovem certe „Patroum iurare velim, artificem hunc, cum Scholaſtico ve„nae minime felicis aut foecundae verſificatore, de palma „invenuſti et inculti modulaminis certare voluiſſe. — „— noſtrum non eſſe ſciat, cum eiusmodi ingeniis capi„talibus in campum progredi. Melius, micare in tran„quillo tuarum litterarum portu in poſterum latere poteris, „quam conatu temerario in Parnaſſum eniti:

„— — tu ſi iveris illuc,
„Saevorum certa ex fatorum lege periſti.“

Haec Burmannus, *ὅς ῥ' ἔπεα φρεσὶν ᾗσιν ἄκοσμά τε πολλά τε ᾔδη,— ὀξέα κεκληγὼς λέγ' ὀνείδεα.* Nos quidem ſententiam magni Apollinis non magnopere ad animum revocamus; ſed eo magis inhumanitatem illius miramur, quo modeſtius Vir doctus cum eo egerat. Quid enim humanius dici potuit, quam hoc: „Nihil hic neque a Codicibus, „neque ab elegante Burmanni noſtri Muſa, opis accipi„mus. Utinam illa defectum — nobis expleviſſet! Inter„ea tentemus indoctam noſtram et agreſtem poeſin, ſpe-

 „rantes

„rantes rogantesque venuſtam Burmanni Calliopen, ut in„conditos noſtros cantus aliquando arguto ſuo modulami„ne deleat.“ Quid igitur eſt, quod tantopere excanduerit? quid eſt, quod illi ſtomachum movere potuit? Si, quod hinc colligimus, nefas eſſe putat, aliquem a ſe disſentire, atque ideo Virum doctum dignum iudicavit in quem inveheretur, nihil profecto effecit hac ſua defenſione aliud, quam ut inſigne exemplum Critici immodeſti, acerbi adverſus bona monentes, et paedagogico faſtu turgidi, omni aeternitati traderet. Verum non ſatis habuit Vir Cl. haſce tantummodo coronas et laudes, ita enim de conviciis illius ſentimus, in nos coniicere. Iterum pag. 77. in nos inſurgit: „Dictator, ait, Lipſienſis, a longo ab„hinc tempore litterariis Batavorum ſtudiis nimis certe ad„verſus et iniurius.“ Iniquus fortaſſe Collega noſter eſt, qui non plenis manibus *Petro Burmanno Secundo* thura obtulerit, qui non ſtatim cum Iano Grotio illi occinuerit:

Barbariae domitor, quem Suada latina loquentem
Et Charis inrorant nectaris imbre ſui.
Poſteritas venerare virum, qui vindice dextra
Adſerit Auſonii tot monumenta ſoli.
Quid mirum et veteres illum aequiparare poetas?
Ingentis Patrui pondus et inſtar habet.

An vero ideo iniurii et adverſi Batavorum ſtudiis cenſendi ſumus? Honorifice omni tempore de Dorvillio, Weſſelingio, Hemſterhuſio, Runckenio, Meermanno, Valckenario, aliisque verae doctrinae ſtatoribus et vindicibus, ſenſimus, eorumque immortalia monimenta laudavimus atque ſummopere commendavimus. Quomodo etiam nos, qui ad litterarum decus ſplendoremque tuendum, conſervandum, augendumque, omnem noſtram operam et laborem conferimus, non illorum ingeniis et diligentiae faveamus, qui idem ſibi nobiſcum propoſitum habent? Sed eſt operae pretium repetere ea paucis, quae ibi Vir doctus de Burmanniano Specimine dixit, ut hoc facilius homines, a partium ſtudiis liberi, de animo noſtro erga Batavos iudicare poſ-

ſint.

ſint. Dixeramus vero ibi: „neminem fore, qui Viri Cl. „ſtudium, et benignam de literis bene merendi voluntatem, non laudet et exoſculetur, vitamque et vires ipſi „perficiendo tanto operi neceſſarias optet, avidusque id, „quam primum liceat, praeſtoletur; — eundem, ſi quis „alius, operi ſuo parem eſſe, eoque inſtructum uſu poe„tarum latinorum, ea Romanae poeſeos peritia, iisque „tandem dotibus, quae in Critico requirantur." Suntne vero haec verba animi lividi et iniqui indicia? Quid humanius dici potuit? aut quibus verbis ingenium et doctrina Viri Cl. magis extolli? Sed videmus, eheu! quid illum tantopere uſſerit. Profeſſus enim tum fuit Collega noſter, ut multa in his animadverſionibus praeteriiſſe, ſic phraſium ſaepe, ultimi ſubſellii pueris notarum, acervos cumulaſſe, et ſexcenties dicta recoxiſſe Burmannum. An vero mentitus eſt? Nonne nos idem in hac recenſione ſatis ſuperque docuimus? Atque longe pluribus male ſedulam Viri Cl. diligentiam oſtendere poteramus, ſi duo reliquos libros evolvere libuiſſet. Verum noluimus laudi illius detrahere, ſed brevibus tantum lectores, ne, ſi in laudibus enarrandis nimii eſſemus, deinde ſe, ab aſſentatoribus nobis deceptos, pro theſauro carbones inveniſſe quererentur, monere. Atque etiam nunc lenius cum Viro Cl. egimus, quam inhumanitas illius meretur. Quis enim, ſi aſperius in illum invehi velimus, hoc nobis non concedat? Nam, qui, quae voluit, dixit, etiam, quae nolit, illi audienda ſunt. Sed carum nobis ſemper et venerabile Burmannianum nomen fuit eritque. Maioris igitur Burmanni meritis, quorum memoria non, niſi cum ipſis litteris, delebitur, peccata Minoris, inhumanitatem, puta, immodeſtiam, et protervitatem, condonabimus. Denique non verendum eſſe certiſſime nobis perſuaſum habemus, ut, quamdiu et Anthologiae Burmannianae, et horum Actorum plagula ſuperſit, nos cauſa cadamus.

HISTOIRE

Digitized by Google

HISTOIRE DES HOMMES ILLUSTRES DE L'ORDRE de Saint Dominique, etc.

id eſt:

HISTORIA VIRORUM ILLUSTRIUM ORDINIS S. Dominici, videlicet Pontificum, Cardinalium, Praelatorum, ſcientia et ſanctitate eminentium, celebrium doctorum, aliorumque magnorum virorum, qui ſocietatem hanc inde a morte primi conditoris, ad pontificatum usque Benedicti XIII. plurimum illuſtrarunt. Auctore Rev. Patre A. TOURON, Sodalitii huius Socio.

TOM. I. Paris. apud Barbaty 4. mai. Alph. 4. plag. 12.
TOM. II. ibid. Alph. 4. plag. 6.

Sodalitas illa, quae a Dominico nomen tulit, a multo ſatis tempore floruit, illa aetate confirmata, qua plures ob doctrinae corruptionem, ſuperſtitionem, et invaleſcentem tyrannidem, ab eccleſiae Romanenſis ſocietate ſe ſeiungebant, quibus Dominicanorum familia fuit oppoſita: et quoniam ex ipſa illa multi prodierunt, qui ad ſummas eccleſiae dignitates fuerunt evecti, facile adparet, Dominicanos haud poſtremam partem mutationum illarum fuiſſe, quae poſt in eccleſia ſunt conſecutae, adeoque accuratiorem notitiam ſocietatis huius multum facere ad hiſtoriae eccleſiaſticae illuſtrationem. Quare laudem omnino meretur rever. *Touronius*, laborem hunc in ſe ſuſcipiendo, ut vitas virorum, qui doctrina, virtute, et meritis prae aliis inter Dominici ſequaces eminuerunt, enarraret; quem ita favente Lucina eſt exſecutus, ut non ſolum Benedicti XIV. adprobationem, verum etiam communem fere plauſum fuerit nactus; nam et in linguas Hiſpanicam et Italicam liber eſt converſus. Opus integrum V. abſolvitur Tomis, quorum cuique fere integrum deſtinavit ſaeculum.

Tom.

Tom. I. *Benedicto XIV.* P. M. ob ſingularem, qua in ſodalitium ferebatur, benevolentiam, inſcripſit. In praefatione praedicat Dominicanorum doctrinam, ſanctitatem, et merita in eccleſiam, quorum etiam plures ad ſupremas dignitates ſint promoti. Non viſum fuit ipſi ordinem ſequi hiſtoricum, ſed potius chronologicum, non interrupta ſerie ea, quae ad vitam cuiusque ſpectant, exhibendo. Ob ingentem ſociorum, qui doctrina incluti exſtitere, numerum, multos praeterire eſt coactus: maxime cum documenta neceſſaria non praeſto adeſſent. Nihil tamen ſe adfectui dediſſe profitetur, ubique ſecutum teſtimonia illorum, quorum fides in illuſtri poſita loco ſit. Evolvit igitur diligenter libros et manu exaratos, et typis evulgatos, quorum etiam verba utplurimum latine adduxit, et ſuae relationi ſubiecit. Ex recentioribus in ſubſidium adhibuit *Odoricum Raynaldum, Ughellium, Spondanum, Baluzium, Fleurium, Dionyſ. Sanmarthanum*, quos ubi cum ſcriptoribus ſocietatis ſuae non usque quaque convenire deprehendit, pondera et evidentiam rationum penſitavit.

Tom. I. abſolvitur VIII. Libris, quibus vitae 80. enarrantur. Vitae *Dominici*, et primorum inſtituti huius ſociorum, fruſtra hic quaeruntur, quas aliquot annis ante ſingulari volumine perſecutus eſt. Paucis nominabimus illos, quorum vitas deſcribit Lib. I: 1) *Raymondus* de *Pennaforti*, illuſtri apud Catalonos gente procreatus A. MCLXXV. Munere publici doctoris apud Bononienſes multa cum laude functus, in patriam reverſus, additus eſt iuveni regi Arragoniae *Iacobo I.* quo illius vitam atque ſtudia moderaretur. A *Gregorio IX.* ſolus dignus eſt iudicatus, qui decreta Pontificum, poſt collectionem, a *Gratiano* inſtitutam, edita, colligeret, inque ordinem digereret; quod opus intra triennium abſolvit, ſeque Pontifici mirum in modum probavit. Anno MCCXXXVIII. Superior generalis Societatis eſt electus. In Mauris et Iudaeis, ad chriſtianam religionem perducendis, multum operae poſuit, in exilium pulſis illis, qui in pervicacia ſua perſiſterent;

contra illos vero, qui ſe Chriſtianos tantum ſimulabant, inquiſitionis tribunal ipſius ſuaſu potiſſimum eſt erectum. Mortuus d. 6. Ian. A. MCCLXXV: in ſanctorum numerum relatus a *Clemente VIII.* A. MDCI. 2) S. *Petrus Gonçalez,* vulgo dictus *Telmus,* Hiſpanus, in vitam hanc eſt ingreſſus circa A. MCXC. Iuvenis favore avunculi, antiſtitis Aſturigenſis, ampliſſimis muneribus eccleſiaſticis eſt praefectus, quibus vero ſe ſponte abdicavit, et ſocietati nomen dedit. Miraculis inclaruiſſe dicitur, vivis exemtus A. MCCXLVI. inde beatorum coelitum numero adſcriptus. Hunc nautae Hiſpani et Luſitani tanquam numen aliquod tutelare venerantur, ad eundemque ſub nomine S. *Telmi* preces ſuas, tempeſtatibus coortis, dirigunt. 3) S. *Gonçalez,* cognomento *Amarantus,* Luſitanus, in lucem editus A. MCLXXXVII. Cum iam muneribus eccleſiaſticis admotus eſſet, amore in terram ſanctam ductus, iter eo inſtituit. Deceſſit A. MCCLIX. in ſanctorum numerum cooptatus a *Pio IV.* A. MDLX. 4) *Gilles de Sainte Iréne,* Hiſpanus, lucem vitae adſpexit Anno MCXC. rector provincialis ſocietatis ſuae per totam Hiſpaniam eſt conſtitutus A. MCCXXXIV. qua dignitate ſe exuit A. MCCXLII. Obiit d. 14. Maii A. MCCLXV. Dono prophetiae et miraculorum clarus fuiſſe perhibetur, quem Luſitani ceu deum praeſtitem ſuſpiciunt. Lib. II. 5) *Ioannes Teutonicus,* natus circa finem Saec. XII. Wildeshuſae, oppido Weſtphaliae. Initio ſecutus eſt aulam Friderici II. Imp. illique acceptus fuit, ſed poſt, pertaeſus vitae aulicae, Bononiam, litteris operaturus, abiit. A. MCCXXXII. Pontifex eum epiſcopum Bosniae conſtituit, et nuntium ſuum dixit, quam tamen dignitatem, adnuente Pontifice, A. MCCXXXVII. miſſam fecit, A. MCCXLI. ſupremus totius ſocietatis praefectus declaratus, diem ſuum obiit d. 14. Nov. A. MCCLII. 6) *Gualterus Mauclerck,* Anglus gente, vivendi initium fecit circa A. MCXC. Ex epiſcopo, qui ſimul praecipuis regni negotiis implicitus eſſet, monachus Dominicanus factus, deceſſit Anno

MCCXLVIII.

Digitized by Google

MCCXLVIII. d. 28. Oct. 7) *Iacobus Placentinus*, epiſcopus Intemilienſis, denatus circa finem A. MCCL. 8) *Dan. Makelly*, in lucem hanc editus in Hibernia ſub finem Saec. XII. archiepiſcopus Caſſilienſis electus A. MCCXXXVII. inter vivos eſſe deſiit A. MCCLIII.. 9) *Ioannes de S. Gilles*, Anglus natione, primum medicum regis Galliae Philippi Auguſti egit, poſt ſe totum ſacris dedit ſtudiis, inque Angliam reverſus, theologiam in academia Oxonienſi docuit. 10) *Aſcelinus*, aliquando etiam *Anſelmus* dictus, Italus gente. A. MCCXLV. ad Tartaros a Pontifice eſt miſſus, ut ipſos, ſi ad fidem in Chriſtum permovere non poſſet, ſaltim ad mitiorem mentem revocaret, quo a devaſtatione terrarum chriſtianarum abſtinerent. Ad Mohammedanos etiam profectus, ut ipſorum converſioni intentus eſſet. Martyrio inter gentes functum fuiſſe, ſunt qui referant. 11) *Andreas* de *Lonjumeau (de Longiamello)*, Gallus ortu. A S. Ludovico Conſtantinopolin eſt miſſus, ut ſacras reliquias inde referret, et ab Innocentio IV. A. MCCXLV. ad patriarchas orientales, ut illos ſedi Romanae reconciliaret, ad Tartaros etiam conceſſit. Ubi loci, et quo anno exſpiraverit, incertum eſt. 12) *Conſtantinus Mediceus* natales ducebat ex illuſtri Mediceorum gente: A. MCCLVI. Conſtantinopolin ablegatus, ut diſſidia inter eccleſiam Latinam et Graecam componeret. Mortuus in Graecia circa finem Anni MCCLVII. 13) *Iacobus Boncambius*, epiſc. Bononienſis, et legatus apoſtolicus in Anglia, fato ceſſit A. MCCLX. 14) *Rogerius Leontinus*, epiſcopus Melfitanus, legatus papae in regno Siciliae, floruit circa medium Saec. XIII. naturae debitum ſolvit A. MCCLX. 15) *Guilielmus Peraldus*, Gallus. Num epiſcopus Lugdunenſis fuerit, auctoritate fide dignorum ſcriptorum probari nequit. Docuit Pariſiis, et multa ſcripta reliquit, quorum aliqua edita, alia in bibliothecis delitescunt. 16) *Vincentius Bellovacenſis*, pluribus ſcriptis clarus, quem nonnulli epiſcopum Bellovacenſem dicunt, fati legem implevit A. MCCLXIV. Lib. III. 17) *Hugo de*

Sancto Claro, quem Gallum fuiſſe probavit *Franc. Duchesnius*. A. MCCXXXIII. Conſtantinopolin miſſus eſt, ut Graecos Latinis reconciliaret, ſed colloquiis ultro citroque habitis, inde rediit. A. MCCXLIV. Cardinalis presbyter nominatus, Anno MCCLI. tanquam legatus a latere in Germaniam diſceſſit. Vivendi finem fecit A. MCCLXIII. d. 19. Mart. 18)* *Henricus* Polonus, epiſcopus Culmenſis et legatus pontificius. Lithuanos et Boruſſos doctrina Chriſti imbuere eſt adniſus. 19) *Thomas Cantipratanus*, Belga, oriundus Lovanio A. MCCI. Num coadiutor epiſcopi Cameracenſis fuerit, non omnino conſtat. 20) *Hannibaldus Hannibaldenſis de Molaria*, Romanus, purpura donatus A. MCCLXI. vel ut *Fleurius* vult, A. MCCLXII. Fato ſuccubuit A. MCCLXXII. 21) *Iacobus Creſcentius*, Romae circa finem Saec. XII. in lucem editus. Avunculo ſuo, purpurato Creſcenti, ſocius adiunctus, in terris ſeptentrionalibus doctrinam Evangelii diſſeminare ſtuduit. Viventium numero exemtus circa A. MCCLXXII. 22) *Thomas de Bertha*, epiſcopus Senenſis creatus A. MCCLIII. mortuus A. MCCLXXIII. 23) *Guilielmus Tripolitanus*, Tripoli in Syria circa A. MCCXX. vita frui cepit. Mohammedanorum converſionem tentavit. Vivere deſiit poſt A. MCCLXXIII. 24) *Gottofr. de Belloloco*, confeſſionarius Ludovici ſancti, quem etiam in Orientem, poſt Africam, eſt comitatus. 25) *Petrus de Sancto Aſterio*, natus circa finem Saec. XII. Petricorienſis epiſcopus nominatus A. MCCXXXII. a quo tamen munere miſſionem impetravit A. MCCLXVI. mortem oppetiit d. 14. Iul. A. MCCLXXV. 26) *Reinerius*, Italus, a Gregorio IX. Vicecancellarius eccleſiae Romanae nuncupatus A. MCCXLVII. epiſcopus Magalonenſis factus A. MCCXLVIII. venenata hoſtia, immani ſcelere, ſublatus. 27) *Rainerius Placentinus*. A Waldenſibus, quorum paſtor fuerat, ad catholicos reverſus, illos omni ratione eſt inſectatus, mortuus A. MCCLXII. 28) *Rainerius*, Piſanus, vitalem auram haurire coepit inclinato Saec. XIII. 29) *Humbertus Romanus*, ſocietatis ſuae Generalis electus A. MCCLIV.

quam

quam tamen provinciam depoſuit A. MCCLXIII. animam efflavit A. MCCLXXVII. d. 14. Iul. Lib. IV. 30) *Innocentius* V. P. M. Petrus de Tarantefia ante dictus, natus A. MCCXXV. Archiepiſcopus Lugdunenſis conſtitutus Anno MCCLXXII. anno ſeq. purpuratorum collegio adſcriptus, pontifex electus A. MCCLXXVI. d. 21. Ian. Viterbii vitae finem vidit A. MCCLXXVI. d. 22. Iun. 31) *Andreas Albalathenſis*, epiſcopus Valentinus ab A. MCCXLVIII. vitam finivit Viterbii A. MCCLXXVII. 32) *Martinus Polonus*, Archiepiſcopus Gneſnenſis, et Primas regni declaratus A. MCCLXXII. 33) *Aldobrandinus*, alias adpellatus *Hildebrandus*, a pontifice Gregorio X. urbi veteri datus epiſcopus A. MCCLXXII. exſpiravit A. MCCLXXIX. 34) *Morandus Signienſis*, Callienſis epiſcopus initiatus A. MCCLIX. poſt ad ſedem Florentinam translatus A. MCCLXV. Mors ipſius a quibusdam innectitur A. MCCLXXVI. 35) *Robertus Kilovarli*, Anglus, natus circa A. MCCIV. Cum per aliquot annos theologiam in academia Oxonienſi docuiſſet, Archiepiſcopus Cantuarienſis, et Primas regni eſt factus A. MCCLXXII. purpura ornatus A. MCCLXXVIII. d. 12. Mart. veneno extinctus fuiſſe cenſetur Viterbii A. MCCLXXX. 36) *Guido de Soliaco*, Archiepiſcopus Biturigum denominatus A. MCCLXXVI. d. 27. Maii. Mors ipſius contigit A. MCCLXXXI. d. 15. Mart. 37) *Guilielmus de Morbeca*, Belga, A. MCCLXXVII. Corinthi archiepiſcopus deſignatus, in quo munere multas moleſtias devorandas habuit. 38) *Rogerius Calcagnus*, Florentinus, epiſcopus Caſtrenſis in Italia factus A. MCCXL. de vita deceſſit A. MCCLXXIV. 39) *Ioannes de Derlintona*, Anglus, Archiepiſcepus Dublinienſis ab A. MCCLXXIX. morte ſuperatus Londini d. 29. Mart. A. MCCLXXXIV. 40) *Ioannes de Vercellis*, Generalis ſocietatis per Longobardiam, ad Imperatorem graecum miſſus, quo religionis diſſidia componerentur, Anno MCCLXVII. denatus A. MCCLXXXIII. d. 30. Nov. Lib. V. 41) *Ambroſius* Senenſis, natus A. MCCXX. d. 16. April. evangelium multis praedicavit in locis, et cum ſingulari

ſuada eſſet, ipſius opera in componendis diſſidiis deſiderata fuit. Vitae finem fecit A. MCCLXXXVI. d. 20. Mart. in ſanctorum numerum poſt obitum relatus. 42) *Guido de la Tour du Pin* natus A. MCCXXXII. obiit A. MCCLXXXVI. 43) *Petrus* et *Franciſcus de Cendre*, quorum ille fuit Prior monaſterii Barcinonenſis, fato functus A. MCCXLIV. hic in convertendis Mauris multum ſtudii poſuit, exſpiravit A. MCCLXXXI. 44) *Paullus Chriſtiani*, linguae Ebraicae peritiſſimus, celebris diſputatione, inter ipſum et R. Moſen Gerundenſem, praeſente rege, domo regia, et proceribus, A. MCCLXIII. habita, in qua hic cauſa cecidit, multorumque Iudaeorum ſecuta eſt converſio. 45) *Raymundus Martini*, Catalonus, ſocius Paulli, in debellandis erroribus Iudaeorum et Maurorum totus fuit, cuius *pugio fidei* prolixe recenſetur. 46) *Arnaldus de Segarra*, Catalonus, A. MCCXLIX. provincialis Hiſpaniae eſt factus, poſt confesſionarius regis Arragoniae, Iacobi I. 47) *Ioannes Columna*, Archiepiſcopus Meſſanenſis. 48) *Io. Polus*, archiepiſcopus Piſanus. 49) *Paperonus*, epiſcopus Fulginatenſis et Spoletanus, inauguratus A. MCCLXV. obiit circa A. MCCXC. 50) *Ioannes II.* archiep. Upſalienſis, exſpiravit d. 8. Sept. A. MCCXCI. 51) *Bartholomaeus Varelli*, Leontinus, Liparenſis epiſcopus ab A. MCCLII. 52) *Simon Leontinus*, epiſcopus Syracuſanus nominatus A. MCCLXVIII. mort. A. MCCXCII. 53) *Nicolaus de Hanaps*, patriarcha Hieroſolymitanus et Ptolemaidis, qua expugnata, cum, nave conſcenſa, vitam ſervare vellet, ſubmerſus periit. Lib. VI. 54) *Latinus Malebranche*, nepos Nicolai III. A. MCCLXXVIII. d. 12. Mart. purpuratus eccleſiae Romanae et epiſcopus Oſtienſis nominatus, multas legationes cum laude obiit, defecit A. MCCXCIV. m. Aug. 55) *Raymundus de Mevillon*, epiſcopus Vapinci et Ebroduni, in lucem hanc ingresſus A. MCCXXXV. obiit A. MCCXCIV. 56) *Bonifacius de Fieſqui*, nuntius pontificis in Gallia, archiepiſcopus Ravennatenſis inde ab A. MCCLXXIV. vivendi finem fecit A. MCCXCIV. d. 24. Dec. 57) *Hugo Aycelinus de Billon*,

A.

A. MCCLXXXVIII. purpuratis patribus adſcriptus, inde ſacri collegii decanus factus, deceſſit A. MCCXCVII. d. 29. Dec. 58) *Iacobus de Voragine*, primus ſacras litteras in Italicum idioma convertiſſe dicitur, provincialis ſocietatis per Langobardiam A. MCCLXVII. archiepiſcopus Genuenſis A. MCCXCII. obiit A. MCCXCVIII. 59) *Guilielmus de Hotun*, Anglus, provincialis per Angliam A. MCCLXXXII. archiepiſcopus Dublinenſis A. MCCXCVII. Ultimum exhalavit ſpiritum in Gallia A. MCCXCVIII. m. Aug. 60) *Munio de Zamora*, Hiſpan. praefectus ſocietatis A. MCCLXXXV. nuncupatus, quo munere tamen eſt exutus, factus epiſcopus Palentinus, deceſſit A. MCCC. d. 7. Mart. 61) *S. Iacobus Mevanienſis*, vita frui coepit A. MCCXX. multa in commodum ſodalitatis ſuae fecit, vivis exemtus A. MCCCI. d. 22. Aug. 62) *Hugolinus Ariminenſis*, epiſcopatum in urbe patria adminiſtravit ab A. MCCXXXII. ad MCCXLIX. 63) *Aloiſius de Roſſat*, ſucceſſit Hugolino A. MCCL. inde translatus Bergomum, mort. A. MCCLXVII. d. 26. Ianuar. 64) *Herbordus*, Hungarus, antiſtes Bergomenſis ab A. MCCLXI. deceſſit A. MCCLXXII. 65) *Laurentius* Ariminenſis, obiit A. MCCCII. 66) *Ioannes Iordanus Savellus*, Romanus, factus epiſcopus Patavinus A. MCCXCV. inde Bononiam ad idem munus conceſſit. 67) *Gentilis Urſinus*, epiſcopus Catanenſis, vitam reliquit A. MCCCIII. 68) *Radulphus de Granville*, Gallus, ex Palaeſtina redux factus, confeſſionarius Caroli regis Neapolitani, A. MCCXCIV. creatus patriarcha Hieroſolymitanus, exſpiravit A. MCCCIV. m. Nov. Lib. VII. 69) *Benedictus XI.* obſcuris ortus natalibus A. MCCXL. poſt varios honores purpuratus eſt proclamatus a Bonifacio VIII. A. MCCCIII. d. 21. Oct. concordibus ſuffragiis creatus pontifex, elapſis autem 8. menſibus et 17. diebus veneno exſtinctus periit. Lib. VIII. 70) *Nicolaus Albertinus*, lucem adſpexit A. MCCLV. Epiſcopus Spoletanus nominatus A. MCCXCIX. quem pontifex tanquam oratorem ſuum ablegavit in Galliam et Angliam, poſt vicarium ſuum Romae conſtituit, A. MCCCIII.

d. 18.

d. 18. Dec. in purpuratorum collegium adſcitus. Diem obiit A. MCCCXII. m. Mart. 71) *Guilielmus de Macles-feld*, Anglus, cardinalis presbyter declaratus A. MCCCIII. d. 18. Dec. non multo poſt fato functus. 72) *Gualterius* Vinterbornenſis, Anglus, cardinalis factus d. 21. Febr. A. MCCCIV. 73) *Ioannes de Allodio*, Gallus, primum canonicus eccleſiae cathedralis Pariſienſis, poſt eiusdem cancellarius, denatus d. 1. Oct. A. MCCCVI. 74) *Dietherius* Naſſovius, illuſtri principum Naſſoviorum proſapia ortus, frater Adolphi Imperatoris, legatus pontificis ad Imperatorem dictus A. MCCXCV. nec ita multo poſt ad faſtigium archiepiſcopi Trevirenſis evectus, vitam cum morte commutavit A. MCCCVII. d. 23. Nov. 75) *Guilielmus de Moncade*, Catalonus, epiſcopus eccleſiae Urgelitanae Anno MCCXCIV. vivendi finem fecit A. MCCCVIII. 76) *Thomas Iorzius*, provincialis ordinis ſui per Angliam, confesſionarius regis Angliae, et miniſter ſtatus, cardinalis declaratus et legatus a latere, Gratianopoli ultimum clauſit diem A. MCCCX. d. 30. Dec. 77) *Raymundus de Ponte*, Hiſpanus, cancellarius regis Arragoniae, et inde ab A. MCCLXXXVIII. epiſcopus Valentinus. 78) *Richardus de Montecrucis*, Florentinus, maximam vitae partem in terris verſus orientem ſolem ſitis exegit, vivere deſiit A. MCCCIX. d. 31. Oct. 79) *Iacobus Salomo*, Venetus, natus A. MCCXXXI. deceſſit A. MCCCXIV. 80) *Franco Peruſinus*, in peregrinis oris, et ſpeciatim in Perſia, magna cum libertate, nec minore fructu, Ieſum adnuntiavit, quem proinde pontifex in illis partibus archiepiſcopum eſſe iuſſit.

Tomus II. pariter VIII. complectitur libros, in quibus vitae habentur 58. Lib. IX. 1) *Auguſtinus de Zagothes*, Illyricus, epiſcopus primum Zagrabienſis, cui poſt rex Siciliae epiſcopatum in urbe, cui nomen Luceria paganorum, commiſit, deceſſit A. MCCCXXIII. d. 30. Aug. ab *Ioanne XXII.* ſanctis accenſus. 2) *Nicolaus de Freauville*, natus Rotomagi circa medium Saec. XIII. A. MCCCV. d. 15. Dec. in purpuratorum collegio locum obtinuit,

tinuit, graviſſimis a pontifice adhibitus negotiis, denatus A. MCCCXXIV. d. 14. Febr. 3) *Oddo de Sala*, Piſanus, A. MCCXCVII. epiſcopi munus ſuſcepit in urbe Sardiniae *Terra nova*, inde ad archiepiſcopalem ſedem Arboreenſem tranſitum fecit, poſt A. MCCCXII. factus archiepiſcopus Piſanus, tum patriarcha Alexandrinus A. MCCCXXII. mortuus A. MCCCXXV. 4) *Raymundus Beguinus*, Toloſanus, magiſter ſacri palatii factus A. MCCCXXI. cardinalis A. MCCCXXIV. et patriarcha Hieroſolymitanus. Viventium numero eſt exemtus ſub finem A. MCCCXXVIII. 5) *Nicolaus Trivetus*, Anglus, natus A. MCCLVIII. Docuit Oxonii et Pariſiis, variis ſcriptis celebris. 6) *Berengarius de Langore*, lucem vidit A. MCCLXII. Anno MCCC. commiſſarius apoſtolicus Carcaſſonenſis, et vicarius generalis totius ſocietatis A. MCCCVII. conſtitutus, inde ſuperior generalis et confeſſionarius Henrici VII. Imperatoris, archiepiſcopus Compoſtellenſis nominatus A. MCCCXVII. d. 5. Sept. Lib. X. 7) *Bernhardus Guidonis*, Lemovicenſis, in lucem editus A. MCCLX. Generalis ordinis ſui electus A. MCCCVII. ad ſedem Tudenſem promotus A. MCCCXXIII. epiſcopatum Lutevenſem occupavit, de vita deceſſit A. MCCCXXXII. d. 30. Dec. 8) *Bartholomaeus* Bononienſis. Circa finem A. MCCCXVIII. conſtituebatur caput miſſionis in orientem, et epiſcopus Marathenſis inaugurabatur, tandem novae ſedi archiepiſcopali in provincia Naxivanenſi praeficiebatur, deceſſitque A. MCCCXXXIII. d. 5. Aug. 9) *Ioannes Florentinus*, ſocius laborum et praedicationis Bartholomaei Bononienſis, quem pontifex A. MCCCXXIX. primum epiſcopum urbis Teflis conſtituit. 10) *Angelus Porta Solius*, Peruſinus, lucem hauſit circa A. MCCXC. cui poſt pontifex locum inter poenitentiarios eccleſiae Romanae dedit, inde factus epiſcopus Solzenſis in Sardinia A. MCCCXXIV. denique Groſſetanus A. MCCCXXX. Vivis exemtus eſt d. 22. Febr. A. MCCCXXXIV. 11) *Iacobus de Benefactis*, Mantuanus, qui, patriae ſuae epiſcopus deſignatus, obiit A. MCCCXXXVIII. 12) *Du-*

Digitized by Google

randus de Sancto Porciano, primum magiſter ſacri palatii, poſt haec epiſcopus Anicienſis factus, inde A. MCCCXXVI. translatus ad ſedem Meldenſem. 13) *Franciſcus Camerinus* et *Richardus Cam.* quorum ille Italus, hic Anglus, uterque inſigni ardore evangelium infidelibus praedicandi flagrabat: igitur in orientem abiverunt, ac inter Armenios, Tartaros, aliasque gentes Aſiae, evangelium adnuntiarunt. 14) *B. Mauritius*, princeps Hungariae, regio ſanguine cretus. Hic ſponte ſua, una cum coniuge, Palatini filia, omnia commoda externa poſthabuit, et terras ſuas ac praedia alicui cognatorum reliquit, parte quadam redituum adſignata monaſterio, in quo vitam agebat. Margaretha coniux in Italiam ſeceſſit, ibidemque omne tempus meditando, precando, aliisque exercitiis ſpiritualibus, extraxit. Deceſſit A. MCCCXXXVI. d. 20. Mart. · Lib. XI. 15) *Guilielmus Petrus Godinus*, Gallus, natus circa medium Saec. XIII. A. MCCCIII. In hunc dignitas Superioris Dominicanorum Provinciae et Toloſae conferebatur; poſt variis legationibus nomine Pontificis obitis, A. MCCCVI. magiſter ſacri palatii eſt conſtitutus, A. MCCCXII. m. Dec. Cardinalis creatus, inde in Hiſpaniam tanquam orator pontificius miſſus. Inter vivos eſſe deſiit A. MCCCXXXVI. d. 4. Iun. 16) *Benedictus d'Aſinago*, dictus etiam *Benedictus de Cunis*, Italus. Ad Imperatorem graecum Andronicum mittebatur A. MCCCXXVI. ut graecos in ſinum eccleſiae reduceret. Redux factus eſt epiſcopus Comi, denatus A. MCCCXXXIX. 17) *Matthaeus Urſinus*, A. MCCCXXII. ſocietatis per provinciam Romanam nominatus eſt praefectus, poſt epiſcopus Gergentinus, inde archiepiſcopus Sipontinus, tandem Cardinalis, mortuus d. 17. Aug. A. MCCCXL. 18) *Dalmatius Morerus*, Catalonus, natus A. MCCXCI. denatus A. MCCCXLI. d. 14. Sept. ſanctorum coetui adnumeratus ſecuto tempore. 19) *Petrus de Palude*, vita frui coepit A. MCCLXXV. factus deinceps Generalis ordinis ſui: patriarcha Hieroſolymitanus A. MCCCXXIX. denominatus, in Palaeſtinam ſe contulit. Quoniam autem Chriſtiano-

rum

Digitized by Google

rum in terra ſancta conditionem miſeram deprehenderat, inde redux principibus Europae ſuaſit, ut de novo expeditionem eo inſtituerent: ſed res effectu caruit. Deceſſit Pariſiis A. MCCCXLII. d. 31. Ian. 20) *Simon Salterellus*, natus Florentiae A. MCCLXI. Provincialis ordinis ſui per provinciam Romanam creatus eſt A. MCCCXI. ſequ. anno factus procurator generalis, A. MCCCXVII. epiſcopus Parmenſis, poſt Piſanus, turbis, quae Italiam concutiebant, implicitus, per tempus aliquod ſede ſua eſt deiectus, ſed reſtitutus A. MCCCXXIX. finem vivendi fecit A. MCCCXLII. d. 24. Sept. Lib. XII. 21) *Gerhardus Domarus*, Generalis ſocietatis eſt electus A. MCCCXLII. nec ita multo poſt Cardinalis. Avenione ultimum diem vidit A. MCCCXLIII. d. 27. Sept. 22) *Venturinus Bergomenſis*, natus Anno MCCCIV. populos et principes ad expeditionem adverſus Turcas excitavit, quibus ſeipſum adiunxit, atque paſſim in oriente, potiſſimum Smirnae, praedicavit: occubuit A. MCCCXLVI. d. 28. Mart. 23) *Annibal Tolomeus*, *Michael* et *Aeneas Tolomei.* Primus, iuvenis non optimam egit vitam, ſed inde ad meliorem frugem converſus, virtutibus eminuit, et paſſim praedicando multos eccleſiae adiunxit; qua re motus Honorius IV. A. MCCLXXXV. ipſum nuntium apoſtolicum per Siciliam declaravit; inde ablegatus in orientem. Deceſſit tandem Avenione A. MCCCXX. d. 24. Iun. Michael et Aeneas, eidem adſcripti ſocietati, vivere deſierunt A. MCCCXLVIII. 24) *Hugolinus de S. Marco*, Parmenſis, epiſcopus Cremonenſis factus Anno MCCCXXVII. m. Mart. qui, quoniam ſe Ludovico Bavaro opponebat, multa perpeſſus eſt. Munere ſe ſuo abdicavit A. MCCCXLIX. inque monaſterium ſeceſſit, mortuus A. MCCCL. 25) *Guilielmus Dulcinus*, Montalbanenſis, nuntius apoſtolicus per Italiam declaratus Anno MCCCXXVII. epiſcopus Lucenſis A. MCCCXXX. deceſſit A. MCCCXLIX. d. 12. Aprilis. 26) *Guilielmus Laudunenſis*, Gallus, natus circa A. MCCLXX. magiſter ſacri pala-

Digitized by Google

tii nuncupatus A. MCCCXII. archiepiſcopus Viennenſis in Gallia A. MCCCXX. a pontifice in Franciam miſſus A. MCCCXXIII. ut diſcordias familiae regiae ſopiret, poſt translatus ad ſedem archiepiſcopalem Toloſanam. 27) *Ioannes de Molendino*, magiſter ſacri palatii ab A. MCCCXLV. ad MCCCXLIX. quo ſupremus praefectus ſocietatis eſt electus, Cardinalis dictus d. 17. Dec. A. MCCCL. Vitae finem nactus eſt Avenione d. 23. Febr. A. MCCCLIII. 28) *Ioannes Taulerus*, Germanus, vitae luce donatus A. MCCXCIV. Multo ardore virtutem pietatemque chriſtianam promotam cupiit, ſuis concionibus non Argentorati ſolum, verum etiam per totam Germaniam, celebris. Obiit Argentorati d. 17. Maii A. MCCCLXI. ſecundum Echardum A. MCCCLXXIX. 29) *Humbertus II.* illuſtri principum Delphinatus proſapia oriundus A. MCCCXII. Mortuo fratre, principatus ad ipſum eſt devolutus, quem etiam adiit, et multa cum laude adminiſtravit. Interfuit et expeditioni adverſus Saracenos: ſed principe filio mortuo, poſteaquam de terris ſuis cum rege Galliae pactus eſſet, monaſterium eſt ingreſſus A. MCCCXLIX. patriarcha Alexandrinus denominatus, A. MCCCLII. adminiſtratio etiam eccleſiae Remenſis ipſi eſt demandata, obiit A. MCCCLV. d. 22. Maii. 30) *Angelus Acciaiolus*, Florentinus, natus A. MCCXCVII. Invitus epiſcopatum in urbe Aquila ſuſcepit A. MCCCXXVIII. inde arceſſitus ad ſedem Florentinam Anno MCCCXLII. a rege Neapoleos titulo magni cancellarii honoratus eſt A. MCCCXLVIII. obiit d. 6. Oct. A. MCCCLVII. 31) *Nicolaus Roſſelli*, in lucem editus A. MCCCXIV. d. 30. Nov. Provincialis ordinis ſui per Hiſpaniam deſignatus, itemque inquiſitor generalis Anno MCCCLVI. Innocentius ipſi locum in purpuratorum ſenatu dedit A. MCCCLVI. denatus A. MCCCLXII. d. 28. Mart. 32) *Petrus* et *Alexander Strozzi*, illuſtres Florentini, quorum ille, ubi multa cum laude Pariſiis et Florentiae docuerat, ſocietatis praefectus eſt adpellatus, et obiit

A.

Digitized by Google

A. MCCCLXII. d. 22. Aprilis. Alter, a pietatis exercitiis et concionibus laudatus omnibus, deceſsit A. MCCCLXXXIII. 33) *Henricus Amandus Suſon*, Suevus, per omnem vitam vacavit exercitiis ſpiritualibus. Diem ſupremum obiit A. MCCCLXV. d. 25. Ian. 34) *Ioannes de Tambacho*, natus in Alſatia A. MCCLXXXVIII. Cum A. MCCCXLVII. academia Pragenſis aperiretur, ex primis naſcentis ſcholae profeſſoribus fuit, ſacri palatii magiſter factus A. MCCCLXVI. Deceſsit Friburgi d. 30. Ian. A. MCCCLXXII. 35) *Ioannes Schadenland*, A. MCCCLIX. epiſcopus Culmenſis creatus, inde translatus Hildeſiam, quo munere vero ſe abdicavit circa A. MCCCLXV. poſt epiſcopus Vormatienſis conſtitutus, exſpiravit Conſtantiae A. MCCCLXXIII. 36) *Guilielmus Sudre*, Gallus, A. MCCCXLVIII. provincialis dioeceſeos Toloſanae eſt electus, anno ſequenti factus ſacri palatii magiſter, A. MCCCLXI. epiſcopus Maſſilienſis, purpuratus eccleſiae Romanae A. MCCCLXVI. obiit verſus finem A. MCCCLXXIII. 37) *Carolus Alenconienſis*, munus archiepiſcopale Lugduni adiit A. MCCCLXV. fato functus A. MCCCLXXV. d. 5. Iul. 38) *Hugo Gaſpot*, Anno MCCCXLIX. epiſcopus Cenedenſis in Marchia Tarviſina eſt conſtitutus, poſt ut legatus apoſtolicus Conſtantinopolin miſſus, deceſsit A. MCCCLXXVI. 39) *Andreas de la Tour*, quem Urbanus V. A. MCCCLXVII. poenitentiarium ſuum adpellavit, ſed non ita multo poſt archiepiſcopus Genuenſis eſt electus d. 21. Febr. A. MCCCLXVIII. vivis exemtus d. 6. April. A MCCCLXXVII. Lib. XIV. 40) *Catharina Senenſis* cui inter viros illuſtres locum concedit A. quoniam et alii ſcriptores eccleſiaſtici eius meminerunt. Huius animi dotes, virtutes, prudentiam, praedictiones, miracula, amplis verbis dilaudat. Mortua A. MCCCLXXX. d. 9. April. in ſanctorum concilium relata a Pio II. Lib. XV. 41) *Philippus Gezza Rufinus*, Romanus, quem Clemens VI. poenitentiarium apoſtolicum in eccleſia S. Petri Romae conſtituit, non multo poſt epiſcopum Iſeriae dictum A. MCCCXLVIII. unde A. MCCCLXVII. ad ſedem Tiburti-

Digitized by Google

nam eſt translatus, tandem Cardinalis factus, mortuus A. MCCCLXXX. 42) *Thomas*, Anglus, confesſionarius regis Angliae Richardi II. poſt Cardinalis. 43) *Nicolaus a S. Saturnino*, Gallus, provincialis per Provinciam creatus A. MCCCLXVI. magiſter ſacri palatii factus A. MCCCLXXVI. mortuus A. MCCCLXXXII. d. 21. Iun. 44) *Ioannes Aldobrandinus*, Florentinus, epiſcopus Gubienſis, quam tamen dignitatem poſt ſponte ſua miſſam fecit. 45) *Simon Lingonienſis*, Gallus, quem Clemens poenitentiarium ſuum elegit A. MCCCL. et ordinis ſui per Franciam Superiorem dixit, A. MCCCLXVI. m. April. conſtitutus epiſcopus Nannetenſis. Tandem ſenio confectus, munere ſe ſuo abdicavit, inque monaſterium ſecesſit. 46) *Nicolaus Moſchinus Caracciolus*, ad cardinalitiam adſurrexit dignitatem d. 18. Sept. A.MCCCLXXVIII. mort. d. 29. Iul. A.MCCCLXXXIX. 47) *Elias Raimundus*, Toloſan. vulgo dictus, A. MCCCLXVI. vicarius generalis ordinis ſui factus, tandem Superior generalis, decesſit A. MCCCLXXXIX. d. 31. Dec. 48) *Thomas Caſatenſis*, Pedemontanus, confesſionarius ducis Sabaudiae A. MCCCLXXXIII. Cardinalis a Clemente VII. creatus, exſpiravit A. MCCCXC. d. 17. Ian. 49) *Ioannes de Novo Caſtro*, Cardinalis nominatus a Clemente VII. d. 23. Dec. A. MCCCLXXXIII. denatus A. MCCCXCVIII. d. 4. Octobr. 50) *Guido Maranaldus*, generalis inquiſitor per regnum Neapolitanum, exſpiravit d. 25. Iun. A. MCCCXCI. cui ob miraculorum frequentiam per longum ſatis tempus cultus publicus in regno Neapolitano eſt exhibitus. 51) *Nicolaus Eymericus*, Catalonus, natus A. MCCCXX. inquiſitor generalis per Arragoniam factus A. MCCCLVI. defunctus A. MCCCXCIX. d. 4. Ianuar. 52) Ex illis, qui e Graecis eccleſiae latinae et Dominicanorum familiae adſcripti fuerunt, A. nominat 1. *Simonem* Conſtantinopolitanum, qui celebrem ſe reddidit illa tempeſtate, qua latini imperium orientis tenuerunt, vita decesſit A. MCCCXXV. 2. *Philippum de Pera*, qui celebritatem aliquam conſecutus eſt diſputationibus adverſus graecos. 3. *Emmanuelem Calecam*,

lecam, qui ob diſputationes et ſcripta contra graecos Conſtantinopoli eſt expulſus. Lib. XVII. 53) *Raymundus Capuenſis*, poſt diverſos labores in emolumentum eccleſiae exantlatos, Gregorius XI. ipſum A. MCCCLXXVI. poenitentiarium ſuum nominavit, A. MCCCLXXIX. factus eſt provincialis per Langobardiam, fato ſuccubuit A. MCCCXCIX. m. Octobr. 54) *Andreas de Franchis*, nobilis Florentinus, A. MCCCLXXVII. epiſcopus Piſtoienſis electus, quo munere ſe abdicavit poſtea ob ſenium, inque monaſterium ſe contulit, ultimum diem clauſit A. MCCCCI. d. 26. Maii. Memoria et reliquiae eius apud Piſtoienſes magna fuerunt in veneratione, qui ſemel atque iterum flagitarunt, ut ſanctorum catalogo inſereretur; titulum *beati* ipſi dedit Benedictus XIII. eique ſtatuam marmoream poni curavit. 55) *Ioannes Benedictus*, nobilis Venetus, A. MCCCC. patriarchatus Gradenſis ei decernebatur, ſed ut munus hoc adiret, nullis precibus, nec adhortationibus flecti potuit. 56) *Vincentius Ulyſſiponenſis*, circa A. MCCCLXXVIII. conſtitutus provincialis ſocietatis per Luſitaniam et Caſtellam, itemque inquiſitor per totam Hiſpaniam. Ioannes I. rex Luſitaniae eum A. MCCCLXXXV. adpellavit concionatorem ſuum, confesſionarium, et conſiliarium. Denatus A. MCCCCI. d. 14. Iul. 57) *Thomas Firmanus*, Italus, generalis ſuperior ſocietatis electus A. MCCCCI. m. Maio, obiit d. 27. April. A. MCCCCXIII. 58) *Ioannes Dominicus*, illuſtris Florentinus, procreatus A. MCCCLVII. vel ſecundum alios A. MCCCLX. archiepiſcopus Raguſanus, tandem Cardinalis. In concilio Conſtantienſi opera ipſius fuit plane eximia, et Imperator Sigismundus conſiliis eius in gravisſimis negotiis eſt uſus. Viventium numero eſt exemtus A. MCCCCXVIII. vel ex aliorum ſententia d. 10. Iun. MCCCCXIX. Index rerum memoratu dignarum ſingulis Tomis eſt ſubiectus. Chartae et typorum nitor ſe harum elegantiarum ſtudioſis facile commendabunt.

NOVA

NOVA LITTERARIA.

In omnium doctorum manibus verſantur, meritaque celebrantur laude, Benedictinorum e S. Mauri Congregatione *Novi Commentarii de Re Diplomatica,* (Nouveau Traité de Diplomatique,) de quibus nos quoque in his Actis, recenſendo Tomum eorum I. et II. diximus. Sed cum maiori pretio vendatur hoc opus a librariis, quam ut in bibliothecas mediocri fortuna hominum pervenire poſſit, praetereaque emendationum et ſupplementorum nequaquam impatiens videatur: convertendi eius in theotiſcum ſermonem conſilium ſuſcepit Vir doctus, *Ioh. Chriſtoph. Adelung,* in Gymnaſio Evangelico Erfurtano Profeſſor, et hoc ipſo tempore primi Voluminis verſionem eadem in urbe publicavit. Non ſolum autem diligenter ille et accurate vertit, ſed adnotationes etiam plurimas ſubiecit bonae frugis, quibus partim corrigit Auctorum narrationes, partim auget. Ut commodius legerentur hi commentarii, in fronte Sectionis cuiusque ſynopſin argumenti poſuit, contextumque continuum in paragraphos diremit. Iubet etiam nos Supplementorum Tomum unum et item alterum ſperare, quibus cum aliorum auctorum de re diplomatica obſervationes ſelectae, tum, quas hic deſideres adhuc, de patriae noſtrae diplomatibus, diſquiſitiones proponantur. Hac vero opera quin libri utiliſſimi, neque tantum, quod imperiti forſitan exiſtiment, ad diplomata cognoſcenda, ſed ad omnem litterarum hiſtoriam imbibendam aptiſſimi, praeſtantia, non contemnendam nanciſcatur acceſſionem, dubitari non poteſt.

INDEX AUCTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur:

I. *Libri Theologici et ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

Am-Ende (*Ioach. Gottlob*) *Chriſteis, hoc eſt, Acta Apoſtolorum e lingua originali in latinam translata, et carmine heroico expreſſa, notisque ſubiunctis illuſtrata.* p. 69

Baſilii Magni *Oratio de humana Chriſti natura, gr. et lat. ex recenſione* Iuliani Garnier, *in Sectiones primum deſcripta, nova verſione, argumento, et notulis macta, per* Ioh. Bened. Carpzov. 35

Magnum Bullarium *Romanum, ſeu eiusdem Continuatio, quae Supplementi loco ſit editionibus omnibus. Cum Rubricis, Summariis, Scholiis, et Indicibus.* Pars XIII. ſ. Tomus XIX. 481

Chais (*Caroli*) *Sacra Biblia cum commentario expoſitionis litteralis, ex optimis, Anglis praeſertim, interpretibus concinnato.* Tomi V. Pars Prior. 422

Cremeri (*Bern. Sebaſt.*) *Fata Eccleſiae Chriſtianae, inde ab Eccleſia Apoſtolica usque ad initia Reformationis; ſive Commentarii in Apocalypſin Iohannis, Partes duae. Editae a filio ſucceſſore,* Franc. Lud. Cremero. 324

Farlati (*Danielis*) *Illyricum Sacrum:*

Tomus I. *Eccleſ. Salonit. a Sec. I. ad IV.* 593

Tomus II. *a Sec. IV. usque ad excidium Salonae.* 625

Yyyy de

Digitized by Google

de Haas *(Gerhardi) Specimen criticum in loca quaedam Evangeliſtica.* 380
Hartzheim *(Ioſephi) Concilia Germaniae, a* Schannato *magna ex parte collecta, iam aucta, continuata, illuſtrata.* Tomus I. 227
Heumanni *(Chriſtoph. Aug.) Emendationes Operum* Tertulliani, *et Analyſis Libri Tertullianei de Praeſcriptionibus.* 97
— — — *Earundem* Continuatio Prima 241
Continuatio Secunda 433
— — — *Commentariorum in Novi Foederis Libros divinos* Pars Decima, *priorem Pauli ad Corinthios Epiſtolam complexa.* 193
Kulenkamp *(Gerh.) Διάκρισις modeſta Quaeſtionis philologico-hermeneuticae, circa ellipſin litterae vel particulae interrogantis in Codice Hebraeo Biblico motae, num ea ſit omnino eliminanda, an vero, ſed non temere, admittenda?* 612
Maſculi *(Ioh. Bapt.) Encomia Coelituum digeſta per ſingulos anni dies, una cum veterum faſtis.* 120
Michaelis *(Ioh. Dav.) Syntagma Commentationum.* 337
Millii *(Dav.) Miſcellanea Sacra, Ieſaiae Cap. LIV. Pſalm. CXXI. et CXXII. aliaque argumenta, tam theologica, quam exegetica, enucleantia.* 293
Pfaffii *(Chriſtoph. Matthaei) Lectiones Academicae* ſuper Idea Theologiae Anti-Deiſticae. 273
Rituale Romanum, Caeremoniale Epiſcoporum, ac Pontificale Romanum, S. S. D. N. Benedicti Papae XIV. iuſſu edita et aucta. 123
Sulpicii Severi *Opera ad MSctos Codices emendata, notisque, obſervationibus, et diſſertationibus illuſtrata, ſtudio et labore* Hieron. de Prato. Tomus I. 248. 353
Tomus II. 529

II. *Libri Iuridici.*

Boerneri *(Georg. Gottlob) de modis ſanciendi foedera pacis Imperii R. G. Commentatio.* 430

Kip-

Digitized by Google

Kippingii *Tractationes omnium Iuris Canonici partium, ex Hiſt. Eccleſiaſt. et Conciliis ac Ordinationibus Principum perpetuo illuſtratae.* 267

Vicat (*Philippi*) *Vocabularium Iuris Utriusque ex variis ante editis, praeſertim ex* Alexandri Scoti, Ioh. Kahl, Barn. Briſſonii, *et* Ioh. Gottl. Heineccii *acceſſionibus concinnatum.* 636

III. *Libri Medici et Phyſici.*

Aepini (*F. V.*) *Sermo Academicus de ſimilitudine vis electricae et magneticae.* 234

Albini (*B. S*) *Academicarum Annotationum*, Liber Quartus. 306

Commentarii Societatis Regiae Scientiarum Göttingenſis
Tomus I. *ad A. MDCCLI.* 124
Tomus II. *ad A. MDCCLII.* 212

Commentarii Novi Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae. Tomus III. *ad A. MDCCL. et A. MDCCLI.* 312

Delectus Cochlearum et Concharum, aliorumque animalium cruſtaceorum. Auſpiciis et iuſſu Pot. Daniae Regis, ad naturae veritatem picta. In aes incidit, et coloribus ſuis illuminavit Franc. Mich. Regenfus. 289

De recondita Febrium *intermittentium, tum remittentium, natura, et de earum curatione, Libri Duo.* 161.

Gesneri (*Conradi*) *Hiſtoriae Plantarum Faſciculus. Ex Bibliotheca* Chriſtoph. Iac. Trew *edidit et illuſtravit* Caſim. Chriſtoph. Schmidel. 117

Klein (*Iac. Theod.*) *Stemmata avium, XL. tabulis aeneis ornata, cum Nomenclatore Latino-Polono. Edidit* I. D. Titius. 210

Krauſe (*Car. Chriſt.*) *Diſſertatio de Quaeſtione ab Academia Petropolitana A. MDCCLVI. propoſita: quaenam ſit cauſſa proxima mutans corpus foetus, non matris gravidae,* huius *mente a cauſſa quadam violentiore commota, et quidem cur id fiat in ea parte corpuſculi foetus, ad quam in ſuo cor-*

Digitized by Google

pore mater manum applicat? Accedit Ioh. Georgii Roederer de eadem quaeſtione diſputatio. 41
Quaeſtiones Medicae Pariſinae, ex bibliotheca Georg. Frid. Sigwart. 487
Roederer *(Ioh. Georg.) Icones Uteri humani, obſervationibus illuſtratae.* 392
Roncalli *(Franc. Comitis) in Variolarum inoculationem Diſſertatio epiſtolaris ad D.* Sylveſtrum Antonium Ponticelli. 29
Schreberi *(Ioh. Chriſt. Dan.)* Lithographia Halenſis. *Praefatus eſt* Ioh. Ioach. Langius. 109
Tralles *(Balth. Ludov.) Uſus Opii ſalubris et noxius in morborum medela.* Sectio I. 21
Sectio II. 205

IV. *Libri Mathematici.*

Academiae Scientiarum Imperialis Petropolitanae Novi Commentarii. Tomus III. *ad A. MDCCL. et MDCCLI.* 312
Commentarii Societatis Regiae Scientiarum Göttingenſis.
Tomus I. *ad A. MDCCLI.* 124
Tomus II. *ad A. MDCCLII.* 212
Kaeſtneri *(Abrah. Gotth.) Infinitinomii ad Potentiam Indefinitam elevati formula.* 61
Steplinus *(Ioſ.) Solutio directa Problematis de inveniendo centro oſcillationis.* 14

V. *Libri Hiſtorici, Geographici, Numiſmatici recentiores.*

Acta Iubilaei Secundi Gymnaſii Gedanenſis, A. MDCCLVIII. d. 13. Iunii ſolenniter celebrati. 607
Arkenholzii *Commentarii de Rebus Chriſtinae, Sueciae Reginae, plura ab ipſa ſcripta continentes.* Tomus III. 279

Boehmii

Digitized by Google

Boehmii *(Ioh. Gottlob) de Auguſtino Olomucenſi et Patera eius aurea, in Numophylac. Seren. Princ. Reg. Elect. Dresdae adſervata, Commentariolus. Accedit eiusdem Paterae delineatio, adornata a* Guil. Ern. Tenzelio. 514
Britannicarum *gentium hiſtoriae antiquae Scriptores tres:* Ricardus Corinenſis, Gildas Badonicus, Nennius Banchorenſis. *Recenſuit, notisque et indice auxit* Car. Bertramus. 590
Commentarii Diplomatici Novi, a duobus Monachis Benedictinis Congreg. S. Mauri ſcripti, Germanice verſi, et notis inſtructi, a Ioh. Chriſt. Adelung. 720
Dalini *(Olof) Hiſtoria Regni Sueciae, ordine Annalium ſcripta, e Suecico idiomate in Germanicum verterunt* I. C. Daehnert et Ioh. Benzelſtierna. Tomus I. 498
Deſericii *(Ioſeph. Innocent.) de Initiis ac Maioribus Hungarorum Commentaria; quibus accedit inſigne et perantiquum MStum, ex Vaticana Bibliotheca depromtum, hactenus deſideratum.* Tomus I. 510
Diplomataria et Scriptores Hiſtoriae Germanicae Medii Aevi, cum Sigillis aeri inciſis, opera Chriſt. Schoettgenii *et* Georg. Chriſtoph. Kreyſigii. *Accedit Praefatio* Chriſt. Gottlieb Buderi. Tomus I. 376
Tomus II. 445
von Doebeln *(Ioh. Iac.) Hiſtoria Regiae Academiae Lundenſis.* 622
Elogium Ioh. Frid. Chriſtii, *Poeſ. Prof. Ord. in Academ. Lipſienſi.* 133
— — Ioh. Ern. Hebenſtreitii, *Med. D. et Prof. in Acad. Lipſ. Ordinisque ſui Decani perpetui.* 179
— — Chriſtiani Wolfii, *Academiae Fridericianae Cancellarii.* 449
Gogüeti *(Anton. Yves) de Origine Legum, Artium et Scientiarum, earumque progreſſu apud veteres,* Libri Tres. 49
Grafshofii *(Beni. Chriſtoph.) Commentatio de Originibus atque Antiquitatibus S. R. I. Liberae Civitatis Muhlhuſae Thuringorum, monumentis adhuc ineditis illuſtrata.* 662

Digitized by Google

Hirſchii *(Ioh. Chriſtoph.) Archivi Monetalis Imperii Germanici* Pars V. 58

Kleſekeri *(Ioh.) Curae Geographicae, cum* Mich. Richeii *Diſſertatione Epiſtolica de loco Hochbuch. Edidit, et de incrementis Geographiae recentiſſimis praefatus eſt,* Ioh. Georg. Bueſch. 574

Malleti *Introductio in Hiſtoriam Daniae, cum Supplementis, in quibus Edda.* 15

— — *Hiſtoria Daniae, inde ab origine Monarchiae, usque ad tempora Celſiſſ. gentis Oldenburgicae.* Tomus I. 64

Mercatoris *(Proſperi) Lexicon Hiſtoricum, ſeu Commentarii de vita et operibus hominum illuſtrium, quorum pars maior eruditionis laude floruit.* Tomus Alter. 145

Touron *(A.) Hiſtoria virorum illuſtrium Ordinis S. Dominici, qui Societatem hanc inde a morte primi conditoris ad Pontificatum usque Benedicti XIII. P. M. plurimum illuſtrarunt.* Tomus I. et II. 704

VI. *Libri Philoſophici, Antiquarii, Claſſici, Philologici, Miſcellanei.*

Anthologia veterum Latinorum Epigrammatum et Poematum, ſive Catalecta Poetarum Latinorum, in VI. Libros digeſta, etc. *cura* Petri Burmanni Secundi, *qui perpetuas adnotationes adiecit.* Tomus I. 673

Claud. Claudiani, *quae exſtant, varietate lectionis et perpetua adnotatione illuſtrata a* Ioh. Matthia Geſnero. 166

Cochini et Bellicardi *antiqua Herculani monumenta, litteris lineisque ex aere ductis deſcripta, cum obſervationibus, et deſcriptione antiquitatum in Neapolis confinio.* 111

Commentarii Societatis Regiae Scientiarum Göttingenſis,
Tomus I. *ad A. MDCCLI.* 124
Tomus II. *ad A. MDCCLII.* 212

Corradi *(Sebaſt.) Quaeſtura, Partes duae: altera de Ciceronis Vita et libris, item de ceteris Ciceronibus; altera libros Ciceronis emendans.* Editio Nova. 32

Floer-

Floerchen (*Angeli) pro Beroſo Anniano, ut vocant, eiusque Antiquitatum Opuſculo, Apologia vindiciaria.* 441

Haltaus (*Chriſt. Gottlob*) *Gloſſarium Germanicum medii aevi, maximam partem e diplomatibus, inſtructum. Praefatus eſt* Ioh. Gottlob Boehmius. Tomus Prior et Poſterior. 559

Hentſchii (*Ioh. Iac.*) *Meditationes de Harmonia Mentis humanae cum corpore ſibi iuncto, cuius cauſſae exquiruntur.* 551

Heuſingeri (*Iac. Frid.*) *indicatio aliquot de Cornelio Nepote bene merendi ſubſidiorum Bibliothecae Guelpherbytanae.* 93

Lepicii *Enarratio critica tabularum, quae in Regis Gallorum adſervantur Muſeo, cum brevi pictorum vita:*
Tomus I. *Scholam Florentinam et Romanam continens,* 385
Tomus II. *Scholam Venetam et Longobardicam complexus.* 644

Flavii Mallii *Theodori, de Metris liber, ex antiquiſſimis membranis Bibliothecae Auguſtae Guelpherbytanae deſcriptus, animadverſionibusque brevibus emendatus, a* Iac. Frid. Heuſingero. 38

Marmora Taurinenſia, Diſſertationibus et Notis illuſtrata. Pars Altera, *cui addita eſt Appendix Inſcriptionum quae perierunt, et quarum memoria ab uno nobis* Pingonio *ſervata.* 655

Menetreii (*Claud. Franc.*) *Columna Theodoſiana, quam vulgo Hiſtoriatam vocant, in XVIII. tabulas diſtributa et explicata.* 74

Michaelis (*Ioh. Dav.*) *Syntagma Commentationum.* 337

Mulleri (*Ferd. Chriſt.*) *Chreſtomathia Platonica.* 572

Cornelii Nepotis *Vitae excellentium Imperatorum, e recenſione atque cum animadverſionibus* Ioh. Andreae Boſii; *libellum variarum lectionum, et praefationem addidit* Ioh. Frid. Fiſcherus. 285

Picturae antiquae, ex Herculano et vicinis locis erutae, atque in aes inciſae, cum animadverſionibus. Tomus Primus. 1

Platonis *Dialogi quatuor: Euthyphro, Apologia Socratis, Crito, Phaedo; graece, e recenſione* Henr. Stephani, *varieta-*

te

Digitized by Google

te lectionis animadverſionibusque criticis brevibus illuſtrati a Ioh. Frid. Fiſchero. 524

Reiske (*Ioh. Iac.*) *Animadverſionum ad Graecos Auctores* Volumen II. *quo* Lyſias *et Plutarchi opuſcula miſcellanea pertractantur.* 419

Ruinae urbis Balbec, quam et Heliopolim dicunt, in Coeloſyria. 577

Semleri (*Ioh. Sal.*) *et* Simonis (*Ioh.*) *Enarratio Antiquitatum Hebraicarum, adiunctis tabulis ex aere ductis.* 699

Serenii (*Iac.*) *Lexicon Anglicum et Suecicum.* Editio nova, *plurimis acceſſionibus locupletata.* 46

Sermones pro et contra reductionem uſurarum pecuniae naturalium. Ex Anglico Francogallice verſi. 238

Stolpiani *Legati Curatorum Programma.* 335

Struchtmeyeri (*Ioh. Chriſtoph.*) *Hercules Symbolicus, ſive de procreatione et pueritia ſicti huius dei Liber ſingularis, quo commonſtratur, quae de eodem praedicentur, ea omnia ex priſca doctrinae de Chriſto veluti per manum facta traditione repetita eſſe. Ex Mſcto Latino Belgice converſus a* Petro Lucretio, *filio.* 399

Verneii (*Aloyſ. Anton.*) *de Re Logica, ad uſum Luſitanorum Adoleſcentium* Libri VI. Editio altera, *auctior et emendatior.* 11

INDEX

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Academiae *Regiae Lundenſis hiſtoria.* 622

de Accentibus *Hebraeorum quaedam.* 620

Acta *Apoſtolorum carmine Heroico expreſſa et illuſtrata.* 69

Admenſum *quomodo dicatur?* 640

Aegyptiae *leges antiquae.* 50

Aegyptii *Iehovam pro Cnuphi ſeu Demiurgo habentes.* 131

Aequationes *differentiales altiorum graduum integrandi methodus ulterius promota.* 312

de Aera *ſeptentrionalium populorum.* 503

Aeſculapii *in marmore laudes.* 223

Aethiopum *color unde oriatur?* 497

de Aetio *edendo conſilium irritum.* 186

in Africam *iter, ſcientiae naturalis augendae cauſſa ſuſceptum.* 182

Agrippinenſis *Synodus Anno CCCXLV. celebrata an fidem mereatur?* 228

ex Alberti *Abbatis Stadenſis Troilo ſpecimen.* 96

de Franc. Albano *pictore.* 654

Albionis *nomen unde ortum?* 592

de Alcmena *Herculis matre.* 403

de Alexandro *Veronenſi pictore.* 650

Am-Endii *in vertendis carmine heroico Actis Apoſtol. elegantia.* 70

— — *ad eundem poeſeos revocantis illum adclamatio.* 73

America *ſeptentrionalis ab Islandis detecta.* 17

de Amphitryonis *cum Pterela bello.* 405

Anatomicae, *phyſiologicae, pathologicae annotationes.* 306. 323

de Andrea *de Longjumeau.* 707

Anglicae *et Suecicae linguae Lexicon.* 46

Anglorum *quorundam pro et contra reductionem uſurarum pecuniae naturalium ſermones.* 238
Animorum *immortalitas ex Moſis libris demonſtrata.* 345
pro Annio *Viterbienſi, Beroſi Antiquitates edente, vindiciae.* 441
Antiquitatis *eruditae ſuavitas et utilitas commendata.* 133 ſ.
— — — — *ſtudioſi, ab iis quae obiici illis ſolent, defenſi.* 138
— — — — *ſtudium perquam difficile.* 139
— — *reliquiae in Africa.* 183
Antiquitates *Hebraicae a Semlero et Simone explicatae.* 669
Antoninus *Pius an Heliopoli templum Iovi exſtruxerit.* 585. ſq.
de Petreio Aperbaccho. 517
in Apocalypſin *S. Iohannis Commentarius myſticus.* 324. ſqq.
de Apyrexia *eiusque cauſſis.* 162
Aquilex *et* Aquilicia *quid?* 641
in Arabia *deſerta pulcherrima coeli, foediſſima terrae ſpecies.* 589
de Archivorum *Germaniae praecipuorum detrimentis.* 379
Ardinienſis *panis quis?* 641
Argenti *uſus in Palaeſtina antiquiſſimus.* 217
de Argento *vivo calorem celeriter recipiente, et celeriter perdente.* 319
de Arteriae *membranis et vaſis.* 309
de Artium *origine et progreſſu apud veteres.* 49. ſqq.
de Aſcelino *ſeu* Anſelmo, *Dominicano.* 707
Aſinorum *antiqua honeſtas.* 216
Aſſyriaca *inſtituta antiquiſſima.* 50
de Aſtronomia *veterum obſervatio.* 57
de Petro de S. Aſterio. 708
Atheiſmi *accuſatus Chriſtianus Wolfius.* 466
Athenaei *locus illuſtratus.* 132
Auctorum *veterum edendorum vera ratio.* 285
Auguſti II. *Poloniarum Regis in litteras amor, exemplo declaratus.* 181
de Auguſtini *Olomucenſis vita, ſcriptis, et patera aurea, diligens narratio.* 514
Aurum *in Galliae montibus exquirendum.* 239
Avium *familiae et genera, nova methodo diſtincta.* 209

B.

Digitized by Google

B.

de Babylonica *turri.* 545
Balbeci *urbis ruinae, et ſtatus antiquus, deſcripta,* 577. ſqq.
de Baptiſmo *ſuper mortuis apud S. Paulum ſententia Heumanni.* 203
de Georgio Barbaerello, *pictore Veneto.* 647
C. Barthii *Emendationes carminum Tertulliani.* 439. ſq.
Baſilii *M. oratio de humana Chriſti natura, edita et illuſtrata.* 35
de Iac. Dupont, Baſſano *dicto.* 648
de Batavis *eruditis iudicium.* 702
Anton. Bavii *lepidi verſus Francogallici.* 150
de Gentile et Iohanne Bellinis, *pictoribus.* 82. 644
Bello *captorum a Romanis militum diverſa conditio.* 90
de Benedicto XI. *Pont. max.* 711
Benedicti XIV. *P. M. Conſtitutiones plurimae.* 481
Berengarius *de Langore, Dominicanus.* 713
pro Beroſo *Anniano, eiusque Antiquitatum Opuſculo, vindiciae.* 441
Bibliorum *verſiones theotiſcae, ante Lutheri tempora, quaedam, deſcriptae et notis illuſtratae.* 337
de Bileami *aſino.* 276
de coactis a S. Bonifacio *Synodis.* 232
de Par. Bordono *pictore.* 645
Ioh. Andr. Boſii, *in Cornel. Nepotem Animadverſiones laudatae.* 286
Botanicae *obſervationes.* 225
de S. Brigitta *quaedam.* 284
Britannicarum *gentium hiſtoriae antiquae Scriptores tres editi et illuſtrati.* 590
Bullarii *Magni Romani continuatio.* 481
Petr. Burmannus *Secundus notatus.* 690. ſqq.
— — contra eundem *pro loco horum Actorum quodam vindiciae.* 701. ſq.

C.

Vitia in Cadaveribus *poſt febres intermittentes reperiunda.* 164
de Paulo Cagliari *Veronenſi, Pictore clariſſimo.* 649
de ratione Calorum, *et ratione denſitatis radiorum directorum ad diverſitatem per lentem refractorum definienda.* 320
Cameli *vox unde deducenda?* 381

de Franciſco et Richardo Camerinis, *Dominicanis.* 714
de Canibus *venaticis, in monaſteriis olim paſtis.* 566
Ludovicus, Auguſtinus, Annibal et Antonius Carachii, *pictores clari.* 650
Mich. Ang. Mericus Caravagius. 653
Carolus V. *Imp. Titiano Pictori famulans.* 647
— — XII. *Reg. Sueciae, Lundinum venientis, laudes.* 623 ſ.
— — *Regis utriusque Siciliae, iam Catholici, laudatio.* 1. 2. 137.
de S. Catharina *Senenſi.* 717
Cauſſarum *occaſionalium ſyſtema examinatum et improbatum.* 553
Cayli *Comitis in operibus antiquis ſpectandis elegantia.* 134
Centauricae *ſpecies in coetu ſaltatricum pictae,* 5. 10.
Cherubi, *equi tonantes Hebraeorum.* 128
Chreſtomathiarum *Graecarum quae ratio ineunda ſit?* 573
de Chriſti *Servat. mortis tempore.* 542. ſqq.
— — *humana natura oratio Baſilii M. edita.* 35
— — *eiusdem hiſtoria e fabulis veterum de Hercule exſculpta a Struchtmeyero.* 399. ſqq.
Chriſtiani *ad Coenam Domini quibus argumentis obligentur?* 301
Chriſtianiſſimi *Regis titulus Sueciae Regi tributus.* 509
Ioh. Frid. Chriſtii *vita, mores, ſcripta.* 133
— — *eiusdem in Tertulliani Apologeticum emendatio.* 434
Paulus Chriſtiani *cum R. Moſe Gerundenſi diſputans.* 710
de Chriſtinae, *Sueciae Reginae, rebus geſtis, commentarii varii.* 279
de Chronico *Euſebio-Hieronymiano diſputatio.* 537. ſqq.
de Ciceronis *vita et ſcriptis liber, et ad eius libros emendationes.* 32
Cl. Claudiani *Carmina edita a Gesnero et illuſtrata.* 166
— — *de eiusdem vita et eruditione obſervationes.* 167
Cochlearum, *Concharum, aliorumque animalium cruſtaceorum delectus, in aes inciſus, et coloribus illuſtratus pulcherrime.* 289
Coelituum *encomia turgido, et male ingenioſo ſtylo ſcripta.* 120
Coenobiorum *veterum in rem*

Digitized by Google

Chriſtianam bene merita. 608
Colarbaſus *an haereticus fuerit?* 104
Columnae *Theodoſianae*, ſ. *Hiſtoriatae, deſcriptio et illuſtratio.* 74
de Cometis *quid veteres ſenſerint?* 168. 169.
Concilia *Germaniae collecta, et obſervationibus ſtipata.* 227
Conſulum *varia genera inde a Caeſaris aetate.* 658
in S. Pauli ad Corinthios *epiſtolam primam commentarius.* 193
Corporis *et animi humani commercium cuius generis ſit?* 551. ſqq.
— — *humani diverſus ad Opium habitus.* 26
— — — *partes ſenſiles et irritabiles.* 221
de Corporibus *morboſis obſervationes.* 226
Seb. Corradi *de Ciceronis vita et ſcriptis liber editus.* 32
de Paulo Corregio, *pictore.* 650
Cranium *quomodo creſcendo accommodet ſe iis quae continet?* 306
de Iac. Creſcentino. 708
de Creta *terreſtri teſtaceorum.* 110
de Crocotis, *veſtibus.* 9
de Curtorum *chirurgia inſtituenda narratio.* 494. ſqq.

D.

Olof Dalini *hiſtoria Sueciae egregie ſcripta.* 498
de Dalmatiae *nomine, populis, aliisque rebus ad eam pertinentibus.* 599. ſq.
ad Daniae *hiſtoriam introductio.* 15
— — *eiusdem regni hiſtoria coepta.* 64
Danorum *veterum mores.* 17
— — *Regum antiquiorum facta.* 65. ſq.
Dani *Suecos antiquiſſimis rerum ſuarum monumentis privant.* 498
de Decalogi *diſtinctione.* 546
Defenſorum *Eccleſiae hiſtoria.* 528
in Defunctorum *aetate notanda in titulis ſepulchrorum, veterum diligentia.* 659
adverſus Dei *ſapientiam obiectiones Deiſtarum.* 275
contra Deiſtas *diſputationes Chriſtoph. Matth. Pfaffii.* 273
Demetrii *Phalerei locus illuſtratus.* 130
Deus *Tertulliano Summum magnum dictus.* 243
Diadumeni *nomen in marmore, quid notet?* 256

de Dialeċtis *Germaniae.* 349
de Dietherio *Naſſovio, Dominicano.* 712
Diocletiani *Imperatoris hiſtoria.* 633
de Diviſoribus *numerorum indagandis.* 316
in Doloribus *mitigandis uſus opii.* 208
Dominicanorum *illuſtrium hiſtoria usque ad Sec. XIV.* 704. ſqq.
de Ioh. Dominico, *Archiepiſcopo Raguſino et Cardinali* 719
S. Domnius, *Epiſcopus Salonae primus, an Metropolita fuerit?* cet. 601. 604. ſq.
Dudaim *in Geneſi quid?* 51

E.

Eccleſiae *Chriſtianae omnis aevi fata ex Apocalypſi eruta.* 325
Eccleſiarum *Chriſtianarum reconciliatio perdifficilis.* 347
Eccleſiaſtici *Iuris, non conſtituti, ſed conſtituendi, explicatio.* 269. ſqq.
Eddae *colleċtiones, editiones, verſiones.* 18
— — *Specimen.* 19
de Eleċtricae *et magneticae vis ſimilitudine.* 234. ſq.
Elegantia *reċte in omni vita ſeċtanda.* 135. 136.
de Eliſabetha *Seniore, Landgravia Thuringiae, et Margravia Miſniae.* 447
de Ellipſi *litterae vel particulae interrogantis in Codice Hebraeo Biblico, an admittenda, et de ellipſibus in univerſum.* 612. ſqq.
Emendationes *Tertulliani.* 97. 241. 433.
— — *Sulpicii Severi.* 257
Epigrammatum, *aliorumque poematum veterum latinorum anthologia adornata a Petro Burmanno Secundo.* 673
— — *eorum colleċtiones antiquiores enarrantur.* 674. ſq.
— — *plurima illorum emendantur et illuſtrantur.* 682. ſqq. 694. ſqq.
Epiċteti *locus emendatus.* 434
Ioh. Aug. Erneſti *de litteris humanioribus merita.* 33
de Erudita pietate. 305
de Evangelicae *et Reformatae Eccleſiarum unione quaedam.* 348
in Evangeliſtarum *quaedam loca ſpecimen criticum.* 380

F.

Fati *vocis variae ſignificationes.* 637
in Febribus *uſus opii.* 207
de Febrium *intermittentium, tum*

Digitized by Google

tum remittentium natura et curatione. 161. 488
Feminis *regnandum non eſſe, feminae ipſius confeſſio.* 280
adverſus Floerchenium, *Beroſi Antiquitates vindicantem, diſputatio.* 442. ſqq.
Flori *locus emendatus.* 305
Florentinae *ſcholae pictores.* 391
de Foederum *pacis Imperii Rom. Germ. ſanciendorum modis.* 430
Foetus *in ſitu ſuo naturali deſcriptio.* 393
in Foetus *corpore, non matre gravida, mutationes, admota ab illa ad partem quandam manu, unde?* 41. ſqq.
de Nicol. de Freauville, *Dominicano.* 712
Friderici V. *Regis Daniae laudes.* 289. 290.
Frigidi *ſtyli exempla.* 122
Frothonis, *Regis Daniae, leges.* 16
Fungus, *vaginae gladii finis.* 9
Fürſprecher *apud Germanos medii aevi quis?* 561
Futuri *ſeculi argumenta ex Moſe collecta.* 345

G.

Galinthias *in muſtelam vel felem converſa quid deſignet?* 410. 411.
Gedanenſis *Gymnaſii Iubilaeum ſecundum quomodo celebratum?* 607
de Simone Genuenſi *ſeu Ianuenſi.* 157
Geographicarum *tabularum ingens et praeſtans copia collecta et illuſtrata.* 574
de Georgio, *Salonitano Epiſcopo.* 605
Germaniae *ea dialectus, qua in ſacris faciundis et ſcribendis libris utimur, quomodo ad hunc principatum pervenerit?* 349. ſqq.
— — *Concilia collecta et illuſtrata ab Harzheimio.* 227
Germanicae *hiſtoriae medii aevi diplomataria et ſcriptores.* 376. ſqq. 445. ſqq.
Germanici *Imperii monetales conſtitutiones opere uno comprehenſae.* 58
— — — *modi foederum pacis ſanciendorum.* 430
Germanicum *medii aevi Gloſſarium, ab Haltauſio ſcriptum.* 559
Conr. Geſneri *reliquiae botanicae edi coeptae.* 117
Ioh. Matth. Geſneri *in Claudiano edendo elegantia.* 166
Gildae *Badonici de excidio Britanniae liber querulus in lucem editus.* 591

S. Gilles *de Ste Irène*, Dominicanus. 706
Q. Glitii, *P. F. nomen in marmore ſervatum.* 658
S. Petrus Gonçalez, *vulgo dictus Telmus.* 706
S. Gonçalez *dictus Amarantus.* ibid.
Goettingenſis *Academiae Scientiarum Commentarii.* 124. 212
Graecae *voces et phraſes explicatae.* 71. 177. 194. ſqq. 214. 296. 297. 381. ſqq. 526. 548. 700
Wilh. Iac. S'Graveſande *vita.* 155. ſqq.
Grelotii, *de Gallo, columnam Theodoſianam adſcendente, narratio lepida.* 77
de Ioh. Franciſc. Barbieri, dicto le Guerchin, *pictore.* 654

H.

de ה *interrogantis apud Hebraeos ellipſi.* 612. ſqq.
in Haemorrhagia *uſus opii.* 206
Haſniae *prima mentio A.* 1167. 67
de Chriſt. Gottl. Haltauſii *vita et Scriptis.* 560
contra Haereticos *diſputatio Tertullianea, libro de praeſcriptionibus, explicata.* 106. ſqq.
Harmoniae *praeſtabilitae ſyſtema examinatur et reiicitur.* 555
Ioh. Ern. Hebenſtreitii *vita, mores, ingenium, ſcripta laudata.* 179
Hebraicae *antiquitates figurarum ex aere ductarum ope illuſtratae.* 669
— — *voces et phraſes explicatae.* 132. 217. 218. 278. 295-301. 303. ſq. 342. ſq. 347. 352. 427. ſqq. 547. ſq. 611. ſq. 616. ſq.
Heliopolis *in Coeloſyria ruinae.* 577
Heraclito *et Hippocrati notae animae ſpermaticae.* 127
Herculanenſes *picturae editae et illuſtratae.* 1. ſqq.
Herculanenſia *monumenta lineis et obſervationibus declarata.* 111. ſqq.
de Hercule *Symbolico diſputatio, quae omnem herois illius nativitatis et infantiae hiſtoriam ad Chriſtum traducit.* 399. ſqq.
de Hermaphroditis *obſervationes variae.* 125. ſq.
de Heſychio, *Salonitano epiſcopo.* 628
Chriſtoph. Aug. Heumanni *in Tertullianum Emendationes et obſervationes.* 97. ſqq. 241. ſqq. 433.

Chriſtoph.

Chriſtoph. Aug. Heumanni *in priorem S. Pauli ad Corinthios epiſtolam Commentarius.* 193. ſqq.
adverſus I. F. Heuſingerum, *Cornelio Nepoti fragmenta duo adſcribentem, diſputatio.* 94
Hieronymi *locus in verſione Chronici Euſebiani illuſtratus.* 540
— — *de eiusdem patria obſervatio.* 513
de loco Hochbuchi *Hamburgo vicini.* 576
Homeri *loca explicata.* 177. 178. 700
de Homicidii *poena diſputatio.* 341
Horatii *loca Herculanenſibus picturis illuſtranda.* 7
— — *locus explicatus.* 115
— — — *emendatus.* 388
circa Horologii *marini conſtructionem obſervationes.* 322
Hugo *de S. Claro, Dominicanus.* 708
de Humberto II. *Delphinatus Principe ultimo.* 716
de Hungarorum *initiis ac maioribus Hunnis.* 510
de Hydrope *pectoris.* 489
Hygeae *in marmore laudes.* 224
de Hymene *obſervationes.* 310

I.

de Iazygibus *quaedam.* 512
Ichthyolithi *exemplum memorabile.* 110
Iehovah *pro Cnuphi ab Aegyptiis habitus.* 131
de Ileaerae *vel* Ilairae *nomine.* 8
Illyrici *hiſtoria antiquior.* 597. ſq.
Illyricum *ſacrum a Farlato ſcribi coeptum.* 593. 625. ſqq.
Imperii *Rom. Germ. in ſanciendis foederibus pacis ratio.* 430
de Inficiali *argumento.* 9
Infinitinomii *ad potentiam indefinitam elevati formula.* 61
de Inflammatione *obſervationes.* 491
Influxus *phyſici ſyſtema confirmatur.* 556
de Innocentio V. *Pontif. Rom.* 709
Inſcriptio *raritate inſignis.* 635
Inſcriptiones *explicatae.* 660. ſq.
— — *quinam collectas ediderint?* 674. ſqq.
de Inſitione *variolarum.* 29. ſ.
de Interrogantis *litterae vel particulae in Codice Hebraeo Biblico ellipſi.* 612. ſqq.
Invidiae *ſumma ingenia inſectantis exempla.* 462

Iohannes *Teutonicus, Dominicanus.* 706
de Iove, *ſuppoſito Herculis patre, eiusque cum Alcmena congreſſu.* 401. 406. ſq.
de Iphicle *ab Alcmena edito.* 408
de Irritabilibus *corporis humani partibus.* 221
Iſocratis *locus illuſtratus.* 387
Iſraelitarum *de poena homicidii leges.* 342
— — *adverſus Phoenices belli iuſtitia.* 352
Iudaei *Camerae Imperialis ſervi fiſcalini.* 567. ſqq.
de Iugo *obſervatio.* 177
Iuridicae *voces et phraſes quaedam difficiliores indicatae.* 643
Iuris *utriusque Vocabularium.* 636
— — *Canonici partium omnium tractationes.* 267
Iurisprudentia *Germaniae medio aevo illuſtrata.* 565
de praxi incongrua doctrinae Iuris *Romani de reſtitutione in integrum ex capite metus et doli.* 609

K.

Καπίτα; *quo Cicero fugit, quid?* 35
Kiranides, *liber magicus.* 146
Iac. Theod. Kleinii *methodus avium genera conſervandi nova, eiusque ſcripta anecdota.* 210. 212.

L.

Labium *leporinum in puero recens nato.* 311
de Ioh. Lanfranco, *pictore.* 654
de Ioh. Lannelio. 146
Lapidem *pingere quid?* 5
Lapidum *circa Halam Saxonum reperiundorum ſyſtematica digeſtio et deſcriptio.* 109
Laternae *magicae emendatio.* 321
Latinae *orationis in Corn. Nepote habitus examinatus.* 95
— — *voces alio ſenſu a Tertulliano uſurpatae quam vulgo ſolent.* 97. ſq.
Latina *vocabula et phraſes explicatae.* 100. ſqq. 175. 177. 263. ſqq. 689.
de Laude *Dei per ſeptem vocales.* 130
de Legum *origine et progreſſu apud veteres.* 49. ſqq.
Leibnitii *de C. Wolfio ſententia.* 458. ſqq.
de Lentium *ſphaericarum aberrationibus.* 129. 222
de Leon. *Utinenſis ſermonibus.* 146

Digitized by Google

Lexicon *Anglicae et Sueticae linguae.* 46
— — *hiſtoricum virorum illuſtrium.* 145
de Ioh. Licarago. 147
de Lithontriptici *Anglorum remedii virtute.* 487. ſqq. 491
de Logica *praeſtans Verneii liber.* 11. ſqq.
Longobardicae *ſcholae pictores.* 650
de uxoris Loth *culpa et poena ſententia probabilis.* 547
de Luciani *de dea Syra libello.* 585
Lucilii *verſus explicatus.* 688
Lundenſis *Academiae hiſtoria.* 622
Lutherus *dialectum Miſnicam per Germaniam promovens.* 350
in Lyſiam *animadverſiones.* 419

M.

Godofr. Arnold. Maas *praemio donatus a Curatoribus Legati Stolpiani.* 335
de Machinis *in genere.* 318
Magneticae *et electricae vis ſimilitudo.* 234
Magorum *Aegyptiorum adverſus Moſen artes explicantur.* 132
de Ludov. Maio. 148
Malalae *teſtimonium de Antonino Pio.* 585
Fl. Mallii *Theodori de Metris liber primum editus et illuſtratus ab Heuſingero.* 38. ſqq.
Margarethae, *Sueciae, Daniae et Norvegiae Reginae, res geſtae.* 68
de Maris *rubri traiectione.* 549
Marmoris *Caſſellani explicatio.* 223
Marmora *Salonitana illuſtrata.* 635
— — *Taurinenſia obſervationibus declarata.* 655
de Martini *Turonenſis obitu.* 354. 358
de Theodoro et Davide Martinis. 147
Ioh. Bapt. Maſculi *encomia coelituum recuſa et figuris ex aere ductis exornata.* 120
Maſutius, *Bocatianarum fabularum imitator.* 148
de Gualtero Mauclerck. 706
de B. Mauritio, *Principe Hungariae, dein monacho.* 714
Maxillae *petrefactio.* 110
Medicae *quaeſtiones in ſcholis Pariſinis diſputatae, iam coniunctim editae.* 487
de Meleagro *et Atalanta, quaedam.* 417
de Menſura *ſpatii et magnitudinis*

dinis apud Germanos medii aevi. 564
de Mentis *humanae cum corpore ſibi iuncto harmonia.* 551
de Petro Merlino. 149
Meteorologicarum *obſervationum exiguus adhuc uſus.* 126
de Metris *pedibusque Latini carminis.* 38. ſqq.
de Micrometri *campo extendendo conſilium.* 126
Microſcopii *ſolaris emendatio.* 321
a Millenariorum *errore vindicatus Sulpicius Severus.* 367
de Mola. 225
de Ioh. Monelario, *quaedam.* 149
Monetalium *decretorum Imperii Germanici collectio.* 58
de Monetis *Muhlhuſanis.* 667
Monochromata *in marmore.* 5
Moraviam *exeunte Sec. XV. quinam docti illuſtrarint?* 515
de Ioh. Morello. 149
de Mortuorum *combuſtione et humatione apud Hebraeos.* 352
in Moſis *libris immortalitas animorum et futurum Seculum docetur.* 345
de Matthia de Moya. 150
de Muhammede II. *Turcarum Imp.* 82
Muhlhuſae *urbis origines et antiquitates explicatae.* 662. ſqq.
Thomae Murneri *Chartiludium Logicum.* 151
Murſuphlus *Imper. Graecus e columna Theodoſiana deiectus.* 80
de Muſculis *nonnullis rarioribus.* 308
Muſea *conchyliorum copias ſervantia in Dania plurima.* 290. 291
Muſetus *poeſin Francogallicam ad leges Graecae Romanaeque adſtringere conatur.* 150
de Hieronymo Mutiano. 649

N.

Naevorum *maternorum in foetibus origo explicata.* 42. ſq.
de Narium *polypis tollendis.* 493
de Natali *hora obſervatio.* 449. ſq.
de Navibus διπρωροις *et* διπρυμνοις. 132
Nennii *Banchorenſis Elogium Britanniae.* 591
Corn. Nepotis *fragmenta duo edita, ſed ei non facile vindicanda.* 93

Corn. Nepotis *nova edito a Fiſchero curata.* 285
Nicaenum *Concilium I. utrum Salonae aliique Dalmatiae Epiſcopi inviſerint?* 626
de Nitrienſibus *monachis Origenis cauſſa Aegypto pulſis.* 372
Noacho *qualis lex, de poena homicidii divinitus lata fuerit?* 341. 344
de Nomadibus *Palaeſtinae.* 352
de Numerorum *partitione.* 316
de Numis *quibusdam rarioribus, deque numis in univerſum, obſervationes.* 148
Numismatica *bibliotheca promiſſa.* 60
Nymphae *Bacchi amicae et comites.* 697

O.

Occaſionis *imago in marmore.* 657
de Oculi *punctione ſeu paracenteſi.* 492
Odini *praecepta quaedam moralia.* 20
de Opii *natura, uſu, etc. commentarius ampliſſimus.* 21. ſqq. 205. ſqq.
— — *eiusdem analyſis phyſico-chemica.* 25
de productis ab Opio *in corpore humano phaenomenis.* 23. ſq.
— — *correctiones eius inutiles et imaginariae.* 27. 28
Orationum *ſacrarum ad populum habendarum exempla quomodo e Patribus petenda?* 36
Ortlof *medicus Seculi XV.* 151
problematis de Oſcillationis *centro inveniendo ſolutio directa.* 14
in Oſſe *ſacro diverſitates.* 311
Oſſium *foſſilium inſolita magnitudo.* 223
Gad de Ouciu, *Dominicanus Seculi XIV.* 151
Ovidii *locus explicatus.* 178
de Ovidii *Medea.* 680

P.

de Pagis *Germaniae.* 575
Iacobi Palladini *Proceſſus Luciferi contra Ieſum.* 152
de Ferrante Pallavicino. ibid.
de Παιδεραστείᾳ *in univerſum, et Socratis inprimis, obſervata.* 215. ſqq.
de Iac. Palma *utroque.* 650
de Petro de Palude. 715
Papaveris *lacryma.* 21. ſq.
de Parallaxi *reticuli Aſtronomici.* 223

Pariſinae *Quaeſtiones Medicae collectae.* 487
de Patera *aurea Auguſtini Olomucenſis.* 519
de Patribus *Eccleſiae iudicium.* 36
S. Paulus *et S. Petrus an Illyricum et Dalmatiam adierint?* 600
de Pendulorum *compoſitorum motu tautochrono.* 319
de Perpetuo *Mobili Caſſelano.* 156
de Corticis Peruviani *uſu.* 165
de Philoſophiae *ſtudio et emendatione.* 452. ſqq.
Philoſophiae *Wolfianae examen regio iuſſu inſtitutum.* 472
de Philoſophis *hodiernis.* 11
de Philoſophorum *novis, quae traduntur inventis, non novis, liber promiſſus.* 168
Phraſium *ad Auct. veteres inutilis coacervatio.* 690. ſq.
Pictores *Romani Graecis inferiores.* 115
— — *ſcholae Florentinae, Romanae, Venetae, Longob. celebriores.* 391. 644
Picturae *artis laudes, et de ea ſectanda praecepta quaedam.* 385. ſqq.
— — *an illa Poeſi praeferenda?* 390
Picturae *Herculanenſes editae et explicatae.* 1. ſqq.
Picturarum *veterum reſtitutio et imitatio.* 135
Pili *humani anatome.* 226
Piſcatoris *prodigium Venetiis.* 645
de Chriſtina Pizan. 153
Placentae *ſitus naturalis.* 393
de Planetarum *motus perturbatione, ab eorum figura non ſphaerica oriunda.* 317
— — *eorundem figurae unde ortae?* 56
Plantarum *faſciculus obſervationibus illuſtratus.* 118
Platonis *locus illuſtratus.* 213. 214
— — *dialogi quatuor editi a Fiſchero.* 524
Platonica *Chreſtomathia.* 572
Plinii *maioris locus explicatus.* 512
in Plutarchi *Opuſcula miſcellanea animadverſiones.* 419
Poematum *latinorum minorum catalecta.* 673
Poetica *vetus diutius incorrupta manſit quam eloquentia.* 169
Poloniae *Regnum ambiens Chriſtina, Sueciae Ex-Regina.* 283
de Ioh. Meraeo Poltroto, *Guiſii Ducis percuſſore.* 153

Poly-

Polyphemus *tribus oculis in pictura vetere.* 8
Ponere *pro* dicare. 691
Pontificum *Romanorum in Rituali, Ceraemoniali et Pontificali emendando et perficiendo labores.* 123
Cn. Popilius *Laenas, Ciceronis percuſſor, non parricida.* 34
de Ioh. Anton. Regillo, dicto Pordenon. 647
Hieron. de Prato *laudatus hinc, illinc notatus.* 248. 533
de Principe *Officii et Officiorum.* 630
de Principum *iure diſpenſandi de homicidarum poena.* 343
de Sylv. Prieriate. 148
Probatio *per aquam frigidam unde orta?* 16
Problematis *geometrici ſolutio.* 317
de inveniendis in Prophetiis *certis perſonis.* 327
Proſodica *obſervatio.* 173. ſq.
Proteſtantium *cum Eccleſia Romana unio minime ſuadenda.* 347
de Protonotariis *Apoſtolicis.* 638
Purae *manus quae? obſervatio ingenioſa.* 690

Q.

de Quantitatibus *imaginariis conſtruendis.* 317

R.

Guil. Rancini *opus de Concilio Tridentino recudendum.* 153
Erh. Ratdolt, *typographus clarus.* 154
Raymundi *de Pennaforti vita et labores.* 705. ſq.
Abbas de S. Réal. 154
de Guil. Rebolo, *Romae capite plexo.* ibid.
Franciſc. Mich. Regenſuſi *in imitandis arte corporum naturalium ſpeciebus admiranda felicitas.* 289
Regneri *Lodbrog, Regis Daniae, Ode.* 20
Ioh. Iac. Reiske *explicandorum et interpretandorum veterum ſcriptorum ratio.* 419. 420
Religio *ſeptentrionalium antiqua.* 15
de Guido Reni, *pictore.* 653
de Reſiſtentia *hominum moroſa adverſus gratiam Dei.* 607
de Reſtitutione *in integrum.* 609. 610

Ricardi

Ricardi *Corinenſis, antiqui Scriptoris Britannici, libelli duo.* 590
Phil. Riceputi *conſilium, Hiſtoriam Illyrici Eccleſiaſticam ſcribendi.* 593
Ritualis *Romani nova et auctior editio.* 123
Rolandi *ſtatuae, quae per Germaniam ſparſae viſuntur, quid deſignent?* 563
Romanae *Scholae pictores celebriores.* 391
Rutheni *nomen Advocatis de Plauen inde ab aliquot Seculis haerens.* 447

S.

Sacrificii *cuiusdam in marmore explicatio.* 657
Salonitanae *Eccleſiae hiſtoria ab ortu eius usque ad Seculum IV.* 593. ſqq.
— — — — *a Seculo IV. usque ad excidium Salonae.* 625. ſqq.
de Petro Saltarello, *Epiſcopo Piſano.* 715
in priorem Samuelis *librum commentarius, Anglorum praecipue interpretum.* 422
de adparente Saulo *ſpectro obſervationes.* 423. 425. ſq.
de Saxonica *Germaniae dialecto.* 349
de Scenographia *veterum, ſeu pictura perſpectiva.* 4
de Andr. Schiavon, *pictore Veneto.* 646
Chriſt. Schoettgenii *et Kreyſigii laudes.* 377
Scholaris *militia, et Scholares alae.* 374
Andr. Schottus *num Auctor Bibliothecae Hiſpanae?* 152
Schwarzburgicum *chronicon editum.* 378
de Scientiarum *origine et progreſſu apud veteres populos.* 49. ſqq.
Scriptorum *medii aevi ad Hiſtoriam Germaniae facientium collectio.* 377. 445
Scripturae *S. loca explicata aut illuſtrata:*
Geneſ. III. 345
IV, 23. 24. 128
VI, 2. 545
IX, 5. 6. 341
27. 296
XVIII, 12. 617. 620
XIX, 6. 647
XXII. 345
XXIII, 16. 217
XXX, 14. 15. 51
XXXII, 3. 199
XXXVI. 351

Digitized by Google

Exod. III, 5. 346
VIII, 26. 618
XXI, 12. 18. 19. 342
Levit. XXIV, 17. ibid.
Numer. XXIII, 10. 346
XXXV, 16. 31. 342
Deuter. II, 12—22. 351
XIV, 1. 2. 346
XIX, 11—13. 342
XXI, 1—9. ibid.
XXVII. et XXIII. 346
XXXII, 5. 613
Iudic. XVIII, 30. 340
1 Samuel. I, 2. 5. 427
II, 1—10. ibid.
III, 13. 21. ibid.
VI, 2. 11. 19. 428
X, 1. ibid.
XI, 12. 620. ſq.
XVI, 14. 429
XXI, 14. 15. ibid.
XXVIII, 11. 12. 423. 425
XXX, 8. 618
2 Sam. XIV. 343
XVI, 17. 615. 620
XVIII, 29. 32. 617
1 Reg. XX, 34. 352
XXIV, 9. 547
2 Reg. II, 20. ibid.
IX, 30. 297
XIX, 11. 616
2 Paralip. XIII, 17. 340
Iob. XXX. 351
Pſalm. LXXXII. 346
XCIX. 128
CIV. 129
CXIX. 329
CXXI. 299
CXXII. 300
Ieſai. XLVIII, 19. 218
LIV. 294. ſqq.
Ierem. XXV, 29. 616
Ezech. I, 1. ſqq. 128
XXXIII, 25. 616
Matth. V, 17. 278
35. 341
VI, 11. 339
XIX, 12. 71
24. 380. ſq.
Marci I, 31. 339
X, 24. 381
Lucae IX, 62. 548
XVI, 9. 204
XVII. 549
Iohan. I, 13. ibid.
Act. Apoſt. I, 8. et plurib. locis. 71. 72
Rom. XV, 19. 600
1 Corinth. I, 1. 8. 10. 12. 13. 17. 25. 194
II, 3. 4. 9. 16. 195
III, 13—15. 196
IV, 6. 7. ibid.
V, 1. ſqq. ibid.
7. 8. 197
VI, 1—3. ibid.
12—20. 198

Digitized by Google

1 *Corinth. VII.* 198
IX, 18. ibid.
21. 199
X, 9. 16. 17. 28. ibid.
XI, 1. 4. 10. ibid.
14. 19. 23-25. 200
XII, 2. 3. 8-10. 28. 201
XIII, 1. 12. 13. ibid.
XIV, 21. 22. ibid.
34. 202
XV, 2. 5—7. ibid.
8. 203. 526
16. 20. 28. 203
29. ibid.
32. 41. 204
Galat. IV, 22—26. 294. 295
Epheſ. II, 10. 296
Apocalypſ. III, 1. 131
V, 6. ibid.
9. 129

de Scythis *et Gothis, honoribus auctis a Theodoſio M.* 87

Seculo V. *cur nulla Synodus eccleſiaſtica in Germania celebrata fuerit?* 231

de Seiritis *Troglodytis in Arabia.* 351

Senecae *Philoſophi de cometis ſententia probabilis.* 168. 169

de Senſilibus *corporis humani partibus.* 221

de Senſu *ordinis, decoris et pulchritudinis, hominem a brutis animantibus ſecernente, litteris graecis et latinis, monumentisque antiquitatis doctae animando* 136. ſq.

Septentrionales *poetae et chronographi.* 18

Septentrionalium *linguarum cognatio.* 47

Septimius *Severus templum Heliopoli aedificans.* 587

de Serierum *determinatione.* 313

— — *quarundam ſingularibus proprietatibus.* 315

de Ioh. Serrani *vita et ſcriptis.* 155

Servii *memorabilis de Polyphemo locus.* 8

de Sibyllis *nonnulla.* 444

de Siclo *Hebraeorum ante exilium Babylonicum.* 216

de Similitudine *praecepta dialectica.* 400

Socrates *ſanctus paederaſta.* 213. ſq.

Sodalitates *litterariae, Seculo XVI. in Germania variae.* 525. ſq.

de Sole *et Luna ſtantibus in Scriptura S.* 277. 278

Digitized by Google

Solis *et reliquorum ſiderum cultus apud Orientales unde natus ſit?* 588. ſq.
de Soverani *vita et ſcriptis.* 158
de Speculatoribus *ab ethnicis in coetus Chriſtianos miſſis.* 200
Spermatica *animalcula Heraclito et Hippocrati nota.* 127
Statii *locus emendatus.* 686
Henr. Stephanus *laudatus, idemque notatus.* 527
Stolpiani *legati praemium.* 335
adverſus Iohann. Chriſtoph. Struchtmeyerum *diſputatio.* 418
Studiorum *humanorum varietas tabulis expreſſa.* 6
Sueciae *hiſtoria egregie ſcripta, indeque excerpta plurima.* 498. ſqq.
Suecicae *linguae lexicon.* 46
Suecis *promiſſa pace Weſtphalica pecunia an ſoluta fuerit?* 282
Sulpicii *Severi nova editio et illuſtratio, multis locis notata.* 248. 353. ſqq. 529. ſqq.
— — *de eiusdem Editionibus et Codicibus MSctis.* 250
Sulpicii *Severi loca emendata, explicata.* 257. ſq. 531. ſq.
de Superficierum *fluidarum figuris.* 133
de Henrica Colinaea, Comite Suſae. 158

T.

de Tabernaculo *Moſis, rebusque ad illud pertinentibus.* 302. ſqq.
Tabularum *in Muſeo Regis Chriſtianiſſimi adſervatarum enarratio critica cum vitis pictorum.* 385. 644
de Ioh. Taulero, *Dominicano.* 716
de Taxa *S. Cancellariae et Poenitentiariae Romanae et Apoſtolicae.* 159
Telesphori *in marmore laudes.* 224. 225
Tendinum *ſutura disſuadetur.* 490
in Tertulliani *Opera emendationes et obſervationes Heumanni.* 97. ſqq. 241. ſqq. 433. ſqq.
— — *eiusdem Libri de Praeſcriptionibus analyſis.* 106
Tertulliani *locus explicatus.* 680

de Theatris *nonnullis antiquis.* 114
Themudaei *Troglodytae in Arabia.* 351
Theocratia *in populo Iſraelitico.* 424
Theodoſiae *columnae Conſtantinopoli deſcriptio et illuſtratio.* 84
Theotiſcae *bibliorum verſiones antiquiſſimae.* 337. ſqq.
de Iac. Robuſto, cognomine Tintoreto. 648
Titianus *Vecelli, pictor clarus.* 646
de Tito, *Dalmatiae Apoſtolo,* 602. ſq.
Torfaei *hypotheſis Islandica Saxonis Grammatici ſententiae praelata.* 65
de Simone Tornacenſi *quaedam.* 157
de Herm. Torrentino *Grammatico.* 159
Tralleſii *docta in perveſtiganda opii natura et uſu induſtria.* 21. ſqq. 205. ſqq.
Tricoſus *Hercules quare dicatur?* 687
de Triptolemi *nomine.* 54
de Tſchirnhauſenii *Medicina Mentis.* 452
Thuringiae *et* Thuringorum *hiſtoria antiqua.* 663
Tympanum *levius.* 9

V.

Valerii *Maximi librorum codex MSctus.* 96
— — *Flacci locus emendatus.* 686
contra Variolarum *inoculationem diſputatio.* 29. ſqq.
in Variolis *et morbillis uſus opii.* 207
in Vaſconum *dialectum converſi N. Foed. libri.* 147
de Vaſis *deferentibus, veſiculis ſeminalibus, et emiſſariis, quibus ad urethram pertingunt.* 307
de Ioh. Veldenero, *typographo Belga.* 159
Venetae *ſcholae pictores nobiliores.* 644. ſqq.
de Ioh. de Vercellis, *Dominicano.* 709
Aloyſ. Ant. Verneii *laudes.* 12
Vexillarii *quinam?* 132
Vgolini *theſaurus Ant. Hebr. in compendium redigi coeptus.* 670

Franc.

Franc. Villonius *epitaphium ſibi ſcribens.* 160
Virgilii *locus emendatus et illuſtratus.* 686. 695
Vitreus *pro Viridis.* 698
Vitruvii *locus cum Pliniano conciliatus.* 6
de Vituli *capite, ab Aarone in eremo effecto.* 546
Uncti *Domini quinam adpellandi?* 424
Vocabularium *Iuris utriusque.* 636
de Iac. de Voragine. 711
Urbarium *S. Laurentii in Murtzthal.* 378
Urethrae *ſectio in illius fiſtulis improbatur.* 491
de Uſurarum *pecuniae naturalium reductione.* 238
Uteri *humani icones obſervationibus illuſtratae.* 392

W.

Waldemari *I. ſeu Magni, Regis Daniae, res geſtae.* 66.
de Weſtphalicorum *iudiciorum origine.* 569
de Wigando Wirt, *Dominicano.* 160
Chriſt. Wolfii *vita, fata, ingenium, ſcripta, narratione ampliſſima expoſita.* 449. ſqq.

X.

Xenophontis *locus illuſtratus.* 215

Z.

S. Auguſtinus de Zagothes, *Dominicanus.* 712
de Dominico Zambieri, *pictore.* 654
de Zinnenſi *Receſſu monetali.* 59
Lambertus de Zuſtris, *pictor clarus.* 654

Tabulae figurarum ex aere ductarum.

Tabula I. ad Menſem *Aprilem* pag. 211.
Tabula II. ad Menſis *Septembris* P. I. pag. 524.

Lapſus operarum quidam:

Pag. 109. lin. 22. pro *ſua* lege *ſuae;* pag. 204. lin. 13. pro *V.* lege *XV.* pag. 289. addendum eſt indici libri de Cochleis et Conchis, eum non Latino, ſed Germanico et Francogallico ſermone ſcriptum eſſe; pag. 377. lin. 29. pro *lex* lege *ex;* pag. 524. lin. 1. pro *Tab. III.* lege *Tab. II.* pag. 579. lin. 3. pro *ante* lege *poſt.*

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z171846708

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google